ΘΕΟΛΟΓΟΥΜΕΝΑ ΠΑΝΤΟΔΑΠΑ.

Sive de

NATVRA, ORTV, PROGRESSV, ET STVDIO VERÆ THEOLOGIÆ

LIBRI SEX.

Quibus etiam Origines & Processus Veri & Falsi CVLTVS *Religiosi, Casus & Instaurationes* ECCLESIÆ *illustriores ab ipsis Rerum Primordiis, enarrantur.*

Accedunt Digressiones

De Gratia Universali. Scientiarum Ortu. Ecclesiæ Romanæ Notis. Literarum Origine. Antiquis Literis Hebraicis. Punctatione Hebraica. Versionibus SS. Ritibus Judaicis. *Aliisque.*

AUTORE. JOHANNE OWENO.

Καταβαλλόμενοι ἀλλ' οὐκ ἀπολλύμενοι. 2 *Cor.* 4. 9.

——*Deus nobis hæc otia fecit.*

OXONIÆ,
Excudebat *HEN*: *HALL*, Academiæ Typograghus,
Impensis *THO*: *ROBINSON*, 1661.



Lectori Benevolo & Veritatis Evangelicæ sincerè studioso Εὖ πράττειν.



Isi persuasum haberem, Erudite Lector, tuâ interesse eorum nonnulla saltem quæ Libello hoc in disquisitionem veniunt accuratè nosse, ipsum potiùs veris injecissem flammis, quàm memet eis, quas istiusmodi conatibus minitantur multorum præjudicia. Quæ enim res alio quocunque, singulatim quemvis ab hisce studiis deterrere soleant, ea omnes hoc tempore confertim se nobis offerunt. Verùm cum à multis jam retro annis, votis & cogitationibus vita ista mihi præsumpta fuerit, quà cœlestis Sapientiæ & Veritatis divinæ studiosis aliquo modo prodessē, adversus μορμολύκεια ista, quorum aliàs promptus est ad mentes hominum minimè malorum aditus, animum obfirmandum duxi. Novi vires immanis illius in viâ Leonis, *(cujus meminit divinæ pariter ac humanæ sapientiæ Præstantissimus, qui pigros ab officio terret;) eisque eò minus commoveor, quo magis eas jamdudum sum expertus. Neque unius Loci, aut etiam Ætatis, quibus iste omnem suam ferociam acceptam refert, res agitur, ubi de augmentis Lucis spiritualis indiès in diem perfectum pergentis, seriò deliberatur. Quamvis ideò quò minùs laudabilis cujuscunque incepti fructus percipiant plurimorum mentes tardaverint præjudicia, istis tamen saltèm apud Posteros sublatis, ea quæ ope & auxilio divino ad illustrandam veritatem freti aggredimur, optatis haud destituta iri, summa potest esse spes & expectatio. Suus cuique in hoc opere ætati labor est; neque raro evenit, ut ex eorum lucubrationibus, qui è medio excesserunt, ad quas invidiæ, æmulationis, odii, studii partium causas procul habentes accedunt, uberiorem messem homines*

demetant, quàm illorum qui in eos eorumque commodum solùm intuentes, ipsi etiam sint penè inscientes posteris profuturi Non enim novum est ut factorum æquitas homini esset invidiæ à proximo suo. Verum enim verò, infinita illa Sapientia quæ cunctis moderatur, mortalium vitiis suavissimâ rerum omnium & seculorum inter se dispositione & nexu impervestigabili ita occurrere statuit, ut nè quo modo præstitutis Divinæ Veritatis incrementis, iter præcluderent. Non est igitur cùr quisquam Studiis hisce sincerè versatus, incæpto aliàs ritè instituto desistat, vel formidans obtrectatores, vel cedens præjudiciis. Neutiquam in istis officii nostri cardo vertitur. Neque esset Christi Servus, cui unicè constitutum esset hominibus placere. Id quoque bonâ Dei providentiâ ita disponente, ad laborantium in agro Domini solamen commodè sæpiùs accedit, ut semen in terram projectum, sarritum calumniis, & obductum convitiorum fimo feliciùs & uberiùs adolescat, eo cui ex utri putidissimâ ἀμετρίας τῆς ἀνθολκῆς, blandissimè adspirat popularis aura. Cùm autem Ipse ex eo tempore quo animum ad hæc scribenda appuli, nihil prius habuerim, quàm ut orationes hominum præter-fluere sinerem, modò eis qui ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ seriò expetunt prodessem, ea omnia quæ quorundam δοκησισοφία, aliorum τῦφος ζηλωτικὸς pertimiscenda prædicant aut portendant, & cogitatione præcepi, & insuper habenda duxi. Neque verò sanè, uti spero, rem invidiosam, & obtrectationibus opportunam suscepi, aut à munere, quod Dei Gratiâ jam aliquandiu in Ecclesiâ sustineo, alienam. Operis instituti rationem, me tacente, indicabit ipse Libri Titulus. Veræ scilicet Theologiæ investigat naturam; & quomodo ab aliis investigatio illa sanctè institui possit, exponit viam modumque. Quousque hâc aut illâ Operis parte mentem Christi sim assequutus, tuum est, Lector Pie & Erudite, nam ad Te hæc pertinent, accuratè perpendere. Verum ut Studiorum meorum in Opere hoc rationem pleniùs tecum communicare possim, nonnulla altiùs paulò sunt repetenda, ac memoranda ea quæ cùm pluribus in Theologia Studiosis præpedimento fuerint, mihi cogitata hæc in medium proferendi occasionem obtulerunt, vel etiam quandam intulisse necessitatem visa sunt. Nos enim non solùm nobis natos esse docet ipsa Ratio qua homines sumus; eorum verò omnium quæ à Christo gratis donamur, rationem tandem reddituros, prænuntiat Evangelium. Siquis autem alicubi me in senticeta imprudentem incidisse, se deprehendisse arbitratus fuerit; is si cogitaverit, me non alio animo ad ea accessisse, quàm ut illos extricarem, quos in iis ad metas hærere conspexeram, haud forsan iniquus erit iccircò Laborum nostrorum æstimator, ubi viam nos rectam quasi digito deviis commonstrare, negare non potest.

Sunt

Sunt autem, ut de iis primo loco dicam, quibus accurata omnis Sapientiæ Divinæ investigatio, supervacanea prorsùs videtur; neque cur quis in illam mentis aciem intendat causas ullas satis graves esse arbitrantur. Habent etiam persuasionis suæ, seu potiùs amentiæ quasdam rationum umbras, quas omnes hic loci persequi, & nimis esset longum, & nos multum abduceret à proposito. Quicquid etiam foris obtendant, intùs latet Veræ Pietatis & Veritatis Evangelicæ odium. Cum eo vero contendere, qui, ut ille ait

—— Ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει

nimis esset inutilitèr studium locare. Quibus quidem deest ad utiliora ingenii vis, quibusque nihil domi aliud est quod agant, aut unde se alant, Authores essent hi homines, huic se studio dandi in mancupium; ut qui vegetâ mentis indole, & ingenii acumine ad altiora feruntur, sterili ejus jugo deprimerentur, haud æquum esse censent. A quoquam autem Divinam hanc Sapientiam quæri, in alium fructum finemve, aut esse quærendam, quàm ob opes, divitias, honores, popularem venerationem, aut Virorum Principum favorem, ne per somnium quidem unquam cogitant. Hinc omnem ejus optant intra limites sisti inquisitionem, ignavissimis, occupatissimis, etiam mortalium sceleratissimis pervios; quos quicquid ultra est, inter vana, ficta, curiosa, incerta numerandum esse statuunt. Quamvis enim rem ipsam ad vitæ rationes aliquo modo necessariam judicent, exactam tamen & diligentem ejus accurationem, ista secum ferre incommoda arbitrantur, quibus ut maturè occurratur, publicæ pacis & religiosi istius affectus quem parit ignorantia, plurimùm intersit.

Facilior autem est causæ nostræ adversus harum Belluarum incursus, defensio, quàm ut in ea magnoperè sudem. Verbo dicam; ὅσ' οὐκ οἴδασι βλασφημοῦσιν; *neque intelligentes quænam sit Theologiæ natura, quisve finis, nec quanti sit non perire æternùm. Olim fateor ab Hypocritis dictum;* Quæ fatigatio? *&* quod lucrum? *Malach. 3. Qui verò seriò perpendent Deum nusquàm majorem in præceptis adhibere Severitatem, aut in promissis Gratiam quàm cum hanc sui cognitionem à nobis exigat, iis cum juxtà non sentient, nisi ipsi etiam premantur peccati dominatu. Paucissimi quidem sunt, iique aut mancipia pauci laboris, aut palàm impii, qui apertè, &* γυμνῇ, *quod ajunt,* τῇ κεφαλῇ *stultitiæ condemnant industriam omnem in Veritatis Cælestis studio & disquisitione positam. Verùm qui reverà quicquid temporis ei impenditur, inter damna reputant, neque pauci sunt, neque impii videri vellent. Nec de iis solùm loquor, quorum tanti interest hâc in re non esse peregrinos aut hospites, quanti est ipsa animarum Salus, quæ omnium hominum est conditio, sed de iis etiam, qui ex professo ad Sapientiæ hujus se studia conferunt, ac sacrorum se illius Mystas profitentur.*

Hinc postquam aliis quibuscunque studiis, aliquot annos Theologiæ nomen obtentui fuerit, Politici, Medici, Poetæ, Oratores, Historici, Philosophi, plures prodeunt; aut utinam prodirent, cùm nihil minùs sint, quàm quòd maxime videri cuperent. Habitus enim aut vestes peculiares, incessus, vultus ad falsam & umbratilem modestiæ speciem compositos & fictos, quod inane superbiæ, insolentiæ, contumaciæ tegumentum pellucet quàm cribrum crebrius, Gradus & dignitates, aliasve otii, opum, dominationis nomenclaturas, Theologos non conficere, dudùm est quod deprehendimus experimentis. Atque hæc inde eveniunt quod reverâ Sapientiæ hujus mysteria, neque curent, neque ament; & quamvis ejus nominis obtentu in alios fines impudentissimè utantur, cum cælesti & spirituali ejus Virtute, Puritate, & Efficaciâ intimas agunt inimicitias. Sed mittamus hunc numerum habent mercedem suam. De illis etiam dicentis qui in studio Theologiæ variè impediuntur, ad eos qui sibi ipsis unico sunt impedimento, haud pertinet oratio. Id quidem quod maximè in negotio hoc studiosis obstat, est mentis humanæ nativa & vitiosa cæcitas; quàm nisi is sustulerit Spiritus sui efficaciâ, qui olim dixit vt è tenebris lux splendesceret, *ventos reti venabitur, quisquis Sapientiæ hujus investigationi studium & operam locat. Cùm autem nobis de eâ in ipso Libro pluribus ex professo agendum sit, eam hic loci prætereuntes, ista solùm persequemur, quæ ex variis causis particularibus, horum studiorum rationem instituentibus plurimùm officiunt. Ea vero cùm ad duo capita pertineant, quorum vnum Studiosos, Studia ipsa alterum spectat, prius uno alteróve exemplo perstringentes, posterius quantum causæ & proposito nostro satisfaciat, tractabimus.*

Primo autem in loco se nobis offert Socordia ista, quâ studiosorum partem nonnullam, non minimam torpescere videmus. Facile quidem esset vitium istud accusare; & si quæ in eam sententiam dici possint, exprimere coner, immensa esset oratio. Cùm vero eâ flagret infamiâ, ut non alitèr sibi, nominisque sui existimationi consulendum ducant, quàm si eam verbis saltem malè excipiant, etiam ignavissimi, eo onere libentèr nos levabimus. Latentes ejus causas, quo meliùs iis occurrat, quisquis unius vitii mollitie, totius vitæ fructus damnum compensandum haud ducit, paucis extraham in lucem. Harum præcipua est concupiscentiæ innatæ efficacia, in voluptatum amorem pruriens. Fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, luxuriâ impeditus, quidquam eorum seriò cogitaret, in quibus nisi gnavus sis, & frugi, frustrà laborabitur. Emollit animos omnis servitus, ea præsertim quæ est peccati. Cùm verò omnem ingenii laborem horreat mens concupiscentiæ

addicta,

addicta & dedita, quoniam ipsam occupet vitium naturæ, & tenebris obstrictam teneat; ita eum qui res divinas & spirituales versandas suscipit, penitissimè aversatur. Hinc fit ut postquàm ad istam quæ naturæ depravatæ inest, novam sibi in peccati servitute vitiorum ἕξιν contraxerint, plurimos videas multis nominibus Veritatis divinæ studio devinctos, quos tanquam equos delassatos, nullis stimulis ad viam institutam pergendam cogere possis; ea præsertim assequutos, quorum gratiâ grave illud onus aliquandiu forsan sustinuerunt. Ut quis enim simul φιλήδονος esset ac φιλόθεος est impossibile. Et tamen ea est inter plurimos à sanctissimâ Christi doctrinâ fœdissima defectio, ut neutiquàm satis habeant se iis libidinum incentivis, quæ Mundus in malo positus omnibus continuè suggerit, incuriosè, securè, & negligentèr objicere; sed insupèr sedulò, & cum curâ ea persequuntur, quæ sibi aliisque voluptatum sint fomites, & ad peccandum illicia. E perniciosa sobole, quæ ex radice hâc in totâ humanâ vitâ pullulat, Socordia ista est, quæ animas prius rebus omnibus arduis, præclaris, divinis dejectas, & ad vana, putida, pereuntia mancipatas, æternùm perire cogit. Scio quosdam dùm nimio rerum terrenarum desiderio æstuant, studiorum tædia subire velle; atque ex eo animos ad tempus sumere, quod omnes industriæ nervos propediem est incisurum. Atque horum quidem nonnulli sententiâ persistunt, donec propositum assequantur; hoc est, opes aut honores adepti fuerint, quæ illis studiorum omnium meta est; plures autem longè paulatim labascentes inertissimo & turpissimo se otio dedunt. Quòd ideò eorum qui se bonarum artium studio, atque adeo divinæ ipsius Sapientiæ addixisse profitentur, tot incultu & socordiâ torpescere videmus, ex eo præcipuè evenit, quod vitiosos & carnales mentis affectus, Spiritu & Gratiâ Christi subjugandos haud curent. Frustrà enim expectatur, ut animus vitiis æger, honestos ullos conatus destinet, aut in quicquam laude dignum diù incumbat. Ineptius autem & à naturâ rerum abhorrentius nihil quidquam fingi potest, quàm ut qui fastui, superbiæ, ambitioni, avaritiæ, ullíve pravæ naturæ corruptæ concupiscentiæ indulget, se ritè & cum fructu studio sanctissimæ Revelationis mentis Dei in Christo operam dare posse autumet, aut in umbratili istâ exercitatione, quam prorsus iniquâ mente ad tempus tolerat, perseverare.

Præterea est in multis insanabilis quidam ingenii defectus, qui spe profectus destitutus, in excordem inertiam desinit. Rarissimus enim est ab iis quorum maximè interest, in studiosorum institutione ingeniorum delectus. Pædagogi mercede conducti, operam omnibus promiscuè locant, & perinde est quis ad Scholas adducitur, modo non desit quod numeret. Eâdem Lege vivitur in Academiis.

Hinc

Hinc plurimi incedunt togati, studiis æque apti, ac vulpes aratro. Innumera sunt quæ hosce homines steriles & infæcundos aliquot naturæ nisus expertos, transdunt in Otium & Socordiam. Et benè esset, si bonas artes frustrà susceptas desinerent, si non pergerent in malas. Verùm ab iis negotiis quibus forsan pares fuissent, ea suscipiendo depulsi quibus sunt prorsus impares, cum in hisce laboris tædeat, ad illa pudeat reditus, plerumque se ingurgitant in flagitia. Hisce addere possumus seculi exemplum, palam deficientis ab omnibus sanctissimæ Religionis Jesu Christi institutis, atque non tam proni, quam præcipitis in vitia. Simul ac hujus contagio tanquam pestilentia juventutem studiis dicatam invaserit, spretâ industriæ, modestiæ, pietatis, sui abnegationis, præparationis ad crucem ferendam curâ, votorum illicò ei summa est, ut à discincta seculi fæce, stragulis nescio quibus distincta, in aliis omnibus illius sit quàm simillima. Hinc luxu & otio diffluere, superbire, consumere, bonorum exempla parvi pendere, vitam Evangelicam imò moderata omnia contemnere, nec tamen dubitare, quin sibi de Cœlo talia agentibus devolutura in sinum sit Sapientia. Quid verò aliud ab istiusmodi hominibus expectari debeat, quàm ut paulatim omnem studiorum laborem remittentes, ingenii viribus obducant Socordiam? Hisce vero pernitiosæ desidiæ causis nisi sedulò invigilent & maturè obsistant Studiosi, utcúnque ex inani quodam animi tumore, quem inflant seculi typhus & consuetudo, sibi sint Suffeni, nemo prudens in profectus eorum, qui alicujus frugi sit aut momenti, spem se venire unquàm patietur.

Porro! plurimos, ut de iis secundo in loco agam, quos non pessundant Voluptates, & Socordia, in devia abripiunt Sectarum & Partium studia, adeoque plurimùm eis officiunt in inquisitione Veri. Partes in Religione constituit opinionum diversitas, augent firmantque rationes aliæ plurimæ. Verum in eis maxima est ingeniorum Ludificatio. Neque enim ullos servili magis animo Sectæ addictos & mancipatos invenies, quàm quosdam qui quoniam eo Orbis Terrarum Angulo ubi eis ætatem agere contingit, ad Partes quæ numero abundant, pertineant, nihil in se suspiciendum magis arbitrantur, quàm quòd Sectas omnes sceleris condemnent & ineptiarum. Ita plerisque visum est Sectas constituere, non hominum animos, sed numeris defectum; nec nomen illud parere rerum sed locorum discrimina; cùm reverà ubi servili animo, adeoque, ut ita dicam, sectario, vel ob seculares quascunque rationes, in concordiæ formulam consentitur, ex consentientium numero, augetur Sectæ pernicies. Sed non id nunc ago, ut Sectæ naturam exponerem, vel insectarer vitia; illud unicè dicam quomodo ejus studium, Veræ Sapientiæ studio præpedimenta objiciat. Id verò inde fit, quòd ultra Sectarum placita sapere, plurimi ex quibus constant nefas ducant; cum ei, cujus pars quisque est, omnem

omnem scientiam, pietatem, doctrinam sapientiam includat tanquam cornucopia. Dici non potest quæ hinc oriunda, infirmos animos, pravis affectibus obnoxios, iniquis suspicionibus opportunos mala invadunt; quæ omnia in Veri disquisitione judicia hominum tardant; & quod pejus est, cum menti inducunt habitum, pravum, fastuosum, disputatricem, cui dona sua immiscere Spiritus Sanctus non vult. Virum qui reveretur Iehovam ipsum docebit quam viam eligat; Arcanum Iehovæ adest reverentibus ipsum, ut fœdus ejus experientur. *Qui reverà Sectæ opinionum vernæ non sunt, sed eà sibi rebusque suis promovendis utuntur, istorum zelo cæco, & stultitià fruuntur suavitèr, neque iis tamen minùs favent* Sectæ *honori, aut jurant in utilitatem, neque minorem præ se ferunt aliorum contemptum, quàm illi odium. Haud gravius verò ullum est in veritatis divinæ studio præjudicium, neque quod animum pravis affectibus impeditum obfuscat magis, quàm ex eo oritur, quòd quis vel quasi nascendi conditione, vel aliorum institutione, vel rerum terrenarum desiderio, priusquàm sincerum, liberum, & maturum judicium exercere noverit, numerosæ in Religione* Sectæ *inseratur, cujus præsertim cultui famulantur opum, dignitatum, & venerationis popularis illicia. Secta istis, veritatis, & studiorum omnium norma est & mensura; neque ullâ magis in iis quæ aggrediuntur Censurâ utuntur, quàm cautione religiosissimâ, ne imprudentes incidant in aliarum* Sectarum *placita; atque ita lumen forteàn ab aliis mutuarentur, gratissimorum, & sæpenumerò utilissimorum errorum dispendio. Doctos intereà, intelligentes, prudentes, pios, se solos arbitrantur, mirum ni sensu quodam, sapientiâ, pietate* Sectæ *communi; hoc est fide carbonaria. Hinc etiam rixæ, odia, lites, & disputationes æternæ oriuntur, quibus longissimè absunt omnis Christiana charitas & mansuetudo. Citius in gratiam post mutuas clades ingentes redeunt Reges, quàm partium studio inflammati Theologi. Neque quidquam tam absurdum, indoctum, futile, imò penè impium in rebus Religionis evomi potest, quin si abs eo procedat, qui numerosam familiam ducit, comitatur, sequitur, statim ac ancile cælo delapsum, illud amplectuntur* Sectæ *mirones; qui in hoc unum invigilant acritèr, quomodo suorum prave dicta defendant, aliena benè dicta impugnent. Si quem autem qui suarum partium non est, non ineptire, aut non nequam esse in animum tandem inducant, quod fit rarissimè, cum eo statim simultates exercent omnes; & nemo est qui non illum libentissimè triumpharet, quamvis in re triobolari, aut non gauderet ab aliis triumphatum. Miserrimi homunciones, qui pessimam sibi imperantes servitutem, dùm alios errorum, inscitiæ, etiam Hæresis &* Schismatis *grandi supercilio damnant,* Sectæ *fisi, pessimæ forsan quæ iis solis* Secta *non est, omnia ista sæpissimè asciscunt sibi in peculium, nisi*

* 2 ideò

ideò nihil horum in eos dici possit, quia exuperat stultitia illorum omnia hæc. Istiusmodi hominibus in eo quod agimus de promovendâ veritate divinâ negotio, quidquam mihi commune fore haud arbitror. Norunt omnes sapientiæ limites, & quousque fines suos extendat divina veritas; hoc est, Sectæ placita. In terras enim sibi ignotas navigandi haud subibunt periculum, qui auri satis domi habent, vel quod auro non contrà carum existimant. Abs horum itaque hominum institutis usque adeò divertit nostrum propositum, ut nullam unquam in spem veni, ut ea quæ nobis disserenda statuimus, vel in commodum illorum quidquam conducerent, vel eis ad palatum saperent. Eos præsertim sive omittendos sive negligendos duxi, quibus cæcus sui Sectæque amor usque adeò rationis lumen extinxit, ut non intelligant se non ob aliam causam cum omnibus, uti quidem præ se ferunt, Sectis simultates excercere quam ut ea cui se in mancupium addixerunt sola dominetur. Neque hæc ideo à me dicuntur, quasi non necesse haberet omnis fidelis se Cœtui alicui fidem in Christo & cultum Dei abs ipso præscriptum profitenti, adjungere, nisi ἄτοπος & ἄτακτος censeri mallet; id verò in infinitum pœnè interest, quo animo quis eorum ulli se adjungat. Is, qui se priùs Domino nostro Jesu Christo deditum, ad eorum aliquem qui cum veritatis divinæ studio & professione, àc mandatorum Domini Jesu observatione, veram pietatem, sobrietatem, justitiam, modestiam, à mundo separationem sanctè colit, ideò se applicat, ut privilegiorum spiritualium Ecclesiæ, & donorum in eâ Spiritus Sancti particeps factus, ipse etiam quod suarum partiũ est in promovendâ corporis Christi in Fide & Charitate ædificatione pro virili satagat, is quidem meo judicio rectè egerit, & secundum quod officii nostri Christo in Evangelio debiti ratio postulat. Eos solùm veritatis cursum sufflaminandi reos peragimus, qui rationibus aut pravis, aut secularibus, aut nullis, sed quasi casu quodam, aut rerum externarum quibus implicantur impetu in Sectæ oras delati, carnalibus fortàn ejus prærogativis elati, omnes alios quasi nunquam nati essent, respiciunt. Sed mittamus ulteriorem horum hominum considerationem, quorum sine speciali Dei gratiâ insanabilis prorsus est animi morbus; cùm in eo non tantum sibi maximoperè placeant, sed seriò triumphent; neque eos qui à superstitiosâ intemperie quâ agitantur illos liberarent, servare se, sed occidere velle arbitrantur.

Pergamus ad ea studia quibus expoliuntur hominum ingenia, Sapientiæ aliquando cælestis investigationi addicenda. Nam ἀρχὴ παντὸς ἔργου μέγιστον. Vereor autem nè in iis vitia lateant quibus mentes occupatæ prægravantur in veritatis divinæ studio. Nolo Ego hîc quidquam eorum commemorare, quæ de tradendis disciplinis alitèr quàm vulgò fit scripserunt

viri

Viri undiquaque docti, atque rerum usu excercitati; cùm moris seculi tædeat, quo si quid istinsmodi producatur, illicò rapitur in rixarum, φιλεριδίας, & garrulæ inertiæ fomitem; & si paulò altiùs se extulerit etiam invidiæ. De iis agere quæ ubivis sunt in usu ad institutum nostrum pertinet. Cùm autem Theologiæ studioso præter ea quæ de Gratiâ & Spiritu Christi alibi dicturi sumus, opus sit Judicio subacto, mente candidâ, sincerâ, & præjudiciis vacuâ, affectibus piis, & moribus honestis, nos hîc loci paucis dicemus vitia ista in studiorum aditu vulgari, quæ nisi maturè coerceantur, aut affectus depravare & mores corrumpere, aut mentem ipsam errorum & inanium ratiocinationum tendiculis, è quibus quisquam haud facilè se expediet, illaqueare apta sunt. Initium faciamus à Poesi, *quâ olim fundamenta sua posuerunt Literæ; atque unde plurimi etiamnùm studia auspicantur. Habet illa laudes suas, hederasque, quas me haud invito feret. Quod in laudibus Dei vivi decantandis, Sanctis hominibus eâ antiquitus uti placuerit, illam sibi comparavit laudem, quam intuebitur æternitas. Est etiam quædam ipsius Antiquitatis Authoritas & reverentia; præsertim cùm ne exolesceret, per tot seculorum ætates quæ in eâ se exercerent, nacta sit summa ingenia. Fatendum etiam est vetustos ejus excultores, eâ vegeta ingenii & subtili sagacitate in moribus hominum vitiosis affabrè & dextrè pingendis fuisse versatos, atque eâ insuper verisimilia fingendi peritiâ, cujus imitatione ad veri ipsius investigationem excerceri possint aliorum ingenia, usos, ut non mirum sit si nominis famam per totum penè orbem late diffuderint. Maximum etiam in ipsâ Arte situm est sine dubio animorum delinimentum; quod tamen non dubitavit Ethnicorum sapientissimus cum tibicinarum delectatione comparare, quos imperiti homines ad exhilarandos animos in conviviis pretio conducunt, cùm propriis sermonibus præ imperitiâ invicem non possunt esse grati. Cuncta verò quæ demulcendis hominum sensibus, & deliniendis animis dicendi lenocinia inserviunt ambitu suo complexa, & faciles ad mentis affectus rebus ipsis accessus parat, & eas tenaciùs affigit memoriæ. Sed non id nunc mihi negotii datur, ut quisnam sit aut* Poeseos *aut veterum* Poetarum *usus dicerem, quem magnum esse fateor; sed quis utriusque abusus, quem majorem esse censeo. Neque enim in Oratoris sententiam discessi qui solidam in* poesi *utilitatem nullam agnovit, omnemque affirmavit delectationem ejus esse puerilem. Verùm hominem arbitror neminem esse quem latet, quâ labe, imò quibus sordibus ab ipsis ejus inter Gentilium Sapientes primordiis, fuerit inquinata. Si enim auferes hominum flagitiosorum* Ἀποθέωσιν, *Deorum* Ἀνθρωποπαθείαν *Adulteria, Cædes, Jurgia, Rapinas, peccata innominanda; Hominum quos imitandos proponunt, Mendacia, Amores impuros, Vafritiem, Crudelitatem, Ambitionem,*

 Tyrannidem,

Tyrannidem, Flagitia, Idololatriæ Ritus nefarios, superstitiosos, ipsiusque Diaboli cultum, nani & pumili erunt Libri quibus dominatur Antiqua Poesis,*qui nunc mole incedunt Giganteâ. Istis addidit* βωμολοχίαν *vetus Comœdia; quâ cum hominum* ἀκακῶν *vituperatione,* τὸ γελοῖον *dominabatur; quam bipedum nequissimorum dicacitatem, seu maledicentiam, qua hodiè multi plurimùm delectantur, sustulit* Macedonum *potentia. Ista qui cum Arte & curâ, qui sine pudore aut modestiâ ita exposuit, ut aculeos in animis legentium relinquat, atque similes incendat affectus, is si non primas ferre, saltem inter alios eminere putatur. Flagitiosis istiusmodi fabulis ab ipsâ infantiâ imbuitur infœlix Juventus, quas dum meditantur, spirant, proferunt incauti, vitiosam (& non rarò inexpugnabilem)* ἕξιν *animis inducunt. Eos ab annis tenerrimis in deliciis habere, fovere sinu, nocturnâ & diurnâ versari manu jubentur, quos Ethnici omnes, qui ullatenus ruenti in pejus seculo nè penitùs pessundarentur mores humani generis, se opposuerunt, procul â bonorum omnium consortio amandandos esse censuerunt. Negabant* Sapientes Nudi *quenquam apud Græcos* Sapientem *aut justum esse potuisse, quamvis maximè voluerit, quandoquidèm aures præbuerint* Poetis *alia omnia docentibus; referente Philostrato in vitâ Apollonii. Quemadmodùm enim aliorum vitiis utantur plerique Juvenes, ostendit Comicus in suo Chæraa; de quo Exemplo multa Augustinus in Libris de Civitate Dei. Notissimum etiam est Socratem Platonis è civitate istâ hominum bonorum quam condebat,* Poetas *exegisse; factum approbarunt alii, haud minùs quàm ille docti.* Videsne, *inquit Marcus Tullius,* Poetæ quid mali afferant: lamentantes inducunt fortissimos viros; molliunt animos nostros: ita sunt deinde dulces, ut non legantur modò, sed etiam ediscantur. Sic ad malam domesticam disciplinam, vitamque umbratilem & delicatam, cum accesserunt etiam Poetæ, nervos omnes virtutis elidunt. Rectè igitur â Platone educuntur ex eâ civitate quam finxit ille, cum mores optimos, è optimum Reipublicæ statum exquireret. At vero nos docti scilicet èt Græciâ hæc & â pueritiâ discimus, hanc eruditionem liberalem & Doctrinam putamus. *Verùm aut hæc ab istis dicta fuere incuriose & sine ratione, aut nostrum plerique quàm illi minùs rectè sapiunt, & de morum honestate minùs sunt soliciti; aut rationes quibus nitebantur haud æquè ad nos atque illos pertinent; quorum quid dici debeat facilis est & levis controversia, quam quivis nullo negotio expediat. Verum est* Stoicos *fabulas Poeticas torsisse ad interpretationem naturalem, ad moralem alii, ineptissimè ea Fabulatoribus ascribentes, quorum nunquam quidquàm eis in mentem venerat; quod multis ostendit libris istis eruditissimis quos de præparatione Evangelica scripsit Eusebius;*

Eusebius; *atque ante eum Marcus Tullius*; Utrum,*inquit*,Poetæ Stoicos depravaverint, an Stoici Poetis dederint authoritatem non facile dixerim; portenta enim & flagitia ab utrisque dicuntur. *Ista verò quid ad pueros recens penè cunis exemptos? qui dum voluptatem & laudem in Fabulis istis putidissimis venantur, sæpenumero miseras animas veneno malo vitiatas effundunt, illis applaudentibus quorum esset teneris annis veram Dei venerationem instillare. Sed uno verbo, aiunt, doceri possunt, portenta Fabulosa esse ea quæ discunt, & vitanda esse plurima quæ præconiis celebrant, quos legunt, Authores. At nemo, opinor, est tam infæliciter stupidus, qui non putri ulcere carere mallet, quàm malagmate, & veneno lethali quàm antidoto. Si ea quæ referunt Poetæ sint falsissima, quæ celebrant turpissima, cur istorum notitiâ, horum laudibus teneram ætatem non tam instituere, quàm perdere festinamus? Certa magis est malorum, quàm remediorum efficacia; Hæc itaque res apud summum puteum geritur.* Fraudulenta super omnia sunt corda hominum & lethaliter mala: *Scimus quid sit mens humana Gratiâ divinâ nondum illustrata; quo impetu feratur in libidinum delinimentorum amplexum; quàm pigra, tarda, & contumax sit, cùm meliora & salubriora suggerantur; quáque facilitate dilabatur in putidissimarum imaginationum habitum. Qui innatam ejus vanitatem ab omnibus voluptatum & libidinum incentivis omni modo cohibendam negaret, Christiano nomine prorsus esset indignus. Nam piget istiusmodi Christianismi, qui cum genuino nomen nihil præter habet commune.* At necesse est,*inquiunt*,ut imitemur antiquos. *Verùm animos judiciis nondum maturos, fabularum vitiorumque colluvie contaminare, flagitium est, & stultitia summa, non ad imitationem utilem instructio.* Μὴ πλανᾶσθε, *inquit Apostolus*, φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί; *quæ verba ideo ex Menandro retulit, ut Hieronymus, vel potius Euripide, ut proverbio ipsis noto, quasi proprio eos jugularet gladio. Negant quidem multi se maculæ aut inhonestamenti quidquam ex primâ in libris Poetarum institutione in se admisisse, atque proinde ut aliis sint exemplo, ea sibi ad senectutem usque discenda putant, quæ pueros solùm non didicisse turpe est. Sed non omnibus contingit tali esse amuleto instructis, ut quandòque volent pesti se immisceant salutis securi; neque omnibus inter Sacrum & Saxum positis, nube velari Homericâ. Qui se, qui innatam mentis humanæ pravitatem, qui Sanctitatem Evangelicam norunt aut curant, qui credunt se omnium studiorum suorum rationem tandem Deo reddituros, in aliâ forsan erunt sententiâ. Imò, aut illud non est, quod legimus, Evangelium, aut hominum istorum superbia, & φιλαυτία, cum Gratiæ divinæ, & sui abnegationis contemptu se efferentes, sine resipiscentiâ sincerâ ibunt in judicium. Usum quidem inter*

alias disciplinas seculares, qui non alius est quàm naturalium facultatum animæ cultus, in principiorum ingenitorum elicitatione & exercitio distincto positus, quo latior fiat mentis rerum comprehensio, acuatur perceptio & vis discernendi, augeatur memoria, aliquam habere posse ipsam Poesin, haud diffitemur. Verùm nisi abrasis unguibus & pilis, civitate eam donari Christianâ haud æquum censemus. Id quemadmodum fieri possit, & legitimus Artificii hujus usus instaurari, missis istis pravorum affectuum delinimentis, etiam & omnibus impuritatis Magistris, quibus plurimi vel nimis diù, vel nimis negligentèr, nec à veneno quod propinant satis cauti, nec in recto eorum usu, si quis sit, satis instructi, operam dare videntur, non hujus loci est enarrare. Evicimus, ni fallor, neque quidquam ulterius præsentis instituti ratio postulat, incautam juventutem judicium aut nullum aut infirmum admodùm in veritatis discrimine adhibentem, Poetarum lectione & studio sine delectu versatam, damnum sæpius è fabularum, & flagitiorum contagione facere, haud facilè resarciendum. Facile esset huc exscribere quæ de hac re scripserunt veterum Doctissimi; Clemens, Origenes, Tertullianus, Hieronymus, Augustinus aliique; sed ea non sunt doctis ignota. Atque hic magnus iste est literatura præparatus, è cujus impuris caloribus, ad mysteriorum Evangelii & cælestis Sapientiæ studium animos plurimi fumantes applicant. Penetralia sua istiusmodi pulsatoribus contaminanda, augusta oracula despicienda reseraturam divinam veritatem, in spem ullam venire, non nisi extremæ est dementiæ. Neque enim adeò unquàm vanis hominibus projecta erit Sacra Theologiæ dignitas, ut iiscum arcana sua communicaret, qui tantum absunt quò vim ejus cælestem experiri seriò expetant, ut affectibus & studiis, communis etiam probitatis, sanguinem, succum, & vigorem omnem exsugentibus, se penè totos dedant.

Nec angue caret herba Philosophica. Veterum Christianorum nonnullos, ita Christum induisse, ut non satis exuerint Platonem jam vetus est Virorum Doctorum querela. Neque sane verecunde à quoquam negari potest reconditissima Evangelii mysteria in sensus Philosophicos eos detorsisse, non sine magna veritatis divinæ jactura atque Ecclesiæ noxa. Verùm levis erat & tolerabilis illa fidei calamitas, cum pauci fuerint culpa isti affines, atque in paucissimis nimia ista licentia usi, ei collata, quam ex penè omnium in omnibus Philosophiæ Peripateticæ misturâ posteà pertulit. Id alibi ostendimus. Quænam è vulgatâ studii ejus ratione mentibus studiosæ juventutis, per anfractus illius tortuosos & centones prodigiosè contextos ad alia festinantis vitia affricantur, uno aut etiam altero allato exemplo heic loci dicere statui. Atque hic primò se nobis offerunt malesana vulgatæ Ethicæ Theoremata; Beatitudinem istam quam virtute prosequimur, cujus aditus

varie

varie olim & frustrà elaboravit humanum ingenium, in vitâ hac mortali obtinendam esse omnem, totius molis basis est & fundamentum; tum demum enim quenquam Fœlicem esse dicere cum fato functus fuerit, παντελῶς ἄτοπον pronuntiat Aristoteles. Verum idem fœlicitatem ærumnosam, cui propriis stipendiis militarent virtus & industria repudians, τῆς ἐκτὸς εὐημερίας indigentem constituit, adeoque moli calamitatum sustinendæ imparem quæque eripi possit invitis, & immeritis; incertus intereà (quasi ista invicèm pugnarent) Deo alicui eam ascriberet an virtuti. Putaret haud dubio Jobum nostrum ærumnosum, miserum, & infœlicem, secùs àc se de Regulo suo sensisse ait Marcus Tullius. Sed nemo pene est qui nescit quam procul absit quicquid intelligi potest de eâ Beatitudine quam deprædicat, abs illa cum Deo communione qua sola initium hic sui ponit futura Sanctorum fœlicitas; atque omni illo cujus nos nomine beatos pronuntiat Evangelium, nisi cui ipsum Evangelium est opertum. Porrò; Virtutis quam cum ratione quadam insaniens, ἐν κακιῶν μεσότητι consistere fingit, eam adhibet regulam & præscriptionem, quæ certissimè efficiet nè quis unquam certo sciat quid virtus sit, quid vitium. Rejecta enim propria animæ rationalis agitatione, & solerti, quæ Socrati placuit, indagatione, ad nescio quas arbitrarias prudentium finitiones studiosos remittens, abunde satis cavit, nè quid invenirent firmum aut stabile ubi pedem figerent, nè quid quod perpetuam mentis humanæ vacillationem sisteret. Vitium ut hoc vitaret, in majus incidisse, hominem perfectè sapientem esse posse dictitantem, eum qui perfectè sapit Deum esse non ignorantes, judicabunt. Ad modestiæ proculdubio magis limites & sortis humanæ sensum se composuisse censendus est Fabritius iste Romanus, cui apud Pyrrhum Regem Legato, prodigii instar erat Cyneæ Thessali oratio, nescio quem, apud Græcos se sapientem dicere sustinuisse, referentis. Atque ut alia innumera de virtutibus perperam dicta prætercam, qui in illius sententiam, Fortitudinis virtutis maximè divinæ exercitium ad res bellicas astringentem discesserit, necesse habebit non tantum σπουδαιοτάτοις & sapientissimis Gentilium, sed & Christo ipsi & Sanctis Martyribus laudem ejus abiudicare. δίκαιον νομικὸν in Legumlatorum arbitrio situm, atque à φυσικῷ distinctum, figmento in contumeliam Religionis & pernitiem excogitato, principium statuit & normam cultus divini, unde discant homines quis Deus, & quomodo sit colendus. Novimus etiam quorsum in Theologia non sine veritatis cœlestis dispendio, effata quamplurima ejusdem Philosophi, de actionibus involuntariis, de Justitiâ, aliisque, haud invita, à nonnullis trahantur. Ipsam denique virtutis quam exponit rationem, qua sola ad beatitudinem aditus comparatur, si contemplari liceat, superbam potius opinationem umbram quandam virtutis venditantem, perspiciemus, quàm eum qui sortem humanam, & à

summo

summo Deo dependentiam, decet mentis affectum. Præclarè enim agitur cum eâ virtute, si vitiis anteferatur, cujus finis Dei Gloria non est, nec Gratiæ initium; neque regula, aut ipsa rerum natura, aut divinæ mentis Revelatio; sed quæ ab hominibus ortum ducens, eorundem industriæ unicè in progressu nititur, tandemque in ipsis terminatur. Istiusmodi hypothesium nassa irretitus adolescentulorum animus, quo se ab ejus nexu & laqueis extricet, haud facile est inventurus. Alia omnia decet Evangelium. Verumenim verò res est operosa nimis neque hominis indiligentis, persuasionum dogmata quibus mens recens imbuta est, radicitus evellere; præsertim ubi nemo est qui ea data opera falsa esse doceat. Neque possibile est ut invicem Pugnantibus rationum principiis & momentis, eodem tempore mens assentiatur. Hinc æstu quodam & fluxu variarum cogitationum reciproco vacillantes animos & veri incertos, adversis quasi ventorum ictibus oppugnatos, in Atheismi syrtes præcipitaret δυσωπία ἀμφίβολος, *nisi quæ est plurimorum conditio, verborum cortici utrinque adhærescentes, rerum ipsarum vim & efficaciam experiri nunquam seriò satagerent. Cum enim celebratissima Philosophiæ moralis Theoremata, & Evangelii mysteria neutiquam inter se pacem colant, necesse est ut qui illis fidem adjungentes mentes eis conformes reddunt, horum prorsus sint incapaces. Miserum quidem istud est solatii genus, quod in tanta studiosorum turba paucissimi sint qui doctrinâ istâ morali intimè imbuantur. Sed ità est, Erudite lector, ità est profectò? ad rixarum larvas seu somniorum umbras ita componuntur Juventutis studia, ut terminorum, distinctionum, definitionum pleni, res ipsas vix primoribus, quod aiunt, labiis degustent; quique eo animo Ethicen adeunt, ut ipsi prudentes, justi, sobrii, fortes evadant, & verè* σπουδαῖοι;

——— Numero vix sunt totidem quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Philosophia moralis Gentilium practica erat in honestate morum & gravis institutio, secundum optimas quas scirent virtutis regulas; lubricas illas quidem & incertissimas, sed tamen quas excogitare potuerunt, optimas. Neque enim illi nostrum similes erant, qui reperto tritico glande vesci mallemus. οὐ γὰρ ἵν' εἰδῶμεν τί ἐστιν ἀρετή, σκεπτόμεθα, *inquit Aristoteles*, ἀλλ' ἵν' ἀγαθοὶ γενώμεθα. ἐπεὶ οὐδὲν ἂν ἦν ὄφελος αὐτῆς. ἀναγκαῖόν ἐστι σκέψασθαι τὰ περὶ τὰς πράξεις, πῶς πρακτέον αὐτάς. *Atque iterum;* ἅμα γὰρ εἰδῆσαι βουλόμεθα, καὶ ἀγαθοὶ εἶναι τοιοῦτοι. *Atque quotusquisque est qui in ejus scientiæ studio, id jam sibi habet deliberatum. Rudis adolescentulus, rerum inexpertus, in alia omnia intentus, vini forsan, somni, vitiorum plenus, ut more solito strepitum eruditè cieat in scholis, sesquianno, aut etiam semestris spatio, cursum nescio quem Ethicum, rapidum sanè & præcipitem, absolvere festinat. Sed mittamus*

ista,

ista, quorum est in hominibus ipsis vitium; de re ipsa agimus. Si igitur ad falsas istas opinationes quas superius memoravimus, quarum summa est cum nativa humanæ mentis superbia & stultissimo αὐτοδεξίᾳ convenientia, animum, quisquam omnium in Christo ἐγκεκαλυμμένων ignarus adjungat, vix credet Evangelio in aliis omnibus eum instituenti, seque nihil esse, nihil posse, sed cæcum, stultum, pravum, & miserum, Lumen, Sapientiam, Virtutem, Felicitatem omnem à Deo per Christum accipere debere docenti. Eas verò si fide non amplectatur, neque curet ad normam earum vitam instituere, benè esset, si strenuè, in eis versatus, nihil aliud perderet præter operam & oleum. Quamvis itaque eorum quæ admirabili ingenii ambitu & versura, multisque lucubrationibus in morali ista disciplina elaborarunt veterum Philosophorum nonnulli, maximum & pulcherrimum esse usum fateor, iis qui διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ habeant; haud tamen is rectè faciet meo quidem judicio, qui eos quibus summo Dei beneficio virtutum omnium regulâ certissimâ & infallibili, solaque eis mentibus hominum ingenerandis potenti uti licet, ad studia incerta, & fluxa, & Vera Sapientia inanissima, sanctam & honestam Deo vivendi rationem investigantes appulerit. Doctrinam verò morum nisi eo animo tradentem, ut unà ad normam ejus instituatur vitæ ratio, haud ferret ipse Aristoteles. Sed nolo plura de istis hic loci dicere, quorum rursus in progressu nostro occurret consideratio. Ad alia itaque procedet Oratio.

Nemo arbitror est paulò in hisce rebus oculatior, cui non displicet vulgata Philosophiæ tradendæ ratio, contentionum & digladiationum plenissima. Rejectâ omni aliâ Veterum Philosophiâ, ea penè sola retinetur, quæ est rixantium circulis maximè apta. Postquàm enim Vir extra omnem ingenii aleam positus in animum induxisset, aliorum in Philosophia sententias convellere, nimiùm in omni Doctrina providus & percautus extitit; ne scilicet forte an in eos laqueos imprudens incideret; quos suo exemplo posteros sibi structuros facile prospiceret. Itaque in omni philosophia curiosè incedit, quasi per cineres dolosos; & definitiones cudit quibus multò magis cavit, ut ab aliorum objectionibus sint tutæ, & ex omni parte munitæ, quam ut in lucem efferant res ipsas, quas explicandas suscipit. Hinc plurima in ejus Philosophia ad pugnas & lites perennandas sunt comparata. Ista ideò præsertim prout ab Arabibus est exculta, postquam hominibus suo Judicio valde acutis, & per digladiationes infinitas dominationi in Scholis unicè intentis, placuerit, omnis continuò Scientia, spinosis subtilitatibus intricata, in rixarum, & contentionum materiam & causam conversa est. Studium enim, per aliquot secula, Philosophiæ, nihil aliud erat, quàm ad futile illud quod in Scholis dominabatur disputandi cacoethes, apparatus ineptissimus. Sed neque inanis ista captiosè litigandi ratio, Authorem unquam habuit

Aristo-

Aristotelem. Theses is quidem nonnullas Discipulis suis defendendas tradidit, quemadmodum & successor ejus Theophrastus, quo certamen haberent facundiæ & acuminis; verùm in illorum disputationibus, contentiosarum illarum λογομαχιῶν, & circumscriptionum captiosarum quibus, uti loquitur Vir Doctissimus, ad duritiem frontis hodie eruditur infælix Juventus, nihil erat simile. Quicquid autem adhuc apud multos in Philosophiâ sudatur, non nisi victimæ, arti isti litigandi mactandæ, est paratura. Utrùm ea quæ legunt, quæ discunt, quæ docent, vera sint an falsa, fundamentum habeant in rerum naturâ, àn otiosorum hominum inanes sint speculationes, nihil pensi habent, modò sint altercationibus opportuna, àc dediscendam si sapere velint, augeant rixandi peritiam. Si quis vero tandem sannis, dicteriis, convitiis, consputionibus bene exercitatus, ad id scientiæ vel potius impudentiæ ascenderit, ut nullum altercandi finem faciat, is magno suo malo, eruditus habetur. Horum multos quotidiè videre est, quos ex anteactâ in disputationum exercitiis vitâ, Dialecticæ & Philosophiæ præceptis abundare censeres, cùm ad res serias deventum sit, quarum tractatione vel maximè opus est in istis scientiis peritiâ, penitissimè obmutescentes. Idquidem Ego sæpenumerò mecum magnopere miratus sum, donec ad alias causas, hanc etiam accessisse comperi, quòd veri & sani usus Artis Logicæ, atque solidæ omnis Philosophiæ, dum subtilitatibus spinosis & terminorum futilium congerie crucem sibi aliisque figere contenderent, prorsùs essent ignarissimi.

Hinc etiam aliud in Studiis vitium oritur; illudque longè maximum. Fines & limites Scientiæ non eos sibi propositos arbitrantur Studiosi, quos exhibet natura rerum, sed paucorum hominum scripta, qui ipsis nihilo sapientiores unquàm extitissent, nisi eo propriis animi sensibus nitendi beneficio usi essent, quo se datâ opera defraudant. Ætatem, quæ senserunt alii discentes transigunt; alienis semper credentes, nunquam ad se revertuntur, nunquam se vocant in consilium. In maximum enim suum incommodum ita comparata est corrupta humanæ mentis natura, ut sibi ipsis, eum contra, à cujus ope & auxilio in omnibus dependere debeant, lubentissimè fidant homines, aliis vero sibi similibus, quasi nullis ipsi à Deo dotibus essent instructi, se totos dedant in mancupium; quorum vitiorum altero infidelitatem, altero stultitiam, utroque ingratum animum adversus Deum produnt. Dici autem non potest, quantum hæc, & hujus generis alia, quæ vulgatam Studiorum rationem comitantur, quibusque se ad Sapientiam præformari multi arbitrantur, revera mentem vanis ratiocinationibus occupatam, in Veri inquisitione præpediant; quorum claustra quamvis in quibusdam revellant ingenii vigor, industria, & rerum usus, omnibus

tamen

tamen cùm ſint impedimento tardiores & lentos ſub turpi ignorantiæ jugo, ſaltem in literarum veſtibulo concluſos tenent.

Ipſam demùm ſpectemus Theologiam; Pauci ſunt qui in ejus Studio ſcopum legitimum & finem rectum ſibi proponunt. Non alium enim in fructum Studio huic multi dant operam, quàm ad quærendas opes, divitias, honores, & popularem quandam venerationem. Id ergò unicè in votis habent, iſtam ex Libris Theologicis peritiam haurire, undè rebus iſtis terrenis adipiſcendis, ipſi ſe, aliique eos cenſeant pares. Hinc res Divinas, & reconditiſſima Evangelii Myſteria, iiſdem animis, iiſdem ſubſidiis freti aggrediuntur, quibus ſtatuunt ſibi parandam ſcientiarum ſecularium cognitionem; atque intereà non dubitant, ſe eſſe Chriſtianos; cùm nihil quicquam ab Evangelio alienum magis in ſe quiſquam recipere poſſit. Docebimus Theologiam Sapientiam eſſe Spiritualem in Myſterii Evangelii verſatam. Neque alia erat ipſorum Gentilium Theologia, quàm in Myſteriis Religionum quas profitebantur, quædam Sapientia. Neceſſe eſt ideò ut ſcopo aberret, qui alium ſibi finem in hoc Studio propoſitum habet, quàm ut ſapiens, & ſpiritualitèr peritus evadat in Evangelii Myſterio. Quotuſquisque autem eſt qui in metam iſtam collimat? Vereor nè plures ſint qui hæc contemnent, neſcientes ſe eadem opera inſultare Evangelio. Ubi autem finem rectum ſibi conſtitutum non habent Studioſi, impoſſibile eſt ut non etiam peccent in electione mediorum. Imò etiamſi in media iſta incidant, quæ in finem eum ſunt ſuâ naturâ ſatis accommoda, cùm tamen ab iis alio deſtinentur, eorum vero uſu & beneficio ipſi ſe defraudant. Verùm media omnium maximè neceſſaria, plerumque nihili reputant; imò ſummo cum contemptu aſpernantur. Ex horum errorum tenebris, Theologiæ Evangelicæ loco dudum prodiit Scientia artificioſa, non illarum abſimilis quas vulgata Philoſophia tradit. Theologia enim dicitur, quædam Theſium, Definitionum, Argumentorum, Objectionum, Reſponſionum, Diſtinctionum ſyſtematica compages, quæ eſt confuſa μιξοφιλοσοφοθεολογία. Neque in eâ iſta traduntur verbis quæ docet Spiritus Sanctus, quæ ſpiritualia cum iis quæ ſunt ſpiritualia conferamus; *ſed terminis & diſtinctionum notionibus, quibus ſine minimo ſui diſpendio, omnis Sapientia, cùm humana, tùm divina carere potuiſſet, niſi neſcio quo caſu in mentem veniſſent Ariſtoteli. Doceant, in ea Scientia exercitatiſſimi Theologi, quid ſit Evangelium, quid Fides, Regeneratio, Juſtificatio, Adoptio, Sanctitas; illicò cuditur Definitio, non quæ aptiſſima ſit ad Lumen Spirituale fideliū intellectui deferendū, ſed quæ multa cautione præciſis verbis ita conſarcinetur, ut qui in alia ſint opinione, haud facile invenient, quomodo ſecundum ejus quæ in Scholis dominatur Philoſophiæ placita, in illam*

incurrant; quo solo, maximum consistit Definitionum Aristotelicarum artificium. Atque ita demùm Philosophiam Theologiæ ancillari dicunt, cùm reverâ ei dominetur, atque captivæ nequitèr insultet. Ubi quidem menti expoliendæ, ac facultatum intellectualium usui, exercitio, confirmationi inservit, ubi Divinæ Sapientiæ & Potentiæ in rerum naturis characterum impressorum vestigia perscrutatur, Sapientiæ omni, ipsique adeò Theologiæ ancillari dici potest. Verùm spinosissimarum Quæstionum de rebus ad Dei Cognitionem nihil pertinentibus in fines Theologiæ traductio, Veritatis Spiritualis terminorum subtilium catenis & vinculis constrictæ depressio, mentis ipsius, vanissimarum ratiocinationum habitu introducto, præjudicatio, quæ inter alia mala innumera vulgatum ejus usum comitantur, non servitium sed dominium denotant. Hinc autem fit ut præcellentissima Divinæ Veritatis gloria, & speciosa pulchritudo multimodè apud plurimos obscuretur. Scimus quàm tenuis & obscura esset, ea Veritatis umbra quam olim venerarentur Philosophi. Tantum autem ejus illos amorem & admirationem cepisse novimus, ut aliquoties in ejus contemplatione, ἔκστασιν quandam passi sint; cùm tamen non nudam eam & apertam, imò vix Veri speciem ullam conspicerent. Veritatis enim naturalis radii, qui eis illuxerunt, non alitèr se habent ad ea omnis Veritatis mysteria profundissima, quæ nobis exposuit è sinu Patris egrediens is qui Via, Vita *&* Veritas *est, collati, quàm ad solis radios meridianos, nocturna minutissimæ stellulæ scintillatio. Intrepidè ergo pronuntiemus, eum hospitem in Theologiâ, qui Divinæ Veritatis amore non est inflammatus. Esto quòd se spinosarum quæstionum ventilatione, multùm diùque fatigaverit, imò quòd Librorum Theologicorum maximus extiterit helluo; id tamen validissimo est argumento, non unquam vel per transennam, menti ejus illuxisse ipsius Veritatis pulchritudinem nativam, quòd non amore ejus ardescat, non rapiatur in pulchritudinis ejus admirationem. At ubinàm, quæso, Gentium, inter* Studiosos *invenire est istiusmodi animorum affectus? Quotusquisque est qui non aliundè studiorum suorum quærit illicia? Qui eo animo est, idque unicè constitutum habet, quomodo Veritatem amabilem, pulcherrimã, dilectissimam, notam sibi reddat & familiarem, seque ei conformem? In aliâ planè plurimi sunt sententiâ; grave onus se dorso suscipere in ejus studio arbitrantur, unde habeant quo se alant; si alio ad opes & honores via expeditior quovismodò se obtulerit, illicò audiet ingratus iste labor,* Salve æternumque vale. *Hem miseram Theologiæ conditionem! quæ à nobili, cælesti, spirituali, Veritatis supernaturalis & mysteriorum Evangelii contemplatione depulsa, in scientiam aridam, sterilem, rixosam cogitur, quæque ab eis qui reverâ ei infestissimè adversantur, ob rationes putidissimas petitur coliturque; qui totos dies, annos, alia, aliena, futilia prosequentes,*

eam

eam solum ambiunt, tanquam opum, & dignitatum proxinetricem. Cùm autem, primùm famem & pauperiem fugientes, deinde divitiis, & vanæ gloriæ inhiantes, ostia divinæ hujus Sapientiæ pulsent, ea solùm quæ in vestibulis, & propylæis, cum aliis scientiis communia habet, à divinis verò ejus penetralibus remotissima, tantum quantum possunt, capere enituntur; quæ ad vitam, animam ac δύναμιν cælestem pertinent, quorum notitia Spiritualis & ipsis esset salutaris, atque in iis aliis utilis, penitùs negligentes. Dicam tandem liberè, & sine cunctatione, quod sentio; paucissimi sunt in Studiis Theologicis versati, qui videntur se eis dicasse, Filiæ hujus non temporis, sed Æternitatis pulchritudine illecti, quive curent Vim ejus cælestem, & Efficaciam corde puro, & mente sincerâ experiri. Atque illinc fit quòd post longas spes & inanes, uvarum loco, à plurimis labruscas demetamus; utque quos oportet pro temporis ratione Doctores esse, rursus sæpissimè opus sit doceri, quæ sint elementa initii eloquiorum Dei. Abs his verò hominibus, cùm expectat plebs Christiana fidelis, ut Evangelii mysteria, & impervestigabiles Christi divitias, piè, solidè, doctè, verbis quæ docet Spiritus Sanctus, ad conversionem, instructionem, ædificationem, & consolationem animarum annuntiarent, illi nescio quas inanes declamatiunculas, ineptissimis verborum crepitaculis ornatus eis obtrudunt. Hos ego Theologos censerem? Qui neque Spiritus Sancti sensus investigare norunt, neque verbis ejus uti volunt, neque αἰσθητήρια in mysteriis Dei γεγυμνασμένα habent; sed illud unicè votis omnibus expetunt, quemadmodùm imperiti vulgi, aliorumque qui Potentiæ Dei in Evangelio animo hostili adversantur, levitatem titillarent, verborum quodam tinnitu inani, ex omni vita humanæ institutione rectâ, scenæ amandando. Dominus Jesus Sanctissimarum suarum Institutionum contaminationis istius & Evangelii contemptûs tempore præstituto rationem reposcet. Sed nolo hîc addere quæ pene extorsit justa indignatio; inveniet, uti spero, Lector, summa animi sedatione, hæc alibi considerata.

Quid ergo inquies Lector? an tu te noxiis istis zizaniis agro Domini evellendis parem effers? an novam Disciplinarum tradendarum rationem, institutionum veterum abolitionem, studiorum instaurationem moliris? Bona verba Lector Christiane; ὑπόνοιας πονηρὰς nos aversari docuit Apostolus. Siquidem lubet suspicari, nemo te prohibere potest, cum suspicio tua in alienâ potestate sita non sit; tutè ejus olim Deo rationem es redditurus; prout Ego harum lucubrationum, quarum rationem jam nunc tecum sum communicaturus; tu modo vide, ut eam æqui bonique consulas! Nam id tuâ solum interest. Non ego ἀκίνητα κινεῖν aggredior, non novam studiorum methodum protrudo, οὐκ ὄντως πεφίμωμαι; neque tamen quia ego nihili sim, aut obscuro lare delitescam, ideo alii non peccent, aut non errent in Veritatis Cælestis investiga-

 tione.

tione. Neque mihi uni quòd sciam, prohibitum est, nè cogitata mea de Theologiæ natura & studio cum Doctis & Piis communicarem; alii fecerunt, iique boni; De re optimâ dicam, quod de pessimâ Orator; quando hoc non factum est? quando reprehensnm? quando non permissum? quando denique fuit ut quod licet, non liceret? *Totius ideo propositi, si per Te liceat, Erudite Lector Te certiorem faciam. Mitte Tu malè suspicari, malè loqui; Ego dicam rem ipsam. Cùm primùm ad hæc scribenda animum appuli, nihil aliud deliberatum habui, quàm ut lemmata quædam de naturâ Theologiæ Evangelicæ, Judicio tuo proponerem. Quæ in eum finem meditatus eram, in ultimam jam Operis partem conjecta invenies. Quæ eorum Expositioni præmittenda erant, quæque initio paucis absolvere decreveram, in molem istam quam cernis, quamvis præter propositum nostrum, neutiquam spero præter rem ipsam, excreverunt. Operis ordinem & rationem omnem pluribus hic sigillatim recensere, haud necessarium statuo. Verbo omnia compendifaciam. Præmissis quæ ad Nomen & Naturã omnis Theologiæ pertinent notionibus generalibus, à primo Veræ Theologiæ ortu quem exponimus, progressus quos fecit in variis Divinæ Revelationis gradibus, cum plurimorum ab iis defectionibus, & erroribus inde enatis, Cultusque Ecclesiæ ad normam illius constitutæ variationem, cum multiplici ejusdem Ecclesiæ Apostasiâ & Instauratione gratiosâ, usque ad ultimam & finalem Judaicæ Rejectionem, ipsarum rerum seriem attendentes, quam in solenniores periodos distinguimus, Libris prioribus enarrare statuimus. Propositum hoc insistentibus plurima consideratu dignissima, se nobis undique obtulerunt;* Μαλίστα *præsertim illa Ecclesiæ Judaicæ è captivitate reducis Reformatio Ezraitica; cujus occasione plurima de Antiquitatibus & Ritibus istius Ecclesiæ, disserere necesse habuimus. Postremo in loco ipsam Theologiam Evangelicam exponere aggredimur. Etenim quid sit, quaque in re consistat ejus Natura, qui Studio ejus sint idonei, qui soli eam assequantur, quaque ratione, quæ ei potissimum obstent, cum naturâ, institutione & Fatis Ecclesiæ ei nixæ, & fundatæ, ex ipsis Scripturis ostendimus; totumque opus claudit de ejus Studio dissertatio. Utrùm in hisce mecum summo jure, an ex æquo & bono agendum statues, optio tua sit, Erudite Lector, mihi enim perinde est; modò instructionis illius Evangelicæ memor, Math; cap.7. v. 21, res ipsas perpendes; nam verborum aucupes nihil moror. Qualiacunq; autem sint, quæ amore Veritatis victi in medium proferimus, in iis, aliisque omnibus, Me peccatorem miserrimum, & malis Seculi propriisque defessum, Gratiæ, Misericordiæ, Condonationi divinæ in Jesu Christi Servatore unico, omnibus quibus per ejus gratiam possum votis, precibus, suspiriis, lachrimis, fide committens, Judicio & Censura Sanctorum ejus ubivis terrarum militantium, lubens subjicio.* VALE.

Cum pagellæ aliquot heic vacarent, hoc Clarissimi Symmystæ carmen, ultrò & ex improvisò mihi oblatum, (quamvis multa quorum scilicet argumentum ipse sum agnoscere vetent verecundia & tenuitatis sensus) quoniam operis argumentum eleganter contextum exhibeat, Lectori subducere nolui.

In *JOHANNIS OWENI* S. T. D. ΘΕΟΛΟΓΟΥΜΕΝΑ

NEscia, quæ rubeas, I *Nunc*, Dic, *Purpura*, Musas
Te, Nasci, *Natâ*, Te *Moriente*, Mori:
Quid *Sancti* Signat, Signat quem Nomen *Jesu*,
Tale tulit *Domino* triplicis, *Ordo*, Mitræ?
Æmulus Alstedium, *Sandæus* nititur unus
Et *Titulis* Sacris, & Superare *Libris*:
Oweni hos omnes *Titulus* vorat, & *Liber* unus,
Serpentes, *Mosis* Seps velut Ille, *Magûm*:
Illius, *illa* olim *Pars*, mox hæc, denique *tota*
Se *Sacra* lustratam, Lumine *Sphæra* videt.
Cognitio heic, *Cultusq*; Dei, *Cætusque* Colentûm,
Cætuum, ubique Loci, Temporis, *Ordo* patet:
Pythagoræ, Ritus *Gentilis* jure *Magistro*
Nullus, ut *Oweno* est, cognitus, Omnis, erat:
Quæ *Judæa* semel verax, quæ *Græcia* mendax,
Barbaricæ Gentes, quæ docuere, *Docet*:
Nec *memorat* tantùm; Trutinâ, sed *ponderat*, æquâ
Scripturæ, Solidâ cum *Ratione*, Sacræ:
Quas *Natura* petat; præstet quas *Gratia* Partes;
Quid *Fidei* Lumen; Quid *Rationis* agat:
Infantilis erat Sacris, quæ, *Cætibus* Ætas;
Quæ *Puerilis* iis: quæq; *Virilis* erat:
Cuncta adeo; *Vixisse* putes, quæ, Tempora, *Scripsit*;
Lectio Dis, *Sensus*, Mens quoque Dia loco est:
Ætatis sic, quod sit *Homo*, bene dixeris, *Omnis*;
Horæ omnis, Livor, sit perhibere nequit.
Carnis adhuc *Nudo* placuit quæ *Ecclesia*, tradit,
Quæque *Incarnato*, perplacuere, *Deo*?
Parturit haud quales, *Babylon* Meretricia, *Natas*;
Has *Draco*, Sponsales, non sibi *Christus* habet:
Puræ Animæ, *Mundo*, quod *Spiritus* evocat, *Agmen*;
Et Christus *Thalamis*, advocat ipse, suis:
Castæ-*Hierosolymæ* genuina hæc *Filia*; Cætus,
Hæcque *Evangelica* est *Forma* statuta, *Sacri*.

Theiologum Instituit; Spurium Cui *Nominis* usum,
Edocto Si non Cælitus, esse probat:
Fallitur, aut metuo, ne qui *Fanaticus* audit,
Audiat *hic Solus* postmodo *Theiologus*.
Oblitum, in mentem *Lapso* revocasset, *Adami*
Hoc, Lumen, recto dum Pede Staret, Opus:
Labentem *primum*; rursus, meliusq; *Secundo*,
Erectum *Adamo*, quàm *Stetit* ante, Canit:

Jurgia

Jurgia, ad *extremos*, missa, haud moritura, *Nepotes*
Serpentinum, inter, *Fœmineumque* Genus:
Binaque Limitibus, distinguit *Fœdera*, justis;
Quos *Operum* Fœdus, quos *Fideique* petit.
Insistit *Gradibus*, mox, queis, deleta *tenebris*,
Hæc, Evangelii, *Lux*. modo *Nata*, perit:
Illibata quibus, stetit, *Ædibus*; usque Salutem
Jani, Arcæ, *Sacri Debuit*, atque *Dedit:*
Explicat inde quotis Vicibus moritura *Revixit*,
Luminis, Effluvio, *Patre* repleta novo:
Claruit ut primum *fidentis*, in *Ædibus*, *Abræ*;
Ut mox *Abramicæ*, Gloria, *Gentis*, erat:
Gentis *linigeræ*, ut *Gens hæc*, ad *Pensa*, jubentis,
Non modo, Sed, *Goschen*, totius Orbis, erat:
Theiologus qualis *Moses*, Mandata tremenda
Servavit melius vel, meliusve *Dedit*?
Sedulus exquirit Sanctis, quo *Lumine* Mentes
Vatibus, Irradiat *Spiritus* ille Dei:
Virgineus Partus cantatur; *Mascula* Pallas,
Æternùm haud *ficti*, Vortice Nata, *Jovis:*
Justitiæ Phœbus, *Lumen* de *Lumine*; Cujus
Umbrarum *Corpus* , Luminis *Umbra* Caro:
Fœderis & *Sponsor*, *Præcoque*; Et Semita Vitæ
Quæ fuit, *Edocuit*, quam docuitque, *fuit:*
Arcano Christi, quo, Pandit, *Apostolus* actus
Numinis Afflatu, *Munere* functus erat:
Munere Apostolico Collecta *Ecclesia* quæ sit?
Munera collectæ quæ *Stabilita* forent:
Qùi *Nova*, non minus, hæc Ecclesia, *Apostata* facta est,
(Lugendo referens) quàm *Vetus* illa, Refert:
Veri ut *Pastoris*, Vafer iste *Vicarius* Ortus
Corrupit technis, *Munera*, *Membra*, Suis:
Astore Sed, *primum*, quibus. Hæc, ad, Cuncta, Nitorem,
Tempora, præstituit *Restituenda* Deus:
Et Specimen *Promissa* Dei *præstanda*, Popellus
(Primitias, *plenæ*, Pignora, *Messis*) habet;
His, Alii, *Dictis*, Alios Solemur; *Iniqua*
Æquâ expectantes discutienda *fide:*
Præcludente Viam, pulsâ *Fuligine*, Templi,
Arca Dei in Templo *Conspicienda* venit.

Sola, suas, utinam Contemneret *India*, Gemmas;
Nata Sinu, foveas *Anglia*, Digna Sinu:
Sitque *Ostracismus*, nisi Sit *legisse*, pudori;
Et reddant merito *Pulpita* Prela *Viro*:
Quod *Domui* accensum *lustrandæ* dat *Deus*, Ausus,
Quisnam *hominum* Modio subdere *Lumen* erit?
Macte tamen *Virtute* tuâ, *Doctissime*, restet,
Owenus, si quid, quo magis *auctus* erit.

T. G.



LIBER I.

DE THEOLOGIA IN GENERE

CAPUT I.

Ὀνοματολογίας Usus. Vocum peregrinarum in Religionem introductionis periculum: Ejus duplex occasio. vocabula Θεολογία, & Θεόλογοι, ἄγραφα. Theologiæ nomina apud Judæos. Ejus vocis origo, & usus apud Græcos. Quis primus inter eos Θεολογικὰ scripserit. Prima Theologia Θεογονίας fabulosa descriptio. Nominum Theologiæ & Theologorum inter Christianos introductio. Johannes sic primus appellatus. Ἀποκαλύψεως titulus. Versionis Æthiopicæ nov. Testam. fatuitas. Doctrina Evangelica, quomodo in ipso Evangelio vocatur. Vocabulum Theologiæ recipitur.



QUI rerum descriptiones aggrediuntur, ne ἀνώνυμα sint, de quibus agunt, utq; vitetur ὁμωνυμίας vitium, quod sæpe in rebus confusionem parit, ab ipsis nominibus telam ordiuntur. Verè dixit non nemo, πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα. & alius, ἐπὶ πάντων τῶν ζητουμένων, εἰς λόγον χρὴ καταλαμβάνεσθαι τοὔνομα; *Gal. de Method. Med. c.* 5. sunt enim rerum verba τύποι καὶ μιμήματα. In Sacris autem ὀνοματολογίας ratio habenda est, cum à Spiritu Sancto *nomen* est impositum βεβήλους κενοφωνίας & λογομαχίας omnes aversari nos docuit Apostolus. Novimus etiam quanto verborum dispendio, de *vocabulis* quæ in religionem nostram invexit incertorum hominum arbitrium, sæpius pugnacitèr certatum sit. Neque confusio illa quæ in Christiana Religione cernitur, peregrinarum *vocum* in usum Ecclesiasticum introductioni, earúmque quas ex Spiritûs Sancti dictamine proprias habet, in sensum τεχνικὸν atque ἐξωτικὸν detorsioni minimã sui partem debet. Hinc nativam illam simplicitatem aut puritatem doctrinæ Evangelicæ, è perenni puritatis omnis fonte manantem, seu pigmentis fucatam adventitiis, seu scoriis mistam,

ab ipsis Ecclesiarum primordiis adulteratam fuisse, vetus est querela. Ad eundem scopulum adhæsisse insecuta secula, præsertim postquam more hominum evenerit, ut illud rectum videretur quod pluribus arriserit, donec ita in immensum error excreverit, ut in ipsa Christiana Religione, Christianam religionem frustra pæne quæreres, notius est quam ut probationibus egeat. imo vel ex *verborum* à veteribus usitatorum imperitiâ, vel ea in alienos usus & sensus detorquente audaciâ, confusio illa & incertitudo, quæ in omnibus pænè scientiis videre est fluxisse videtur.

Porrò *vocabulorum* quorum usus ex infinita pænè Scriptorum congerie emergens, locũ aliquem celebrem in religione nostra occupaverit, quæ ῥητῶς in Sacrâ Scripturâ non leguntur, duo sunt genera; primum eorum quæ ad importunas Hæreticorum ἀντιλογίας convincendas expressit necessitas; eorum quæ sub veritatis illustrandæ, seu ἀκριβεστέρως docendæ prætextu, vel invenerunt, vel ab aliis inventa in usum suopte ingenio freti adhibuerunt viri eruditione aliquâ insignes, alterum. Prout autẽ qui illa ab arisfocisq; Ecclesiasticis exterminanda vellẽt, nisi qui cum ipsa veritate simultates exercent, invenies fortè oppidò paucos; ita de hisce retinendis importunè vitilitigare, nihil aliud est quam inveteratis præjudiciis & studio partium, æternis litibus litare.

Theologiæ, atque Theologorum ὀνοματολογίαν pertinacitèr quidam oppugnant; neque de eâ cum utrumque nomen sit Ethnicorum hominum εὕρημα, neque ulla vox sit in SS. ἰσοδυναμοῦν, acritèr digladiari placet. Uti enim omne *nomen* honestum, imò magnificum, rei cujus *nomen* habetur præjudicio erit, ubi plus momenti habet quam res ipsa: ita cum non nisi adhibitis multis ratiocinationibus, *nomina* aliqua vindicari possint, non in minore discrimine res ipsas esse positas judicabunt imperiti: præsertim ubi adest ἀμετεία ἀνθολκῆς. Præterea, cum eoúsque apud eos, quos penes olim fuit, atque etiamnum est *jus & norma loquendi*, mos invaluerit, ut per *vocabula* ista quasi *ars* aliqua designaretur, atque certum genus hominum eâ instructorum, â quo utroque abhorret simplicitatis Evangelicæ mysterium, neque respectu ortus, neque usus, ad id exprimendum de quo queritur, satis accommoda videri possint. Verùm cum in omni συζητήσει, τὸ ἀμφισβητούμενον *nomen* aliquod habere oportet: age, abrasis unguibus atque pilis, illo contenti simus quod invexit ex plurimorum assensu, usus: nihilo-minus liberrimi in rei ipsius naturæ indagatione, quam exponendam suscepimus, futuri. De ejus autem apud alios per nomina notatione, pauca præmittere licet.

Theologiam varie indigitant Judæi. חכמה האלהית *Sapientia divina*; *Buxtorf. Lex. Tal. p.* 752. הידיעה התורית *Scientia legalis*; Idem ibid.

ibid.& p.984.& תלמוד תורה *Studium legis*. Theologum, איש האלהים *Virum divinum* vocant. Theologiam autem in duas partes dispescit apud eos Theologorum doctissimus *Maimonides* Præfat.2.ad *More Nebuchim*, &præfat.ad tertiam partẽ ejusdem operis. Est enim vel מעשה בראשית *opus creationis*, seu Theologia Naturalis; vel מעשה מרכבה *opus currûs*, seu mystica; nomine ex *Ezech*. 1. desumpto; illam vulgò, hanc paucis exponendam esse docet. Ceterùm in veteri Testamento verbum nullum est quod per *Theologiam* reddi potest, aliúdve vocabulum ei ἀνάλογον. Communiter Θεολόγος apud Scriptores Græcos, est qui de Deo disserit: unde οἱ Δελφῶν θεολόγοι, *Theologi Delphici* apud *Plutarchum*, περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων. Θεολογούμενα, sunt de Deo disputata. Librorum Θεολογουμένων *Asclepiadis Mendetis* meminit in *Augusto*, *Suetonius*; quibus fœdum Atheismum, & *Ægyptiorum* in *Mendete* urbe cum hirco quem coluerunt ἀθέμιτον μῖξιν in lucem produxit, & defendit hominis monstrum. *Nichomachus Gerasinus* etiam libros duos ἀριθμητικῶν θεολογουμένων scripsit: ἔργον πόῤῥω ἐπιγνώσεως διεῤῥιμμένον inquit *Photius* Bib.Cod. 187. ineptum scilicet. Θεολογία verò ex usu Græcæ linguæ potiùs *Sermonem de Deo*, quam Sermonem Dei significat; atque ita vocabulum illud exponit Augustinus de Civit.Dei. lib. 8. cap. 1. *Sermo est*, inquit, *seu ratio de Deo*. Sed neque desunt alterius significationis exempla. Θεοπρόπιον, est *oraculum Dei*, seu quod Deus enuntiat: & Θεοσημεία *significatio*, quam Deus exhibet. Vetustissimi Græciæ Scriptores, qui de Diis & Deorum cultu agebant, primi appellati sunt Θεολόγοι, & scientia eorum Θεολογία. *Lactan. de ira Dei cap.*11. isti Poëtæ fuere; atque ii proinde communiter eo nomine insigniti. *Aristoteles Metaph*, 3. *Clem.Alexand. Strom.* 3. *Isidor. lib.* 5. *Pherecydes Syrus* primus inter gentes, oratione fusâ, *Theologica* tractasse fertur. συμβολικὴν autem & crypticam seu αἰνιγματικὴν quâ postea usi sunt *Pythagorei* illius hominis doctrinam fuisse affirmant. Ipse primarius *Pythagoræ* præceptor, & *Theologus* dictus est. Ejusmodi Θεολογικὰ scripsisse *Heraclitum* testantur *Diogenes* & *Hesychius* Illustrius; unde σκοτεινὸς appellatur. Vixit autem *Pherecides* iste ætate *Cyri*; usque adeo in omni Scientia infantes *Græci* fuere, si ad Orientales conferantur. id Soloni à Sacerdote *Saitico* exprobratum. Ὦ Σόλων, Σόλων, inquit, Ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστε, γέρων δὲ Ἕλλην οὐκ ἔστιν. Ἀκούσας οὖν, πῶς τί τοῦτο λέγεις φάναι. Νέοι ἐστὲ (εἰπεῖν) τὰς ψυχὰς πάντες· οὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς ἔχετε δι' ἀρχαίαν ἀκοὴν παλαιὰν δόξαν, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν. *O Solon, Solon ait, Græci semper pueri estis; senex Græcorum est nullus. Causam autem cur hoc diceret sciscitanti Soloni senem illum respondisse aiebat ipse, Juvenes estis animis omnes: nullam enim ex antiqua auditione veterum sententiam in istis habetis, neque disciplinam*

 vetustate

vetustate canam ullam. Plato in Phædon: Nam *Theologiam* quidem longè ante *Cyri* tempora splendorem obtinuisse, imò ἀκμὴν excessisse notum est. vid. *Plin.* Nat. Hist. lib. 7. cap. 1. quæ quis in vita invenerit. τοῦτον φησὶ Θεόπομπος πρῶτον περὶ φύσεως καὶ θεῶν Ἕλλησι γράψαι. Eum *Theopompus asserit primum omnium de Naturâ & de Diis scripsisse: Diogenes* in ejus vitâ. Quod etiam apparet ex Epistolâ *Thaletis* ad eundem; cujus hoc initium. Θαλῆς Φερεκύδει. πυνθάνομαί σε πρῶτον Ἰώνων μέλλειν λόγους ἀμφὶ τῶν θείων χρημάτων εἰς τοὺς Ἕλληνας φαίνειν. *Pherecydem* autem, *Syrium*, à *Syrâ* Insulâ appellatum esse putat *Hesichius* Illustr. ἔστι (inquit) μία τῶν Κυκλάδων νήσων ἡ Σύρα, in vita ejus. Alii *Syrum* fuisse volunt, quod verisimilius. Ipse autem in operis procemio *Musæum Eumolpi* filium, πρῶτον θεογονίαν ποιῆσαι asfirmavit. Eum τὸν θεόλογον dixere *Platonici* emphaticè; & præstantissimus semper habebatur *Theologus*. Sed de *Homero*, *Philostratus* in Heroicis, Ὀρφέα ἐν πολλοῖς τῶν κατὰ τὴν θεολογίαν ὑπερῆρε, *ipsum Orpheum in multis ad Theologiam pertinentibus superavit*; inventis addidit. Eorum autem θεολογία erat θεογονίας expositio; nam Deos omnes genitos fuisse autumârunt. Ita *Herodotus* de *Persis* in *Clio:* οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς καθάπερ οἱ Ἕλληνες εἶναι: Nam *Persæ* Deos naturales colebant. De *Græcis* loquor post *Hellenismi* introductionem; nam veteres *Græcos* cæterarum gentium more, primùm cœlum & sidera coluisse, probat *Eusebius*. præpar. Evangel. lib. 1. cap. 9. οὐκ ἄρα (inquit) τις ἦν θεογονίας Ἑλληνικῆς, ἢ βαρβαρικῆς τοῖς παλαιοτάτοις τῶν ἀνθρώπων λόγος, οὐδὲ ξοάνων ἱδρύσεις, οὐδὲ ἡ νῦν πολλὴ φλυαρία τῆς τῶν θεῶν ἀρρένων τε καὶ θηλειῶν κατονομασίας. Atque longè ante eum *Plato* in *Cratylo*: φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, ὥσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ γῆν, καὶ ἄστρα, καὶ οὐρανόν. Sed de hisce plura postea. Quo tempore civitate Christianâ donatum est vocabulum hoc, incertum. In titulo *Apocalypseos*, *Johannes* dicitur ὁ θεόλογος: is in regio *Montani* exemplari, est Ἀποκάλυψις τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου τοῦ θεολόγου; reliquis exemplaribus absolutè ita dicitur; additur in versione Æthiopicâ, *Qui Johannes erat Episcopus Constantinopolitanæ Metropolis quum passurus erat persecutionem*; stolidè satis, & prout eum interpretem decuit. Cæterum ἐπιγραφὴ ista cùm incertissimæ sit originis, & merito ὀψιγενής, ex versu libri secundo desumpta videri potest *Johannes* ἐμαρτύρησε τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, hoc est, *sermonem Dei*, non autem *de Deo*. At alia usitatior est vocabuli significatio ut ostendimus. Neque quod testificatus sit λόγον τοῦ θεοῦ, sed quod clarissimè exposuit, λόγον τὸν θεόν, veteres κατ' ἐξοχὴν *Johannem Theologum* dixerunt. Qui id primus fecit *Origines* est. Theologiæ & Theologorum tam familiariter meminit *Dionys. Areopag.* cap. 3. *de Divin. nomin.* ac si in usu frequentissimo

tissimo tum temporis fuissent illa ὀνόματα τεχνικά. sed ὑποβολιμαῖον esse scriptorem illum omnes pænè consentiunt. Itaque vocabula ista sacram scripturam quod attinet sunt ἄγραφα. Equidem doctrina Evangelica dicitur λόγος ζωῆς. *Phil.*2. 6. ὁ λόγος ὁ τοῦ σαυροῦ. 1 *Cor.*1. 18. λόγος τῆς πίστεως. 1 *Tim.*4.6. ὁ λόγος τοῦ χριστοῦ, *Col.* 3. 16. λόγος θεοῦ, 1 *Thes.* 2. 13. ad hæc atque hujusmodi alia, respectu habito, sobrium istiusmodi *vocabulorum* usum non rejicimus; quamvis haud nesciamus sensum eorum τεχνικὸν sine veritatis præjudicio retineri non posse. Vocemus itáque rem istam qua de nobis sermo est, cum *Eusebio* ad *Marcellum* θεολογίαν ἐκκλησιαστικήν.

CHAP. II.

Theologiæ notio abstracta. quo sensu eam scientiam esse contendunt Scholastici. eorum sententia rejecta. ab omni humana scientiâ alienam esse Theologiam probat Apostolus, 1 Cor.2. *μυέω, μυστήριον, τελειόω, τέλειος, πῆλι. Paulinus Theologus quis. Theologiam ad humanarum artium & scientiarum regulas compingendi plurimorum labor irritus. Scholasticorum ineptiæ, & ἀμαθία.*

VT moram nobis injicerent, quæ de notione *Theologiæ* abstractâ, uti loquuntur, & artificiali, inter plurimos agitantur, cùm ad naturæ ejus expositionem proùt videbitur non pertineant, causa nulla est. Etenim utrum *Ars* sit an *Scientia*; & si scientia dicenda sit, utrum *theoretica* sit an *practica*, an verò ex utrâque mista, quodnam sit ejus objectum proprium & immediatum, quod *genus*, quæ *differentia*, quis finis, plurimáq; alia futilia prorsus, ex scholâ *Aristotelis* philosophiam miscentes simplicitati Christianæ, variè & subtilitèr disputârunt omne genus Theologiæ ita intelligendo faciunt, ut nihil intelligant. Cum enim θεολογικῆς ἐπιστήμης mentionem fecerit *Aristoteles*, eámq; prestantissimam, τῶν θεωρητικῶν ἐπιστημῶν esse docuerit, scholastici (ii præsertim quibus juxta Deum *Thomas est*) quibus abs eo dissentire erat religio, *Theologiam*, Christianam *scientiam* esse, eámque *speculativam* contenderunt. *Artis* nomen ab hoc negotio exulare debere, tandem omnium est consensus. An *scientiæ* definitiones, quibus scilicet quid sit apud hos, quid apud illos, pro cujusvis libitu enuntiatur, quid commune habeant cum Theologiâ, videbitur. Cum ideò res ipsæ, nempe *artes* & *scientiæ*, atque ipsarum descriptiones, & definitiones incertæ sint, & arbitrariæ, pro diverso quorundam hominum captu diversimodè fabricatæ, cúmque

nullus

nullius sit mentis habitus, sive is sit *theoreticus* sive *practicus*, qui quidem artis (cum omnis *scientia* teste *Platone*. Epinom: ad lib. de leg: sit μιμηϛὴ καὶ τὸ πλεῖϛον, seu ipsarum rerum imitatrix) aut scientiæ alicujus sit ἐκτύπωμα, rem de qua agimus exhibeat, de his tam diversis, in ordinem redigendis, frustra erit omnis labor & solertia. Cæterùm de scientiis τεχνικῶς sic dictis, quæ conclusiones ex principiis notioribus respiciunt, & ab objectis propriis nuncupationem sortiuntur, vel doctrina ipsa quâ res de quibus agunt artificiosè disponuntur, vel mentis facultas aut habitus quâ doctrinam illam comprehendimus, attenditur. Doctrinæ autem, quæ semper nititur fundamentis quibusdam & theorematis quæ rationi humanæ non tantum sunt consona, sed & cognata, qualis est scientia omnis, cum mysterio omnem captum purè ψυχικὸν seu naturalem superante, nulla communitas esse potest. Deum enim ritè cognosci non posse, nisi per Deum, omnium est πρόληψις. Habitus uti loquuntur *scientificus* est mentis ad istiusmodi doctrinam conformitas, è refluâ principiorum cognatorum actione disciplinari nata; ita ut divinam illam vim mentis quæ Theologia est, quæque veracitati revelantis innititur, exprimere nequeat. Objectum autem Theologiæ, cùm aliquo sensu, sit Deus ipse, ab omnium scientiarum objectis infinitè magis distat quam istæ, ab ipso nihilo; tantum abest ut ratione aliquâ illius respectu ei conveniret, cum aliis artibus aut scientiis.

Apostolus etiam planissimè eo loci, ubi de hisce rebus datâ operâ & expressè agit, ab omni humana *sapientiâ* & *scientiâ* alienam rationem Theologiæ Christianæ reddit: ὁ λόγος μου, inquit, καὶ τὸ κήρυγμά μου, hoc est, & scientia & doctrina, οὐκ ἐν πειθοῖς (seu πιϛοῖς vel πιθανοῖς) ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις [quibus consistit omnis ars aut scientia humana vulgò sic dicta] ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως (ἐν διὰ δυοῖν) [prout enim *Mathematici* suas habent ἀποδείξεις, atque *Dialectici* suas, ita ἐν ἀποδείξει etiam consistit doctrina hæc nostra, sed *spirituali* & potente, quæ ab illis ἀνθρωπίνης σοφίας tam longe abest, ὅσον οὐρανὸς ἐς ἀπὸ γαίης. Deinde discriminis hujus rationem addit & finem;] ἵνα inquit, ἡ πίϛις ὑμῶν [seu assensus doctrinæ nostræ adhibitus] μὴ ᾖ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, [uti esset si iisdem aut similibus principiis, Forma, aut fine, consisteret Theologia, perindè ac artes & scientiæ philosophorum;] ἀλλ' ἐν δυνάμει θεοῦ, [efficacitèr sapientiam hanc per spiritum suum operantis] σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις, σοφίαν δὲ οὐ τοῦ αἰῶνος τούτου, [non sapientiam quæ ex humanâ prodiit eruditione,] ἀλλὰ λαλοῦμεν σοφίαν θεοῦ ἐν μυϛηρίῳ ἀποκεκρυμμένην: [quæ autem consensio sapientiæ Dei μυϛηριώδει cum humanis ullis disciplinis esse potest? Illam vero] ἡμῖν ὁ θεὸς ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ πνεύματος

πνεύματος αὐτοῦ; [has diversimodè docet humana sapientia:] 1 *Cor.* 2. 4, 5, 6, 10. Sive ideo ortum Theologiæ, sive subjectum, sive finem, sive modum discendi docendíque, totam denique naturam aut usum spectes, apparet eam nullo modo ita inter scientias humanas, vel speculativas vel practicas numerari posse, ut ad earum regulas, aut methodos astringi debeat. imo ipsa vocabula, μέθοδος, μεθοδεύειν, τέχνη, quæ scientiis sunt οἰκεῖα, secundum scripturam hîc locum nullam habent, μυέω & inde μυστήριον de quo, sensu sanctissimo Apostolus agit, inter ipsos *ethnicos* constanter aliquid alienum satis ab omnibus aliis scientiis denotant. Mysterium est. μυέω est *initio*, seu *sacris instituo*; & μυοῦμαι passivè. Aliter paulo sed in eundem sensum *Etymol: Mag: Author:* μυστὴς inquit παρὰ τὸ μύω, τὸ καμμύω· μύοντες γὰρ τὰς αἰσθήσεις καὶ ἔξω τῶν σαρκικῶν φροντίδων γινόμενοι, οὕτω τὰς θείας ἀναλάμψεις ἐδέχοντο; *quasi in extasi divinas acceperunt irradiationes*; & τὰ μυστήρια, ἀπὸ τῶν μυσῶν derivari dicit *Iamblichus* apud *Photium* cod. 94. sed ineptè, prout ostendit ratio etymologiæ quam adfert.

De *Pythagorâ*, omnium pœnè nationum sapientiâ instructo, affirmat *Laertius*, quod πάσας ἐμυήθη τάς τε ἑλληνικὰς, καὶ βαρβαρικὰς τελετάς; *omnibus tam barbarorum quam Græcorum sacris fuerit initiatus.* Nam ea sapientia quam peregrinationibus suis quæsitum ibant antiqui isti philosophi, nihil aliud erat, quam religionum colendarum ratio, teste *Lactantio*; equidem (inquit) *mirari soleo quod cum Pythagoras & postea Plato, amore indagandæ veritatis ad Ægyptios, & Magos, & Persas usque penetrassent, ut eorum gentium ritus & sacra cognoscerent; (suspicabantur enim sapientiam in religione versari) ad Judæos tamen non accessêrunt.* lib. 4. de verâ sap. Hinc cum *Apollonius* Athenis μυεῖσθαι vellet, ὁ ἱεροφάντης οὐκ ἐβούλετο παρέχειν τὰ ἱερὰ, μὴ γὰρ ἄνποτε μυῆσαι γόητα, μηδὲ τὴν Ἐλευσῖνα ἀνοῖξαι ἀνθρώπῳ μὴ καθαρῷ τὰ δαιμόνια. Philostr. de vit. Apol. lib. 4. cap. 6: *sacrorum præses illum sacris admitti noluit, asserens se nunquam initiaturum hominem incantatorem: nec Eleusinam patefacturum ei, qui purus à dæmonibus non esset.* μυεῖσθαι, ideo est sacris instrui; quod etiam ex Apollonii responso magis patet; περὶ τῆς τελετῆς (inquit) πλεῖον ἢ σὺ γιγνώσκω, *de sacris mysteriis plura quam tu cognosco.* Et apud Patres, *teste Budæo*, μεμυημένος, per se, & sine adjectione eum significat qui doctus est in sacris literis. μυστήριον apud *Paulum* inquit *Chrysostomus*; τὸ ἀπόῤῥητον, καὶ θαυμαστὸν, καὶ ἀγνοούμενον; hoc est *naturaliter.* alii; arcana & paucis cognita, neque communicanda nisi *initiatis*; hoc est, σοφίαν λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις.

Non quasi arcana apud nos essent sacra, quæ nisi sacramento aliquo silenti-

ſilentióque præmiſſo fas eſſet exponere, cùm Chriſtus omnia etiam μυστηριώτατα quæ ipſe pro ratione miniſterii ſui, privatìm docuit, ἐν τῷ φωτὶ, καὶ ἐπὶ τῶν δωμάτων in luce hominum, palàm evulganda curaverit, *Matth.* 10. 27.

Myſteria quidem in vulgus efferre antiquis gentilibus nefas erat. *non fas eſſe exiſtimant ea, quæ de ſacris docent, litteris mandare*, de Druidibus Cæſar. *lib.* 6 *de bel. Gall.* Ideò ubivis ſacramento adigebantur initiandi ne quid effutiant. Undè Herodotus de ſeipſo poſtquam ſacra Ægyptia ab *Heliopolitanis* didicerat, τὰ μὲν θεῖα τῶν ἀπηγημάτων, οἷα ἤκουον, οὐκ εἰμὶ πρόθυμος ἐξηγέεσθαι ἔξω, ἢ τὰ ὀνόματα αὐτέων μόνον, νομίζων πάντας ἀνθρώπους ἴσον περὶ αὐτῶν ἐπίστασθαι. lib. 2. h. e: *verùm quæ mihi ad deos pertinentia narrârunt, ea ſcriptis mandare non libet, quòd idem de illis, omnes homines* (ſcilicet initiatos) *ſcire exiſtimem.* Non ideo ob ejuſmodi rationem doctrina Evangelica *myſterii nomine* inſignita eſt, ſed quòd reſipſæ revelatæ in eâ, omnem captum humanum purè naturalem excedant, 1 *Cor.* 2. 7.

Ut quis ideo σοφίαν ἐν μυστηρίῳ ἀποκεκρυμμένην recipiat & intelligat, neceſſe eſt ut ſit ipſe μεμυημένος, hoc eſt, in arcanis voluntatis divinæ per Spiritum Sanctum inſtructus. Neque alii τέλειοι apud *Paulum* quam initiati; hoc eſt, ſpiritu ſancto, de quo ille agit, inſtructi. Nam τελειῶ eſt *conſecro*, & *initio*; unde apud veteres *baptiſmus* etiam τελείωσις dicitur. Pro *conſecratione* ſeu dedicatione uſurpant LXX, *Exod:* 29: τελειῶσαι τὰς χεῖρας αὐτῶν, *v.* 33. & 35: neque alitèr vocabulum illud exponendum videtur Epiſtolâ ad Heb. *Cap.* 2. *v.* 10: τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας διὰ παθημάτων τελειῶσαι. Atque etiam τέλη ſunt *myſteria* prout ex *Platone* probat *Budæus*; & τελεταὶ, omne genus ſacra; & τετελεσμένοι, ſunt initiati, & ſacrificiis expiati, apud *Philoſtratum* in vita *Apollo:* lib. 4. cap. 6. Is ideo qui τέλειος eſt, ſeu ſpiritu inſtructus, quo ſacris Chriſtianis initiamur, atque μεμυημένος ab eo qui ſolus patefacit ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ, idque per πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως, Epheſ. 1. 17. *Paulinus* eſt Theologus. De uſu artium & ſcientiarum in addiſcendâ divinâ veritate poſtea dicetur. Interea Theologiam eſſe *ſapientiam* quandam μυστηριώδη & divinam, neque iis terminis circumſcribi aut regulis tradi, quorum repagula patiuntur artes & ſcientiæ omnes, ipſos Ethnicos non latuit. Atque non aliam forſan ob rationem factum eſt, ut qui multùm operæ in hâc re conſumpſere, ut Theologiam ſecundùm regulas & methodos aliarum ſcientiarum ἀκριβῶς ſcilicet deſcriberent, circa ejus definitionem, genus, differentias, objectum proprium, ſubjectum, finem immediatum, aliáque id genus plurima, (de quibus ſacra ſcriptura ne γρῦ quidem) opinionibus remotiſſimè disjuncti, mirè inter ſe digladientur.

cum

Dùm enim veritatis divinæ è ſinu Dei revelatæ myſterium ad artium & & ſcientiarum humanarum *lesbias* & arbitrarias regulas exaſciatum reddere ſtudeant, atque terminis neſcio quibus philoſophicis (quibus & quorum ope & ſubſidio, omnis veritas cùm naturalis tum ſupernaturalis lubentiſſimè carere potuiſſet, niſi alitèr viſum fuiſſet *Ariſtoteli*) quibuſcum communitatem habere noiit, illud præpediant, nihil aliud efficiunt, quam ut res in ſe & naturâ ſuâ certiſſima, evidentiſſima, atque menti rationali expoſitiſſima, incertiſſima eſſet, ambigua, multiplex & obſcura. Eruditi ſane viri, divinâ in ſacrâ ſcripturâ revelatione innatorum principiorum vice nixi, progreſſu aliarum ſcientiarum non abſimili, aliquibus quidpiam invenientibus, aliis faciliori operâ eorum inventis addentibus doctrinam quandam, *principiis, theorematis, theſibus*, & *concluſionibus* ad aliarum ſcientiarum inſtar comprehenſam, quam Theologiam vocant, extruxerunt. Ea verò doctrina, cum neque *ἀυτοπιςίαν* habeat quà talis, neque fide ſupernaturali opus habeat quâ recipiatur, neque finem ullium Theologiæ aut theoreticè aut practicè aſſequatùr, Theologia propriè dicta non eſt. Ex indagatione hujus doctrinæ, habitus aliquis mentis, impreſſioni abs eâ receptæ conſonus acquiritur, quam non fidem neque ſcientiam naturalem eſſe contendunt Scholaſtici. Atque hæc eſt Theologia ſcholarum, de cujus naturâ & uſu inferiùs dicetur. Innumeras ideo eaſque operoſas diſputationes, & ſi verum dicere liceat, titivilitio haud emptitandas, miſſas faciamus, ſi modo Theologiam libertatis jure in quam liberali manu eam aſſeruit ſacra ſcriptura, gaudere, permittere velimus.

Quibuſcumq; ſanè vocabulis, ad rem hanc ennarrandam ſpiritui ſancto uti placuerit, ea omnia ac ſingula diſputationibus ſuis, ſatis ſuperque vexata reddiderunt Scholaſtici. *Scientiam prud ntiam, ſapientiam, doctrinam*, homines in Dei atque operum ejus contemplatione, & obedientiâ ei præſtandâ dirigentem, notitiam illam ſui quâ nos imbui vult Deus, ſcripturam vocare in confeſſo eſt. Hinc diſputandi prurigine abrepti, prout dictum eſt, utrùm ſcientia, eaque ſpeculativa an practica, aut prudentia aut ſapientia ſit Theologia, pertinacitèr contendunt. Quodcunque autem vocabulum examini ſubjicere viſum ſit, omnes extempló rationes ejus philoſophicas perpendentes, utrùm Theologiæ aptari poſſint, ſubtilitèr inquirunt. Qui Theologiam ſapientiam eſſe volunt (ut ex hoc uno capite omnis horum hominum labor æſtimari poſſit) id ſibi negotii dari putant, ut omnia quæ in Philoſophorum ſcriptis ſapientiæ humanæ tribuuntur, expiſcati, in Theologiam, illa apte quadrare oſtendant. Hoc autem quic-

quid sit operis, cùm per longas ambages, subtiles fabulas, atque conclusiones audacissimè ineptas se confecisse autumant, quasi re bene gestâ, ac profligatis aliorum omnium sententiis, eorum præsertim qui Familiam aliam vel ducunt vel sequuntur, Theologiam sapientiam esse concludunt. Itáque cum mentis spiritus Sancti in vocabulis istis, *scientiæ*, *prudentiæ*, *sapientiæ*, *doctrinæ*, atque id genus reliquis, penitissimè sint ignari, ingenii nervos omnes (ut sunt plerique ingeniosissimè stolidi) & oculos intendunt, ut sapientiam Dei in mysterio absconditam, in miseram, imperfectam, imò stultam illam hujus mundi sapientiam mutarent, atque nescio quibus limitibus circumscriberent; quo figmento nihil unquam periculosius aut magis è diametro Doctrinæ Apostolicæ pugnans excogitari potuit. Spinosas itáque istas Scholasticorum aliorumque concertationes, quas tractatibus suis theologicis præstruunt, crucem miseris lectoribus affigentes, qui studium inutilitèr locare, imò errare nollent, cum ipsa veritas infinitis laboribus ex iis indaganda, ob ἀλλογενίαν subjecti propositi, haud vera sit, contemnere debent sapientiæ sacræ candidati.

CAP. III.

Inter Intellectum & veritatem unio arctissima. Theologia & mentis habitum, & ipsam veritatem denotat. Dei scientia nostræ ἀρχέτυπος dici nequit. Theologia qua doctrina est à Deo solo & immediatè. Verbum Dei quo sensu nostra Theologia est. Theologorum distributiones; Angeli, homines. Homines vel θεάνθρωποι, vel ψιλοί. Meri homines vel viatores vel possessores. Illorum Theologia investiganda.

AMotis iis quæ quamvis apud nonnullos in disquisitione naturæ Theologiæ utramque faciant paginam, revera veritatem sincerè indagantibus præpedimentum objiciunt, rem ipsam, generalem ipsius naturam quod attinet, cui operam hanc navamus, propriùs intueamur. Cùm ea autem sit inter rem quamcunque cognitam, atque facultatem illam & δύναμιν mentis nostræ quâ illam apprehendimus, seu ipsum intellectum, cum σχέσει suâ ad rem ipsam consideratum, ex intercedente veritatis conformitate, arcta unio atque necessitudo, ut nomina sua invicem alterum cum altero communicet; ita affectiones quæ uni propriæ sunt, alteri sæpe adscribuntur; namque sæpe *res* seu doctrina *certa* dicitur, ab ea certitudine quæ est affectio mentis; atque apprehensio nostra *vera*, à *veritate* rei quam apprehendimus. Hinc

in

in definitionibus oritur non minima confusio, dum utrùm sit doctrina, an mentis facultas (quâ doctrinam ipsam suo proprio lumine, ad finem suum proprium apprehendimus,) quæ finitur, haud facilè perspici potest. Cum itáque per Theologiam & doctrinam de Deo, cultu atque obedientiâ ei debitâ, & mentis nostræ quâ illam percipimus vim & facultatem, seu habitum ei conformem denotari in confesso sit, ad vitandam ex ὁμωνυμίᾳ confusionem, de iis distinctè agendum est.

Ad infinitam Dei αὐτάρκειαν pertinet, ut ipse solus se cognoscat, perfectè. *Ps:* 147.5. לתבונתו אין מספר *intelligentia ejus non est numerus.* Itáque scientia illa, qua Deus se atque omnia sua attributa perfectissimè novit, cum sit infinita & necessaria, non nisi ipse Deus infinitè sciens & sapiens est. Hæc ideo primæ veritatis ipsam se perfectissimè comprehendentis atque amantis cognitio, non nisi impropriè à quibusdam Theologia ἀρχέτυπος dicitur. Quid autem per Theologiam ἀρχέτυπον intelligi vellent, an ipsi intelligant vehementèr dubito. Neque enim aut nostra Dei notitia infinitæ illius scientiæ divinæ expressus est character (quod uni Filio naturæ divinæ participi proprium, *Heb.* 1. 3.) ita ut ἔκτυπος ejus respectu dici possit; neque illius vi aut virtute quicquam de Deo cognoscere possumus, nisi intercedente libero voluntatis divinæ consilio. Equidem speculum nostrum non est immediatè Deus ipse, sed verbum ejus seu evangelium, in quo *retectâ facie*, per Christum *gloriam Domini* intuemur. 2 *Cor.* 3. 18. Æternam in mente suâ veritatis ejus quam à nobis cognosci velit *ideam*, seu conceptum Deus habet. Atque hinc omnis nostra Theologia pendet; non immediatè quidem, sed ab eo voluntatis divinæ actu, quo ei placuerit veritatem istam nobis revelare. *Deum enim nemo vidit unquam; unigenitus ille Filius qui est in sinu patris ille exposuit*, Joh. 1. c. 1. 8. Revelatio ideo mentis & voluntatis divinæ, hoc est Dei verbum, ea est doctrina de quâ agimus, ad quam omnes mentis nostræ de Deo, ejus cultu, atque obedientiâ ei debitâ, conceptus conformes esse debeant. Atque hîc iterùm Theologiæ cum omni scientiâ quæ humanæ sapientiæ tradux est, parùm convenit. Etenim σύστημα illud principiorum & conclusionum, quo scientia ulla traditur, non est norma conceptuum mentis, seu actuum Intellectus circa proprium objectum istius scientiæ; sed cum sit illis posterius, & eorum effectum, per illos regulari debet. Ita Philosophus præstantissimus. αἱ δὲ ἐπιστῆμαι ἐν ψυχῇ λογικῇ οὖσαι, αἱ μὲν τῶν αἰσθητῶν, εἰ δεῖ ἐπιστήμας τούτων λέγειν· πρέπει δὲ αὐταῖς τὸ τῆς δόξης ὄνομα, ὕστεραι τῶν πραγμάτων οὖσαι, εἰκόνες εἰσὶ τούτων. Plotin: Ennead:

 5: lib:

5: lib. 9. h: e: *proinde scientiæ quæ in rationali animâ sunt, quæ quidem ad sensibilia pertinent, si modo horum notitiæ nobis sint scientiæ nominandæ, quippe cùm opiniones potius deceat nominare, ipsæ inquam, cum rebus posteriores sint, earundem sunt imagines.* Doctrina autem, de quâ agigimus, omnem mentis nostræ conceptum circa objectum ejus peculiare & proprium antevertit; atque infallibilis regula & norma est immutabilis omnis scientiæ & cognitionis nostræ. *Psal*: 19.

Est ideo Theologia ipsissima veritas divina proùt à Deo revelatur; nempe verbum, doctrina, seu lumen ἀξιόπιστον & αὐτόπιστον. Nemo de Deo rebúsve divinis nisi per Deum dignè sentire aut loqui potest. Deum neque quisquam rite novit nisi ex suâ per filium expositione; neque coli vult nisi quemadmodùm ipse præscripserit. Omnis etiam nostra obedientia ab ejus voluntate purè dependet. Theologia verò omnis circa Deum & cultum ejus, atque obedientiam ei debitam versatur. Non ideo nisi à Deo ipso, ea doctrina esse potest. Principium itáque & norma omnis cultus divini, fidei & obedientiæ cùm sit Theologia, proindè ut sit etiam cœlestis originis, infallibilis certitudinis, ἐξ οὐρανοῦ non ἐξ ἀνθρώπων (*Mat*:25.21.) necesse est. Neque enim fides divina ulli principio inniti velit, quod non sit omni modo divinum αὐταρκὲς & ἀξιόπιστον. Cultus autem *Dei*, ita dicitur non minus à mandato, quam ab objecto *divino*. Ne ideo totum humanum genus in totâ obedientiâ perpetuò turpitèr fluctuaretur, atque in salebras incideret; eam doctrinam quæ omnis sui cultus, atque obedientiæ nostræ norma est, à seipso Deus esse voluit. Hoc ideo sensu, Theologia est Doctrina Dei de seipso, operibus suis, d que voluntate suâ atque cultu, nostráque in omni statu obedientia, & præmio, atque inobedientium pænâ, ad nominis sui gloriam revelata & expressa; hoc est ipsissimum Dei verbum. Verbum autem Dei cum sit ἐνδιάθετον vel προφορικὸν, hócque iterùm ἄγραφον vel ἔγγραφον, ut unumquódque horum in hoc negotio se habeat sigillatìm deinceps exponemus. Quid verò de *Th sibus* quas vocant *Theologicis*, *catechismis*, *confessionibus*, *locis communibus*, atque ejusmodi propositionum credibilium farraginibus sentiendum sit, quóque in loco sint habenda, in quibus discendis vel etiam docendis fallor, aut multi Theologiam consistere putant, inferiùs videbitur.

Postquàm ideò, ut hoc κατὰ πρόληψιν hîc loci addam, omne Dei verbum quodcunq; scriptis commissum est, Scriptura ista, ita est nostra Theologia, ut ei toti, omníq; ejus parti & unicuique in ea contentæ veritati

authoritatem

authoritatem tribuâmus, non quia una propositio ex altera evidentibus adhibitis rationibus astruitur; vel conclusiones, quibus assentimur, ritè è principiis quibuscúnq; colligantur, sed unamquamq; veritatem seu veritatis propositionem separatìm consideratam certâ fide amplectimur, ob immediatam ejus revelationem divinam cui nititur omnis Theologia. Habitus autem iste, quem discursivum vocant Scholastici, quo ex propositionibus, quarum una scripturæ est, ideoque divinitùs revelata, altera autem evidentiâ suâ naturali lucet, conclusiones elicimus, (de quarum naturâ, utrum scilicet, de fide sint ut loquuntur annon, acutè digladiantur) proùt aliud est, (si aliud sit) à dono interpretandi scripturas, ab instituto nostro alienus est.

Hoc itâque præmisso, nempe Theologiam objectivè uti loquuntur & in abstracto consideratam, purum putum Dei verbum esse, lumen illud mentis creaturæ rationalis quod etiam eo nomine compellatur, porrò accuratè perpendendum venit. Ut verò illùc quo tendimus, faciliùs perveniatur, subjectorum luminis hujus capacium distributio aliqua præmittenda est; ac deindè luminis illius ad doctrinam de quâ egimus relatio, cúmque eâ unio, exploranda. Primò autem respectu subjecti uti loquuntur Theologia communitèr in eam quæ est *Angelorum*, atque humanam dispesci posse, videtur. Etenim *Angelis* & hominibus, eò quòd sint lumine intellectuali prædití, Deum cognoscere, Deóque liberè obedire incumbit; eorúmque finis ultimus in eâ Dei fruitione ad quam per obedientiam itur, consistit; istiusmodi autem naturam, statum, & conditionem, in iis omnibus qui eam percipere, aut eâ ad finem ejus proprium uti velint doctrina hæc ἀπαιτεῖ exigit. Qualem verò congenitam Dei atque voluntatis suæ notitiam habuerunt *Angeli* τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, καὶ τὸ ἴδιον οἰκητήριον *conservantes*, quóve lumine instructi fuere, ut incrementorum respectu graduum capax fuerit lumen istud, mysteria quod attinet ἀποκεκρυμμένα ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ Θεῷ, manifesta tandem facta ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις ἐν τοῖς ἐπουρανίοις διὰ τῆς ἐκκλησίας (*Ephes*. 3. 10.) qualem etiam habeant per continuam Dei visionem, præsertim potiti in Christo jam præmio, non est hujus loci inquirere.

Θεάνθρωπος *Jesus Christus*, & ψιλοὶ ἄνθρωποι totum humanum genus exprimunt. Quæ de Jesu Christi, in quo *absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ*, (Col. 2. 33.) Theologiâ, déque scientiâ illâ quam per unionem personalem habuit, habetque, atque *revelationibus* ei à patre datis (*Apoc*. 1. 1.) útque in illo habitet omnis

nis *plenitudo spiritus*. (Joh. 3. 34.) quem ἐκ μέτρου non accepit, dicenda sunt, cùm dissertationis cui impræsentiarum incumbimus ambitu comprehendi nequeant, ea hîc penitus omittere consultum duximus. Qui autem *meri* homines sunt, vel adhuc vitam degunt mortalem, aut saltem quâ tales considerari possunt, & vulgo *viatores* dicuntur, (*Nam in totâ hâc vitâ adest fiducia.* Eccles. 9. 4.) vel corporis compagibus soluti, *possessores* audiunt. Horum verò, qui nempe decurso ad voluntatem Dei, fidei & obedientiæ stadio, finem suum & requiem in fruitione Dei misericorditèr obtinuerint, Theologia (verbo expedienda) est, *lumen illud gloriæ* quo res divinas πρόσωπον πρὸς πρόσωπον cernentes, Deúmque ipsum καθὼς ἐστὶ, ineffabili gaudio perfusi, Dei & Agni laudibus æternùm vacant. Atque hæc ut eò quo tendimus perveniamus, necessariò præmittenda erant.

Pro vario verò statu eorum qui *viatores* dicuntur, varia etiam est illorum Theologia; Hic autem generatim duplex est; nempe naturæ integræ seu creationis, & lapsæ, seu peccati. Hominum verò in peccatum lapsorum considerationes & distributiones aliæ infrà adhibendæ sunt. De *primo* homine, *primo* in loco agendum.

CAP. IV.

Theologia primi hominis. ἐνδιάθετος. *ejus descriptio. quo sensu naturalis. Luminis congeniti, gradus, vis & efficacia: Scholasticorum* περιεργία *Socinianorum error; aliorúmque; Theologiæ naturalis ortus & necessitas. Obedientiæ primi hominis, Præmii promissi, Peccati, & pœnæ expositio. Theologiæ originalis corruptio. Corruptionis modus. Fœdus primum abolitum; atque ipsa Theologia ei innixa.*

OMnis omnium hominum Theologia vel verbum ἐνδιάθετον respicit, & naturalis dicitur, (ex maximâ scilicet sui parte cùm nunquam sola fuerit) vel verbum προφορικὸν, quod ἐνδιαθέτῳ illius per peccatum obliterationi succenturiatum est, & supernaturalis seu revelationis vocatur. De primâ nobis primo agendum est. Ea verò ut *pura*, ut *corrupta*, ut *apostatica*, considerari potest, & debet.

Status autem naturæ integræ, seu hominum sub lege creationis duntaxat positorum primo in loco se nobis offert. In eo statu Theologia erat ἐνδιάθετος & naturalis: Non tamen usquequáque ἔμφυτος. Ab initio

tio enim per revelationem aucta fuit, atque erat insuper augenda. In eo statu *pura* dicitur. Lumen autem erat salutare in cognitione Dei Creatoris, Legislatoris, Rectoris, & Remuneratoris consistens. *Lumen* vocamus, cùm id omni Theologiæ ex usu Scripturæ conveniat. Homini à Deo in ipsâ creatione hoc lumen inditum; & per revelationem extrinsecùs factam voluntatis divinæ in præcepto sacramentali statim auctum, ex consideratione operum Dei indies augendum erat. Atque hoc sapientem eum reddere in obedientiâ secundum fœdus operum Deo ritè præstandâ ad fælicitatem propriam, & potentiæ, sapientiæ, bonitatis, gratiæ ac justitiæ divinæ gloriam, pote erat; hæc *primi hominis* Theologia.

Lumen vero hoc (seu sapientiam spiritualem) in ipsâ ejus creatione menti hominis Deus indidit. Hoc conditioni in quâ, & fini ob quem factus erat, congruens fuit, imo prorsus necessarium, *Eccles.* 1. 29. Quamvis ideo naturâ suâ usúmque & finem quod attinet planè supernaturale fuerit; (nam ut Deo, homo secundum fœdus præmium æternum pollicitans obediret, ex Dei liberrimâ erat constitutione) tamen, quia συνδιάθετον καὶ ἐμφύτον, id ei naturale fuisse dicimus. Naturale quidem illud propriè dicitur, quod ipsam naturam necessariò commitatur, aut ex principiis naturæ ortum ducit. Eo sensu *lumen* hoc homini naturale non fuisse constat. Neque enim naturam humanam necessariò sequitur, ità ut ab eâ separari nequeat: neque ex naturalibus animæ facultatibus, vi ipsarum propriâ & nativâ educi potest. Quoniam vero ad rectitudinem naturæ, primogenium suum statum quod attinet, pertinuerit, atque in ipsâ creatione, homini sub lege posito, respectu ad finem ultimum habito, implantatum fuerit, naturale fuisse negari non potest. Sed de hisce contra *Pontificios*, alibi satis supérque disputatum est.

De lumine vero hoc seu scientiâ hominis in statu naturæ incorruptæ; quoad gradus & efficaciam, nonnulla est sententiarum digladiatio. Magnificè satis eam efferunt *Scholastici*, inanium intereà speculationum, & in curiosis determinationibus audaciæ, hîc, ut ubique pleni. *Fungum* primum hominem & stipitem, vixdum rationis compotem fuisse fingunt *Sociniani*; tanquam *Dei, sui, uxoris*, aliárumque creaturarum ignarum, deridendum quasi propinant. Unicum de non comedendo fructum arboris scientiæ boni & mali præceptum à Deo ei positum esse autumant. an mentem, aut conscientiam ullam habuerit, an dependentiam à Deo ullam agnoverit, nesciunt, aut saltem se nescire fingunt; nam insolentissimæ scientiæ gloriationis, ignorantiæ fictio sæpissimè color est. Ita

fœdissimis

fœdissimis erroribus de lapsu primi hominis,quos fovent,& statu peccati, patrocinari visum est; *Adamus instar infantis vel pueri se nudum esse ignoravit.Smalc. de veritate Deitatis fil.c.7.p.2*:quasi revera oculis essetcaptus antequam vesceretur de arbore scientiæ boni & mali; *&* , *de conjuge propriâ non nisi sensibus obvia cognovit*; uti ipse dux gregis loquitur *de stat. primi hom: c,4.p.119: neque,inquit,vim arboris scientiæ boni & mali perspectam habuit,pag.*147:quasi totum primi peccati effectum ex vi arboris istius ortum duxerit;*atque iterum:cum mortalis esset, se tamen mortalem esse nescivit,c.4.p.*118. nempe mendacium mendaciis tegendum est, ne perpluat. ut *Adamum* nihil pœnè per peccatum amisisse probent, nihil unquam habuisse affirmant; cum illud perdere non potuerit, quod nunquam habuit. Dignum patinâ operculum. Nos æquâ lance si fieri possit, neque ad illorum in asserendo propendente περιεργίαν, neque ad horum in negando, dependente, audaciam, primi hominis Theologiam strictìm librabimus.

Deum jure creationis, summum rerum omnium dominum esse, creaturis omnibus in confesso est. Hinc omnium existentiam, necessariò comitatur à Deo dependentiâ; eâque ad principia naturæ, quam cùm unoquóque communicavit, accommoda. Omnes itáque creaturæ, quà tales sunt, quæque pro captu & ingenio quo est instructa Creatorem celebrant, eíque serviunt, *Ps.* 145.vers. 10: *omnia opera tua te celebrabunt Domine*. inde κατὰ προσωποποιΐαν ad officium istud ritè præstandum ea omnia & singula multotiès hortatur *Psaltes.* Rationem hanc æternam invariabilémque cultus divini unanimi consensu adstruit sanctus chorus Ecclesiæ vel militantis,vel coronatæ,Apocal: cap.4.vers.11. Ἄξιος εἶ κύριε λαβεῖν τὴν δόξαν, καὶ τὴν τιμὴν, καὶ τὴν δύναμιν, ὅτι σὺ ἔκτισας τὰ πάντα καὶ διὰ τὸ θέλημά σου εἰσὶ καὶ ἐκτίσθησαν· cui succinit catholicus creaturarum omnium cœtus. *Cap.* 5. *vers.* 13: καὶ πᾶν κτίσμα ὃ ἐστιν ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ, καὶ ὑποκάτω τῆς γῆς, καὶ ἐπὶ τῆς θαλάσσης ἃ ἐστὶ, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα, ἤκουσα λέγοντας τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου, καὶ τῷ ἀρνίῳ ἡ εὐλογία καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Cum enim *omnia Deus operatus sit propter se,* hoc est gloriam suam *Proverb. cap.* 16. v. 4: ut ea omnia ei Gloriam & honorem redderent æquum erat.Uti autem ad summum illud Dei jus,& in omnia dominium, finem unicuique proprium & ultimum designare competit, ita, ut adsit operationum in eum finem tendentium lex & regula, ad dependentiam istam pertinet. Fine certo & lege operationis gaudent omnes creaturæ, eò quod sint creaturæ. Lex ideo illa omnibus cognata fuit. Creatura

autem

autem rationalis cùm duplicem induat respectum, nimirùm quo creatura est, & quo rationis capax æternitatis consecranea, duplicem à Deo dependentiam, communem unam seu *naturalem*, de quâ locuti sumus; propriam aliam seu *moralem* sortitur. Ea est obedientia pro statu creaturæ Deo debita. Ad exigendam à creaturis, hanc obedientiam, ut Deus illis tanquam summus & optimus sit expositus, nihil præter requiritur. Atquè proindè timorem & cultum exigit quoniam אדוני est, seu omnium Dominus. *Malac. cap.* 1. *v.* 6: *si dominus ego, ubi timor meus*. Ut ab ipsâ creatione id non innotesceret, impossibile fuit. Ad obedientiam istam ritè præstandam lex illa congenita sufficere debuit. Ità demum & finis ultimus, & à Deo creaturæ dependentia stabiliuntur. Circa legem autem istam innatam duo considerari possint: lex ipsa scil: seu obedientiæ requisitæ norma; & legis cognitio. Benefactorem hunc Optimum Maximum, Rectorem summum, & Remuneratorem, amandum, colendum, timendum esse, ut ordo moralis hujus dependentiæ, qui, quoniam Deus Creator summè justus ac sanctus est, omnem justitiam & sanctitatem amplectitur, eoûsque continuetur, donèc ad finem ejus ultimum perventum sit, hujus legis summa est. Atque lex hæc, verbum illud est ἀδιάθετον, ἀξιόπιστον, & infallibile prorsus, quod quasi doctrina fuit in primi hominis Theologiâ. Hujus verò legis *cognitio* realitèr à lege ipsâ non discrepavit. Ejusmodi autem lumine salutari, cujus vi & ductu, obedientiam secundùm legem Deo debitam ritè homo præstare possit, ita ut finem suum proprium assequeretur, eam constitisse apparet. Atque hæc primi hominis Theologia fuit. In statu moralis à Deo dependentiæ constitutus, atque imperio Dei submissus, eòque beatitatis in fruitione creatoris æternæ capax, congenitam & ἔμφυτον habuit earum operationum legem, quæ ad finem istum assequendum erant necessariæ; atque insupèr in cognitione Dei, atque omnium mediorum cultûs ipsius, eâ sapientiâ instructus, cujus vi, secundum voluntatem & mentem Dei in illa lucentem, ritè obedientiam in lege præscriptam præstare potuit. Cùm verò lex hæc ἔμφυτος, quæ in hac Theologiâ, doctrinæ locum supplet, seu λόγος ἐνδιάθετος, menti hominis fuerit congenita, abs eo lumine, seu mentis habitu quo Doctrina de Deo ejúsque cultu salutaritèr percipitur, rem ipsam quod attinet, seu materialitèr, quod aiunt, loquendo, alia non erat: neque quid amplius fuit, quam ordinis istius dependentiæ creaturæ rationalis, fons & origo; respectu autem exercitii, & actualis obedientiæ, & formalitèr loquendo, ab eâ distincta fuit.

Cùm itàque Deus hominem *rectum fecerit*, Ecclef. 7. 29: *in imagine suâ*, Gen. 1: quæ in ſapientiâ, juſtitiâ, & ſanctitate conſiſtit, *Coloſ.* 3. 10. *Epheſ.* 4. 23, 24: eíque ut alias creaturas imperio teneret ad ſui gloriam, præceperit; cui dominationi niſi earum naturæ ei penitùs perſpectæ fuiſſent, omnino eſſet impar, atque ab eo obedientiam ſub pœnâ mortis æternæ, cúmque premii vitæ beatæ pollicitatione, exegerit, eâ ſapientiâ & morali lumine quo potuit & Deum cognoſcere, & legem ἔμφυτον, & revelationem proprietatum Dei in omnium creatione, & νομοθεσίᾳ ſacramentali perfectè intelligere, inſtructum fuiſſe conſtat: Hâc verò Theologiâ inſtructo nihil planè defuit ad Deum ritè colendum, aut ad vitam benè beatéque agendam.

Atque hinc obedientiæ primi hominis, propoſitíque præmii, unà cum peccati ipſius naturâ, atque etiam pœnæ comminatæ, æſtimatio fieri poteſt. Etenim obedientia vi fœderis præſtanda, lumini ejus congenito, ſeu Theologiæ ſuperius delineatæ conformis eſſe debuit: ipſum autem fœdus ut *Adamo* connatum, ita cognitum fuit; nam vi hujus Theologiæ, illum & officium & præmium ſuum cognoviſſe conſtat: præceptum autem ſacramentale ſupperadditum, fœdus non revelavit, ſed ad illud obſignandum viam aperuit. Præmium propoſitum non niſi in ſempiternâ Dei fruitione conſtitit. Eadem úſque adhùc legis vox; *hoc fac, & vives*, neque enim Deus unquam aliud obedientiæ præmium, vi fœderis præſtandæ, conſtituit. Quo verò demùm ſpatio temporis decurſo, *Adamo* ſub ratione præmii Deo frui contigiſſet, cùm id Deus ipſe tanquàm futurum nunquàm præſciverit, ſubtilis & periculoſa eſt diſceptatio. Primum hominem, ſi in ſtatu primigenio conſtitiſſet, præmium conſecuturum fuiſſe, ídque præmium ipſum fuiſſe Deum, ex ipſius fœderis naturâ conſtat; tempus & modum, quibus ei Deo ita frui contigiſſet, neque rei natura, neque ſacra pagina indicat. Fuiſſet ideo primi hominis obedientia, univerſale imaginis Dei in omnibus atque expreſſum exemplar; præmium ipſe Deus. Peccatum autem ejus primum, cùm contra vim directricem hujus Theologiæ commiſſum fuerit, ordinis, moralis creaturæ à Deo dependentiæ, totali ſubverſione conſtitiſſe palam eſt; inde pœna iſtius peccati, æterna à Deo ſeparatio, cum eo inſuper ſenſûs ſupplicii additamento, quod juſtitia vindicatrix non potuit non exigere. Poſtquam itàq; corpus & anima peccatoris primam mortem eſſent experta, in ſuâ ab invicem divulſione, ad ſecundam, in æternâ ſub pœnis graviſſimis à Deo ſeparatione, conſiſtentem, ſubeundam per potentiam divinam, juſtitiæ eatenus famulantem, unienda fuerunt; ab iſthâc nempe conditione per Chriſtum ſumus liberati. Præmium itàque & pœnam primo

fœderi

fœderi annexa substantiam, ut ita loquar, quod attinet, atque ea inter, quæ novum fœdus consequuntur nihil interfuit. Ipse Deus, atque à Deo separatio utriusque utrobique naturam continent. Neq; aliud præmium aliâve pœna assignari potest; graduum fortasse vi novi fœderis nonnullorum accessione utrumque auctum esse dici potest. Indè præmium jam, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, αἰώνιον βάρος δόξης, audit 2 *Cor.* 4. 11: pœna verò θάνατος εἰς θάνατον. 2 *Cor.* 2. 16. De resurrectione Adæ, ἐκτὸς τοῦ λόγου ἐνανσαρκώσεως scriptura sanè silet; nempe inania haud persequitur, neque ex suppositione statûs nunquam futuri curiosè disserit. At verò de eorum statu qui à Christi mediatione penitus sunt extranei, cùm in ipsum nunquàm crediderint, neque adversus gratiam ejus, de quâ nunquàm quicquam audiverint, peccârunt, satis apertè loquitur. Hominum autem ex mortuis resuscitationem ad condemnationem propter peccata sine lege & absque omni Christi cognitione commissa, ipsum Christum commeruisse sentire est impium. Cùm ideò *Adami* immortalitas in statu suo primigenio, ex principiis naturæ internis nequaquam dependerit, sed ex solo & liberrimo Dei beneplacito, remotâ per peccatum causâ illâ externâ conservante, necesse erat, ut *Adamus* certo quodam tempore moreretur, atque vi fœderis è statu mortis naturalis ad judicium extraheretur.

Atque hæc de Theologiâ naturali in primigeniâ & nativâ puritate suâ considerata disseruisse sufficiat; restat ut ejus per peccati ingressum ἀφανισμὸν, paucis perlustremus.

Ingressus autem peccati, & fœderis Divini per ingressum illum abolitio aliundè nota sunt, atque hîc supponuntur: itaque de hujus Theologiæ, per ea, remotione, hîc solùm agendum.

Omnis Theologia ad finem proprium assequendum sufficiens esse debere, concedetur. Hic in Dei gloriâ, atque æternâ ipsorum Theologorum fælicitate consistit. Abolita ideò per ingressum peccati, Dei in homine imagine, lex ista θεογνωσίας ἔμφυτος, de qua verba fecimus, Theologiæ naturâ & usu penitus destituitur, ita ut totum genus humanum omni verâ Theologiâ per peccatum abdicatum fuisse jure censendum sit: hæc verò docenda sunt. Ea erat inter doctrinam istam originalem & mentis habitum unio arctissima, ut stationem suam, divulsa, tueri nequirent. Lumen autem illud salutare quo primigeniæ hujus Theologiæ propriam quasi formam constitisse demonstravimus, per peccatum fuit extinctum; ita ipsa Theologia ἀφανισμὸν passa est. Præterea nulla doctrina, Theologia propriè dici potest, quæ non fœdere aliquo divino, cujus vi ipsi Theologi Deo placere possint, atque ipso tandem

 frui

frui, nititur. Etenim omnis viatorum Theologia dirigit homines in cognitione Dei, & ad obedientiam, secundum normam fœderis quod cum iis inire Deo placuerit, debitam, præstandam stimulat.* Fœdus autem illud, quod primigeniæ istius Theologiæ fundamentum erat, ita, ut dixi, abolitum est. Quid enim nunc ageret? quando, quamvis bene omnia præcipiat, nemo tamen est qui obtemperare possit. Doctrina sane istius fœderis etiamnùm verissima est; *qui* enim *quæ legis sunt facit, vivet in illis*. Ipsum verò fœdus post ingressum peccati, quâ homines ad Deum adduceret, vim nullam retinuit. Neque, eò quod mandatorum ejus imperium ferre cogantur homines, fœderati dicendi sunt, cùm ex jure tantùm & Dominio Dei supremo, quo se abdicare nequit, ejus nexu teneantur. Imò eoúsque miseriæ per peccatum deventum est, ut ipsa doctrina in lege naturæ exposita, utcúnque lumen primigenium comitata, ad dirigendum peccatorem in viâ vitæ, haud tamen esset sufficiens; nec si maximè cuperet, servare prorsus peccatores possit. Etenim Deum scire, eique tanquam, Creatori, Rectori, & remuneratori obedire, nisi insuper quis gratiæ & misericordiæ ejus per *Jesum Christum* cognitione sit instructus, nemini ad salutem post ingressum peccati sufficit. Veræ ideò Theologiæ fines, usum salutarem, & vim efficacitèr Theologos dirigentem in viâ vitæ, perdidit per peccatum lumen ἐνδιάθετον & congenitum.

Atque hæc ratio est, cur ex *Apostasia Theologorum*, ipsa etiam Theologia penitùs fit abolita, quod posteà contigisse non inveniemus. Cùm enim omnis Theologia, uti diximus, in fœdere fundetur, destructo fœdere, ut ipsa Theologia corruat necesse erat. Fœdus autem hoc cum *Adamo* initum, dependentiæ à Deo morali absolutè universali innitebatur. Nullo ideò pacto fieri potuit, quin per primum peccatum irritum fieret. Ad eundem modum se res habet in novo fœdere. Theologia fœderatorum, fœderi innititur. Utrùm fœderatorum ulli ex eo fœdere excidere, vel dejici possint, non nunc disputamus. Fœdus ipsum aboleri nequit, quia in, & cùm Christo Mediatore sancitum; neque proindè Theologia ei innixa labefactari. Utcúnque igitur abs ejus doctrinâ Theologi, uti videbimus sæpiùs desciverint, at ipsa Theologia stabilis & immutabilis prorsus permansit, illud exigente fœderis naturâ. Ità de hâc Theologiâ actum est: atque paucis egisse sufficiat, cum ad breve tempus duraverit, & non nisi ex paucissimis scripturæ locis, doctrina de eâ elicitur.

CAP.

CAP. V.

Theologia naturalis, post ingressum peccati quousque superstes. ejus λείψανα quæ & qualia. probantur. A lege naturæ. ea quid. ejus vis. Rom. 2. vers. 14. 15. *Vis conscientiæ. Athei. Deum ex operibus cognosci posse ostenditur.*

LUmen istud de quo hucúsque egimus primigenium, & nativum, uti diximus per peccatum extinctum est. Inde omnes homines cæci, immo ipsæ *tenebræ* vocantur; etenim doctrina ista ἐνδιάθετος, cum adminiculis quibus respectu objecti erat dilatanda, finem suum proprium assequi, potis non erat; An adhuc sit superstes, quamvis corrupta atque propriâ vitiositate laborans originalis ista Theologia jam videbimus.

Insitum esse adhùc in cordibus hominum de Deo Creatore, Rectore, & Judice sensum, cum aliquali indelebili, boni & mali in relatione ad Dei regimen, atque inter honestum & turpe discriminis, notitiâ, & omnes pœnè confitentur, & nos probabimus. Eum Apostolus exponit ad *Rom. cap.* 2. *vers.* 15. 16: Deindè beneficio considerationis operum Dei adhuc gaudent peccatores rationis compotes. Usque adeò enim obrutuisse naturam hominum ut legem dependentiæ & subjectionis cordi suo à creatore inscriptam, penitùs excussisse videretur, non humanum est credere. Homines nasci cognitione aliquâ Dei instructos, haud dicimus; nullam omnino habent. Sed vi cognoscendi dicimus: neque ita naturalitèr cognoscunt, atque sentiunt: insitam potentiam, Deum cognoscendi, ad cultum ejus aliquo modo præstandum, stimulantem, sponte se in adultis, rationis compotibus, non minùs certò & necessariò quàm ipsum ratiocinari, exerturam, unumquémque retinere, ratio nulla est cur opinemur, cùm sentiamus.

Sed tamen hæc probanda sunt; cùm dudùm sit ex quo ei quod videmus & sentimus diffidere nos docuerint Theologi. Primò ideò superesse in mentibus peccatorum plurima *Theologiæ* naturalis λείψανα; deinde ea quicquid sint Theologiam veram non esse videbimus.

Naturam ideò humanam tantâ quamvis per peccatum clade confectam, & pœne suæ solùm residuam, Theologiæ hujus reliquiis adhùc instructam esse dicimus. Deum esse, eúmque talem, qualis ut sit, exigit ipsa veritatis ratio, nempe *optimum* ob virtutem, ob beneficia

maximum

maximum, eam non fugit. Hanc cognitionem, sub Deo Creatore, sibiipsi acceptam fert. Viget adhùc in naturâ nostrâ ea lex & ratio quæ veritatem hanc docet, clamat. Legem aliquam Naturæ esse, Naturæ vox est. Hoc est, ipsa de se Testimonium gerit. Ubicunque autem lex est, ibi ut Legislator aliquis agnoscatur oportet; Legis naturæ lator, quam naturæ Author alius esse non potest. Nam lex ea, ab ipsâ naturâ non nisi habitudine ad objectum quoddam distat. Deum itàque esse, atque esse colendum, jus fásque inter homines observanda docet hæc lex, prout etiàm Scriptura testatur. *Psal.* 145. 15, 141, 7, 8, 9. *Job.* 12. 38, 39. *Isa.* 40. 12. *Math.* 6. 26. *Acts* 18. 26, 27. Primum ejus de Deo dictamen est. *Rom.* 1. 19. Τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, hoc est, gentibus, uni naturæ in disciplinam traditis. *Manifestum* autèm est hoc Dei τὸ γνωστὸν, non tantùm *inter eos*, hoc est eorum aliquibus, *Philosophis* nempè, sed *in iis*, omnibus scilicet, per ἔμφυτον θεογνωσίαν. Omnes etiam homines, quòd ἀλήθειαν (de Dei scilicet naturâ & Attributis) ἐν ἀδικίᾳ detinuerint, reos peragit idem *Apostolus*, vers. 19. Veritatem autem divinam aliquam retinent, qui eam injustè detinent. Porrò! ità vitiorum & præjudiciorum omnium victrix in cordibus omnium insculpta hæc lex esse perhibetur, ut bipedum omnium nequissimos & profligatissimos, *judicium* Dei de peccatoribus puniendis non latere affirmet, *vers.* 32. Qui autem jus Dei de peccatis puniendis agnoscunt, idem jus ejus obedientiam exigens, nèc dùm Deum ipsum, nescire, non possunt. Secundò, Obedientiam moralem Deo debitam, eadem lex ab omnibus exigit. Postquam Deum ostenderit, colendum esse docet. *Rom.* 2. 15, 15. ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα (scriptam scilicet, quo modo Judæis posita fuit) φύσει, tamèn, vi legis cordibus inscriptæ) τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, (quæ nempè lex scripta moralis præcipit) οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες (hoc est *scriptam*, seu ullo alio modo divinitùs immediatè revelatam) ἑαυτοῖς εἰσὶ νόμος quia nempè legem illam habent sibi congenitam) οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν; *opus legis*, id est, quod lex efficit; effectum sui simile; hoc se in cordibus scriptum seu sculptum habere ostendunt; hoc est, legem habent insitam scriptæ legis descriptum ἐκτύπωμα. Ut illud scriptæ legi ex amussim respondeat necesse est. Quid autèm doceat, atque cujus nomine & authoritate, lex scripta, novimus. Ei autèm, lex ista, quæ sibi sunt qui illâ carent, est ἀντίστροφος· cùm igitùr legem hanc omnes omninò homines habeant, utpotè quæ est naturæ & à naturâ omnibus ex æquo communi; atque lex hæc exprimat legem istam divinitùs

nes

revelatam, quæ Dei nomine præcipit, prohibetque, apparet eos omnes qui nequaquàm vitam ab hujus legis imperio solutam agere possunt, aliqualem de Deo notitiam non posse non habere, atque obedientiam moralem ei debitam non agnoscere.

Hujus etiam veritatis conscientia (uti aiunt) mille testes est. Indè Apostolus Argumentum reliquum conficere pergens; συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων. Conscientiam esse hominum de se judicium, cum respectu ad *superioris* judicium res ipsa clamat: indè βροτοῖς ἅπασι συνείδησις θεός, apud *Menandrum*. Qui autem eâ est ὑπεροχῇ, ut dominium habeat & judicium exercere possit in corda hominum, Deus est. Naturalis itaque ea κατηγορία aut ἀπολογία quæ συνειδήσεως ope in unoquóque homine peragitur, non nisi Deum respicit. Judici autem huic, qui apud omnes Dei nomine officio fungitur, ut quis omnem potestatem eripiat, penitùs est impossibile. Quanti ab ejus flagellis, libertatem, *Caini*, *Judæ*, *fii*, *Nerones*, *Caligulæ*, etiam & minora scelerum monstra emerent? Hanc humanæ naturæ conditionem, extrà omnes consilii & voluntatis nostræ vias rationésque positam esse, fatendum est. Nemo sapientum conscientiam iis quæ ἐν ἡμῖν esse contendunt, annumerat. Qui hominem supremum in se totum Dominum esse nimis vellent, conscientiam in *Furias*, *Alastores*, *Eumenidas*, sui juris tortores; convertebant. Sint ab hominum judicio peccatores à conditione securi; vel ab animi ferociâ præsentium, non soliciti; úsque adeò ultima despiciant vitæ discrimina, & temporalium summa, ut ipsi sibi ultroneè extremam pœnam ascíscant, hoc tamèn tribunal, dùm sceleris sunt manifesti fugere nequeunt. De hoc autem Argumento alibi egimus.

Sed res ipsa loquatur; nonne mentem humanam adeò pronam esse in assensum huic veritati præbendum, nempè *Deum esse*, adeò in amplexus ejus ruere, absque quâ esset scilicet ut non tantùm à dignitate & honore deturbaretur, atque in infimum ordinem conjiceretur, sed & ut sui ipsa esset nescia, experimur omnes, ita ut explicatis terminis è quibus propositio ejus constat, ei absentiri fas non sit? Sive illud fit impetu quodam naturæ & instinctu, quo, argumento est & ipsa sibi solùm sufficit, ratio; sive velocissimo utatur discursu, nec priùs sentit se ratiocinatam fuisse, quàm in sententiam propositam totis animis concessisse, in hâc veritate immutabilitèr acquiescere mentem humanam experientia testatur. Egregiè *Plotinus* Ennead: 3. lib. 7; de æternitate

loquens

loquens, quam *ab ipso Deo non distinguit*. Τὸν αἰῶνα (inquit) καὶ τὸν χρόνον ἕτερον λέγοντες ἑκάτερον εἶναι, καὶ τὸν μὲν περὶ τὴν ἀΐδιον τὴν φύσιν, τὸν δὲ χρόνον περὶ τὸ γινόμενον· καὶ τὸ δὲ τὸ πᾶν αὐτόθεν μὲν καὶ ὥσπερ ταῖς τῆς ἐννοίαις ἀμφοτέραις ἐπιβολαῖς ἐναργές τι παρ᾽ αὐτοῖς περὶ αὐτῶν ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν πάθος νομίζομεν λέγοντες τελαεὶ καὶ παρὰ πάντα ὀνομάζομεν. *Cum æternitatem & tempus diversa inter se esse dicamus, & illam quidem circa naturam sempiternam esse, hoc autem circa id quod fit; idque universum versari existimamus, nos quasi sponte, ex naturalique imperio, & subito quodam intelligentiæ intuitu, manifestum quondam circa hæc habere instinctum, nostris animis penitus insitum, eadem videlicet de his semper dicentes, passimque nominantes.* Esto; sint impii qui nimis vellent Deum non esse, imò, qui se credere, Deum non esse palàm profiteri ausi sint; at cùm hæc summa impietas & nequitia, nunquam non aliis omne genus sceleribus comitata incedat, quis mihi fidem faciet, impuros illos nebulones qui naturam humanam, refragante omne illo quod ejus particeps est, audactèr calumniari sustinent; non etiam de seipsis impudentèr mentiri? quicquid id est, quæ esset dementia, tribus vel quatuor naturæ humanæ dehonestamentis, non tantùm contra bonorum omnium, sed ipsius naturæ constantem & consentientem vocem, fidem adhibere? *In omnium animis Deorum notionem impressit ipsa natura: qua est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habet, sine doctrina, anticipationem quandam deorum, quam appellat* πρόληψιν *Epicurus, id est, anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari possit*; inquit *Veleius* apud Cicero: de natur: Deorum lib. 1. Et Seneca Epist. 17. *Deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est, nec ulla gens uspiam est, adeo contra leges morésque projecta, ut non aliquos Deos credat*; aliquem Deum esse, δόξαν καὶ ἐπίνοιαν κοινὴν τοῦ ξύμπαντος ἀνθρωπίνου γένους ὁμοίως μὲν Ἑλλήνων, ὁμοίως δὲ βαρβάρων ἀναγκαίαν καὶ ἔμφυτον ἐν παντὶ τῷ λογικῷ γινομένην κατὰ φύσιν. Ait *Dion: Prusæns: Orat*: atque inde *Aristoteles* prohibet cum iis disputationem institui, qui utrum Dii colendi sint, dubitant; cum id ex rectæ rationis dictamine extra controversiam poni debeat: οἱ μὲν (inquit) ἀπορῶντες πότερον δεῖ τοὺς Θεοὺς τιμᾶν, καὶ τοὺς γονεῖς ἀγαπᾶν ἢ οὔ, κολάσεως δέονται. *Topico: 1. Cap. 9*: cogendi sunt pœnis, non rationibus convincendi. Totus sapientum *Chorus*, omnes, unum atque idem in hac resentiunt. Dei cultum, aliis parentem amorem, quem à naturâ esse constat, conjungit Philosophus. Notiones hasce σπέρματα ἀληθείας παρὰ πᾶσι; vocat *Justinus* Apol. 2; *nulla anima sine crimine, quia nulla sine boni semine*, inquit *Tertullianus* de anima. quod

plerúmque

plerúmqne Deos nominent πολυθεότητι assentientes, id corruptis traditionibus, & præjudiciis adversus naturæ humanæ ingenium prævalentibus adscribendum est; ità *Lactantius*; *quam sibi veniam sperare possunt impietatis suæ, qui non agnoscunt cultum ejus, quem prorsus ignorari abs homine fas non est; nam & cùm jurant & cùm optant, & cùm gratias agunt, non Jovem aut Deos multos, sed deum nominant; adeò ipsa veritas, cogente natura, ab invitis pectoribus erumpit.* Atque verissimum est, in mediis Idolatriis, nativam hanc & primigeniam rationis lucem, úsque adeò se efficacitèr exeruisse, ut unum Deum, summum, maximum, plerósque fateri coegerit, qui tamen in *Idolomaniam* essent profusissimi: διὰ τοῦτο καὶ τὰ μάλιστα ὁ πρῶτος καὶ μέγιστος ἐκεῖνος θεὸς ὁ πεπλασμένος ἡμᾶς; apud *Dionem*, *Histori*: *lib.* 56. *Tiberius Cæsar.* πολυωνυμίας rationem addit *Aristoteles* de mundo; εἷς (inquit) δὲ ὤν, πολυώνυμός ἐστι, κατονομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσιν ἅπερ αὐτὸς νεοχμοῖ· Huic naturæ humanæ de Deo eoque colendo, φιλοσοφεῖν, illustre testimonium perhibet *Julianus*, πάντες (inquit) ἀδιδάκτως εἶναι θεῖόν τι πεπείσμεθα, καὶ πρὸς τοῦτο ἀφορᾷν, ἐπ' αὐτὸ τε οἶμαι σπεύδειν· ὑπὸ διατιθέμενοι τὰς ψυχὰς πρὸς αὐτὸ ὥσπερ οἶμαι πρὸς τὸ φῶς τὰ βλέποντα.

Omnes ante doctrinam numen aliquod esse persuasi sumus; eo respiciendum, ad id, properandum: Credoque sic animos nostros habere ad Deum, ut visu prædita ad lucem. Inde formula illa vetus in periculis & descriminibus positis usitata, ab aliorum injuriis appellandi, *Deos esse.* Vox naturæ erat ad Deum naturæ clamantis: *dum pro se quisque Deos esse, & non negligere humana fremunt*, Livi: lib. 3. & *est Celeste Numen es magne Jupiter, Idem* lib. 8. ita etiam à *Syllâ* factum insidias *Vollucis* filii *Bocchi* timente, apud *Salust* in Bell: *Jugurth*: & apud Plautum Captivi; *Est profectò Deus, qui quæ nos gerimus auditque & videt.* Præclarè Cyprianus de vanitat: Idolor: *hæc est summa delicti nolle agnoscere quem ignorare non possis.* Sententiam etiam hanc egregie exponit *Eusebius*, prepar: Evangel: lib. 2. cap. 9. φύσει μὲν οὖν καὶ αὐτοδιδάκτοις ἐννοίαις μᾶλλον ἢ διδασκάλοις, καλόν τε καὶ ὠφέλιμον τυγχάνειν τὸ σημαῖνον τὴν τοῦ θεοῦ προσηγορίαν τε καὶ οὐσίαν; πάντες γὰρ ἄνθρωποι κοινοῖς λογισμοῖς πεφυκότες τοῦ τῶν ὅλων Δημιουργοῦ, τοῦτο πάσῃ λογικῇ καὶ νοερᾷ ψυχῇ φυσικαῖς ἐννοίαις ἐναπεσπείραντος. *Eximium illud est & utile imprimis, quod Dei nomen essentiamque significat, ipsius natura ductum, impressisque animæ per sese notionibus, vel divinitus potius inspiratis, Nemo non intelligit: hoc enim omnes populi communi quodam rationis sensu percipere, cum id omni animo ratione & intelligentia prædito, idem hujus universalis Artifex naturalibus quibusdam cogitationibus insteverit* hæc ille: & *Tertullianus* Aduer:

Marcion. *Nos definimus Deum primum natura cognoscendum, dehinc doctrinâ recognoscendum.* Atque in Apologia: *Vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus* (Deum esse & unum esse) *quæ licet Carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus & concupiscentiis evigorata, licet falsis Diis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valitudine, & sanitatem suam patitur, & Deum nominat, hoc solo quia proprie verus hic unus Deus bonus & magnus; & quod Deus dederit omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum. Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ; denique pronuntians hæc, non ad Capitolium; sed ad Cœlum respiscit. Novit enim sedem Dei vivi; ab illo, & inde descendit.*

Prout autem κοινὰς hasce ἐννοίας, seu προλήψεις sapientum plerique notâssent, itaque etiam vim eam conscientiæ, quam exposuimus, compertam habuerunt. *Menander,* Βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις Θεός· de *Tiberio* loquens Annal: 6. *Cornelius Tacitus; Adeo facinora & flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur Tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur; Quippe Tiberium non fortunæ, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur.* Timorem ex conscientia peccatorum, *Dominum sævissimum* vocat Cicero; & *malos,* inquit, *agitant, insectanturque furiæ, non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ, fraudisque cruciatu:* De Legib: lib. 1. Eo angore continuo vexatus, qui remedia omnia, cum novorum scelerum, tum recessus è medio hominum, & vindictæ timorem, respuerat; non potuit se continere, quin semet pertæsus, quæ in pectore perpessus est cruciamenta, publice in Epistola ad Senatum professus sit, *Tiberius. Quid,* inquit, *vobis scribam, patres Conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore? Dii me Deæque pejus perdant, quam quotidie me perire sentio si scio. Sueton: Tiber:* cap. 61. *Otho,* etiam occiso per nefandum scelus *Galbâ,* ita territus est, ut per omnia piaculorum genera, manes *Galbæ* propitiare tentaret; Eodem teste. Egregie Satyricus.

—Cui frigida mens est—
---Criminibus, tacita sudant præcordia culpa.
Juven. Satyr: 11.

Atque iterum —*Cur tamen hos tu*
Evasisse putes, quos diri conscia facti

Mens

Mens habet attonitos? & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,
Quas & Cæditius gravis invenit, aut Rhadamanthus,
Nocte, Dieque suum gestare in pectore testem. Satyr: 13.

Egregium in *Jugurtha* exemplum post innumera scelera perpetrata proponit *Historicus*; *Neque*, inquit, *post id, locorum Jugurthæ, dies aut nox ulla quieta fuit, neque loco, neque mortali cuiquam aut tempori satis credere. Civis hostesque juxta metuere: Circumspectare omnia & omni strepetu pavescere: alio atque alio sæpe contra decus Regium noctu requiescere, interdum somno excitum acceptis armis tumultum facere, ita formidine quasi vecordia agitari.*

Atque hoc Theologiæ naturalis in statu corrupto, & peccati, primum fundamentum, seu prima pars est; unde qui homo esse non desiit, Theologus esse penitus desinere non potest.

Porrò ex consideratione operum Dei, tùm creationis, tùm providentiæ, notitia hæc Dei residua indies foveri & augeri potest; non tantùm enim naturæ humanæ, sed & totius mundi nititur, hæc qualis qualis sit Theologia.

Primò nihil disertius in hanc rem dici potest, quàm quod Psaltes habet. *Psal.* 19. 2, 3, 4, 5, 6, 7. *Cæli enarrant gloriam Dei fortis, & opera manuum ejus indicat expansum eorum: Dies ad diem eructat sermonem, Nox ad noctem ostendit scientiam, &c.* Duplex Revelationis Dei principium, seu potiùs medium, *Psalmus* hic celebrat, *Opera* nempè ejus atque *Verbum*. Hisce intèr se comparandis, hoc illi, in effectibus salutaribus (quos nempè omnes huic solùm ascribit) præfert. Illud autèm per universum terrarum orbem gloriam Dei enarrare probat. Res revelata, cujus hic fit mentio, *Gloria Dei est*; nec non potentia quam in omnium creatione exeruit; hoc est, uti loquitur Apostolus Ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης. *Rom.* 1. 20. *Medium* Revelationis sunt *Cœlum* atque Sol, & eorum gyro circumacti, invicem sibi succedentes dies, atque noctes. *Modus* revelationis hujus variè exprimitur; nempè *enarrare, indicare, eructare, ostendere, loqui* dicuntur. Omnia quidèm *metaphoricè*, sed quæ efficaciam ad finem propositum satis indicant. *Adjuncti* loco est, quod revelatio hæc sit *Catholica*, nempè in omnes extremitates orbis habitabilis porrecta. Addit quidèm *Psaltes*; doctrinam hanc operum creationis, & providentiæ Dei, haud sufficientem esse, ut quis Deum ritè cognoscat, & sanctè colat; cùm effectus eos in solidum vindicet

dicet ipsius verbo, seu doctrinæ in Sa. Sa. contentæ; at verò interea Essentiam Gloriam, & Potentiam Dei, ità per eam revelatas esse, ut omnes incolæ orbis terrarum indè discant, & Deum esse, atque ab omnibus gentilium idolis infinitè esse seperatum disertè affirmat.

Non minùs luculenter eandem veritatem confirmat *Apostolus*; ad Rom. 1. 18, 19, 20. *Patet enim ira Dei è Cælo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum, ut qui veritatem injustè detineant; quoniam id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis, Deus enim eis manifestum fecit; ipsius enim invisibilia, jam indè à condito mundo, ex iis quæ fecit mente perpensâ pervidentur, æterna videlicet ejus tùm potentia, tùm divinitas, ad hoc ut sint inexcusabiles.* Nolo ego memet iis, quæ extra nostrum propositum hisce verbis sunt controversa multùm immiscere. Putidum *Socinianorum* commentum, verba versus vicessimi, ad doctrinam Evangelii torquentium, jam dudùm est explosum. Cæterum *res revelata* in genere quidem dicitur τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, speciatim æterna ejus potentia, divinitas, atque ira, seu justitia vindicatrix. *Media* Revelationis sunt opera Dei; ea quæ fecit, nempè creationis quæ extiterunt à mundo condito usque, & providentiæ, quæ è Cælo etiamnum operatur. *Modus* autem est per patefactionem quandam harum rerum, ipsis congenitam, atque mentis quam ea indelebilitèr ponit considerationem. Eum autem per hæc media *gradum* assequitur ista Revelatio, ut in iis quibus facta est, rerum revelatarum *manifestatio* dicatur. *Finis* est ἀναπολογησία; non illa absoluta quidem, sed beneficii hujus revelationis usum quantum attinet. Utrùm autem τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, reddatur per id quod de Deo cognosci *potest*, aut, quod *debet*, eodem res cadit; non enim absolutè dictum est, sed cum respectu ad illam qualem qualem per opera creationis & providentiæ Dei manifestationem; inde enim cognosci *potest* Deum esse, esse æternipotentem & justum; atque hoc inde cognosci *debet*; *neque* enim ulterius hîc loci illud τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ extendit Apostolus. Sanè quæ Deo naturalia sunt, atque respectu exercitii posito semel objecto necessaria, quæcunque sint, non minus sub hâc manifestatione exactè cadunt, quam ea quorum κατὰ λέξιν mentio fit. At eorum, quorum exercitium positis omnibus objectis, pendet à liberrimâ dei voluntate, qualia sunt, gratia, & misericordia ergà peccatores, alia est ratio. Eorum enim nisi in Christo nulla est Revelatio; quod nos alibi fusiùs demonstravimus.

Nequè minùs illustria sunt ea loca, quibus ipse Spiritus Sanctus hoc ipso

ipso Argumento utitur ; & *Deum esse*, atque cognosci, & coli deberi, ex operibus ejus probat. Ne autem secundum Spiritus Sancti dictamen sapiamus quis nos prohibebit? Cæterùm, *Psal.* 8. etiam 145. *vers.* 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15. & 147. *vers.* 4, 5, 6. *Job.* 12. *vers.* 7, 8, 9, 10. *Cap.* 38. 39. *Isa.* 40. 12. *Matth.* 6. 26, Argumentum hoc, pluribus urgent, aut Deus ipse, aut ejus nomine Prophetæ. Omnibus insistere nimis longum esset, & à proposito nostro alienum. Duo ejusdem Apostoli in hunc finem argumenta strictìm percurramus; eorum unum, *Act.* 14. *vers.* 15, 16, 17. alterum, *Act.* 17. 24, 25, 26, 27: extat. Primum autem sic se habet. *Viri cur ista facitis? nos quoquè sumus homines, iisdem quibus vos affectionibus obnoxii, annuntiantes ut vos à vanis illis rebus convertatis vos ad Deum illum vivum; qui fecit Cœlum, & Terram, & Mare, & omnia quæ in eis sunt. Quanquam non passus est se esse expertem testimonii, bona tribuendo, dans nobis cœlitùs pluvias, ac præstituta tempora fructibus perferendis, implens cibo & delectatione corda nostra*; verba sunt *Pauli*, & *Barnabæ*, se defendentium ab impio *Lystrensium* cultu; primò docent & cultum ipsum, & objectum cultus quod ipsi sibi finxerant, μάταια esse, seu *stulta* & *vana*; deindè Deum verum indigitant, & per attributum vitæ, & per effectum operum. Deus nempè vivus est *qui fecit Cœlum, & Terram*; probántque eum tale sui sibi per opera providentiæ perhibuisse testimonium, ut, omnes indè eum cognoscere potuerint, & à vanis, mortuis, nihili idolis, facilè discernere; quid clarius dici potuit? οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν; hoc est & se esse, atque mundum hunc providentiâ suâ gubernare testatus est; id verò quomodò? per opera scilicèt providentiæ suæ. Non quidem Testimonium hoc sibi perhibuit, eo fine, ut eum homines salutaritèr cognoscerent, & converterentur; quî enim id seriò potuit, cùm intereà volens sivit eos in suis ipsorum viis insistere; sed eo duntaxat, ut qui illo spreto ad vana se adjungerent Idola, essent ἀναπολόγητοι.

Eodem modò argumentando procedit Apostolus, *Act. cap.* 17. *vers.* 24, 25, 26, 27, 28, 29. Hanc verò Apostolicæ orationis πρόθεσιν, quia cum de hujus revelationis ad salutem sufficientiam agendum sit, pluribus à nobis discutienda est, impræsentiarum ulterius exponendam, non duximus. Atque doctores hosce, Dei scilicet opera agnoverunt, etiam inter Gentes sapientiâ celebres ἱερεὺς οὐδεὶς τοῖς πᾶσι ταῦτα διδάσκων ἀνθρώποις, inquit *Plato Epinom: ad lib: de legib. & quis est tam cæcus, qui cum suspexerit in Cœlos, Deos esse non sentiat*, uti Cicero Respons: Auruspic: atque, in leges retulit *Zaleucus:* πρὸ τοῦ κατοικοῦντας τὴν

πόλιν

πόλιν καὶ τὴν χώραν πάντας πρῶτον πεπεῖσθαι χρὴ καὶ νομίζειν θεοὺς εἶναι, καὶ ἀναβλέποντας εἰς οὐρανὸν, καὶ τὸν κόσμον, καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς διακόσμησιν, καὶ τάξιν; οὐ γὰρ τύχης, οὐδ' ἀνθρώπων εἶναι δημιουργήματα &c. Ad horum mentem *Tatianus*; τοῦτο (inquit) διὰ τῆς κτίσεως αὐτοῦ ἴσμεν, καὶ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ τὸ ἀόρατον τοῖς ποιήμασι καταλαμβανόμεθα. *Vid: Max: Tyr. dissertat*: 1. *Maimonid: more Nebuch. part.*1.*cap*.34. Negari quidem non poteſt, ea omnia, quæ ſuâ naturâ ad cognitionem Dei atque Attributorum iſtius ſenſum aliquem ducunt, aliorſùm trahi à multis, & ſecùs quàm oportet intepretari. Vidimus nullos ſæpiſſimè in Atheiſmum procliviores, quam qui rerum omnium cognitionem, earum præſertim quæ à natura occultæ ſunt & latent, omnibus veſtigiis indagare profitentur; nempe rerum omnium contemplatione non niſi ut innatæ mentis curioſitati, in cauſarum ſecundarum nexuum nodorúmque conſideratione ſatisfaciant, Dei, ſui, ſecuri & negligentes abutuntur. Ità etiam, quibus longa annorum ſerie, perpenſæ ſunt rerum viciſſitudines, tantum abeſt ſæpenumero ut inde providentiam Dei πολυποίκιλον intelligant, metuántque, ut ex vitio nativo, cœcitate nempe mentis atque cordis malitiâ, in Atheiſmum etiam prolabantur. Inde proverbium ortum *nullus ſenex timet Jovem*; ſed hæc quorundam hominum vitia ipſi humanæ naturæ aſcribenda non ſunt. Præclara quidem ſunt *Ariſtotelis* verba apud *Ciceronem* de natura Deorum, *lib.* 2: ex quo opere deſumpta incertum; nullubi enim apud ipſum apparent. *Si eſſent*, inquit, *qui ſub terrâ ſemper habitaviſſent, bonis & illuſtribus domiciliis, quæ eſſent ornata ſignis atque picturis, inſtructáque rebus omnibus, quibus abundant ii qui beati putantur, nec tamen exiſſent unquam ſupra terram; accepiſſent autem ſama & auditione, eſſe quoddam numen & vim deorum; deindè aliquo tempore patefactis terræ faucibus, ex illis abditis ſedibus evadere in hæc loca quæ nos incolimus, atque exire potuiſſent; cum repente terram & maria cœlúmque vidiſſent: nubium magnitudinem ventorúmque vim cognoviſſent, adſpexiſſéntque ſolem ejúſque tum magnitudinem pulchritudinémque, tum etiam afficientiam cognoviſſent; quod is diem efficeret, toto cælo luce diffuſa: cum autem terras nox opacaſſet, tum cœlum totum cernerent aſtris diſtinctum, & ornatum, lunæque luminum varietatem tum creſcentis tum ſeneſcentis, eorúmque omnium ortus & occaſus, atque in omni æternitate ratos immutabileſque curſus; hæc cum viderent, profectò & eſſe deos, & hæc tanta opera deorum eſſe arbitrarentur.* Quibus addi poſſunt eorum quæ ibi loci ipſe Cicero diſputat plurima. Summa eſt; eſſe præſtantem aliquem æternámque naturam & eam ſuſpiciendam admirandámque hominum generi, pulchritudo mundi ordóque

rerum cœlestium cogit confiteri;quæ ejusdem *Ciceronis* verba, sunt secundo de *divinatione*.

CAP. VI.

De sufficientiâ Theologiæ naturalis ad salutem agitur; eam insufficientem esse variis argumentis probatur; doctrina hujus Theologiæ imperfecta, & habitus, etiam. De gratiâ universali & voluntate Dei eos salvandi qui verbo carent digressio.

ISTiusmodi cum fuerit notitia Dei, atque istis mediis nixa, quæ intèr homines peccatores revelatione supernaturali destitutos viguit, atque viget, videamus porro nùm ejus vi & ope, qui eâ inbuti fuêrunt, súntve, finem suum ultimum assequi potuerint, ita ut illa veræ Theologiæ nomen adhuc mereri videatur. Duplex respectu Dei, illiúsque in homines judicii supremi, doctrinæ alicujus sufficientia esse potest; ad ἀναπολογίαν una; ad salutem, altera; primam autem notitiæ huic ascribit Apostolus, *Rom.* 1. 20: posteriori, eam, inparem asserrimus; Etenim (1) omnia illa secula, quibus Revelatione cœlesti destitua vixit maxima mortalium pars, χρόνοι ἀγνοίας dicuntur, *Act.* 17. 30. Quos Deus *connivendo quasi dissimulavit*, gentibus permittens in viis suis incedere. *Act.* 14. 16. Non iis annuntians ut resipiscerent. Per eam ignorantiam erant ad unum omnes ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ *Eph.* 4. 18. Itâ ût specialem gratiam & amorem quod attinet, nulla intercessit inter eos, & Deum communicatio. (2.) Deindè, omnis illa scientia cujus in eo statu participes fieri homines potuerunt, ad legem pertinuit: cui verò non sufficit lex ipsa; nec sufficere potest legis cognitio, ea præsertìm quæ est imperfecta: neque hylum proficit, finis illius respectu, absolutissimæ, perfectissimæque legis, imperfecta cognitio. At ipsam legem huic rei, nempè ut Deo quis placeat, imparem esse pluribus ostendit Apostolus, ad *Rom. cap.* 3. & 4. (3) Etiam χωρὶς πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι, *Heb.* 11. 6. At verò ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεοῦ. *Rom.* 10. 17. (4) Αὕτη ἐστὶν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσι (homines) πατέρα τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλεν Ἰησοῦν Χριστὸν, *Joh.* 17. 3. καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία, *Act.* 4. 12. At verò cum promissio Christi non nisi post lapsum facta sit, quâ primò apparuit in Deo humani generis misericordia, omnis autem hominum absque speciali revelatione Dei notitia, sit ejus tantùm particula quam in statu integritatis habuerunt protoplasti, ut aliquid de

Christo

Christo, cujus omnis cognitio est ἐξ ἀκοῆς indè emanaret, est prorsùs impossibile; (5) Tota hæc scientia, quanta quanta fuerit, operum tantùm fœderi inseruiit; undè irrito per peccatum eo fœdere facto, in nullam obedientiam nisi ex pœnæ timore dirigere homines potuit; quandò autem quis *timore pœnæ, non amore justitiæ, præceptum facit, non facit in animo, id quod facit opere, ideóque peccati interiùs est reus, quantúmvis sibi innocens esse videtur*, ut scitè *Augustinus*.

Duo ideò sunt in lapsi hominis Theologiâ; (1) Internum lumen adhùc superstes, quòd tanquàm Theologiæ est facultas, seu δύναμις. Et (2) Revelatio Dei per opera creationis & providentiæ, quæ quasi *Theologia* est objectivè considerata, seu istus doctrina. Horum autem neutri, respectu finis ultimi, Theologiæ efficaciam ad salutem ascribere audemus. Etenim primùm imperfectionis arguere necesse habemus & doctrinæ respectu quam revelat, quæ legis ambitum, uti diximus, non excedens, Christi cognitionis nihil affine continet; atque etiam modi res divinas percipiendi, quo efficacia ejus circumscribitur, qui cùm mentes hominum tenebris & cæcitate penitùs sunt obsessæ, spiritualis esse non potest; alteri illi etiam, iisdem nominibus dicam ascribimus; cùm neque doctrinæ omnis absolutè necessariæ ὑποτύπωσιν exhibeat, neque eâ efficaciâ, quâ cæco intellectui lumen salutare infundi possit, sese exerat; solus enim *Jesus Christus* vitam & incorruptibilitàtem in lucem produxit, idque per Evangelium, 2 *Tim.* 1. 10.

Qui revelationem mentis divinæ, adeóque obedientiæ nostræ, per opera creationis & providentiæ, generali omnium hominum salvandi voluntati subnixam astruunt, præterquàm quod desideria inutilia, proposita imperfecta, intentionem inefficacem, quam efficacem reddere aut nolit, aut non possit, misericordiam nunquàm nusquàm se exerentem Deo ascribere cogantur; istiusmodi etiam distinctionibus utuntur, atq; intrà eos limites assertionem suam coarctant, ut nemini unquàm mortalium Revelationem istam usui salutari fuisse, aut esse potuisse, necesse habeant fateri. Etenim ut ea hujus revelationis seperatio ab illusionibus quibus miris modis ludos fecerit miseros homunciones sibi devinctos tenebrarum Princeps, quam ipsi necessariam esse contendunt, absque verbi lumine fieri nequeat; ità neque ista tenebrarum, cœcitatis & præjudiciorum à mentibus hominum amotio, absque quâ necesse est ut incassum cedat omnis Revelatio, sine speciali ope Spiritus Sancti procurari potest.

De

LIB. I. DIGRESS: I.

De Gratia universali *seu* Theologiæ naturalis in statu peccati ad salutem sufficientiâ dissertatio.

HÆc autem quoniam de iis non est eadem omnium sententia altiùs paulò repetere placet, ac doctissimorum quorundam virorum sententiam examini ὡς ἐν παρόδῳ subjicere. Manifestationem hanc Dei non tantum hominibus peccatoribus *sufficere* ad salutem, sed & ipsos peccatores eâ virtute præditos esse quâ possint manifestatione istâ ità uti, ut tandem reapse salutem consequantur, contendebant olim *Pelagiani*; in eorum sententiam discessit tota pœnè *Arminianorum* natio. Iiscum impræsentiarum congredi, animus non est. Habent in veterum recentiorúmque scriptis quo se satìs diúque exerceant. Ejus autem controversiæ pars aliqua inter fratres nuper agitari cœpta est. Pyrobolum, *gratiam universalem* vocari placuit. Non autem solùm veritatis, sed & inter nonnullos, fraternæ charitatis in hâc lite cardo verti videtur. Ità nempè apud Christianæ mansuetudinis, imò humanæ fragilitatis immemores vivitur. Nequè ex gratiæ Evangelicæ naturâ officium quod exigitur, nec infirmæ conditionis humanæ misericordia, ut in leviculis opinione sejunctos æquo animo feramus, quicquam promovet. Fatemur hominum optimos ἐκ μέρους tantum scire; sanctorum ullos usque adeo perfectè per mentis renovationem in lucem Dei transformari, ut nullis sint tenebrarum reliquiis offusi, nullis erroribus obnoxii, agnoscere nolumus. Hæc verò de aliis omnibus quisque dici debere autumat, de se verò non item. Cùm enim ad rem ipsam, & examen deventum est, nemo hominum est, qui se ità non gerat, ac si optimæ fidei omnis veritatis usquè adeò possessor esset, ut vix æquum sit quemquam communi hâc luce frui, qui ab eo dissentire audeat. Id autem inter veritatis μόρφωσιν, atque ejusdem δύναμιν est discriminis, ut illa mentem tantùm illustret cognitione veri, atque ad assensum doctrinæ evangelicæ præbendum quasi cogat; hæc verò insupèr etiam ejus typum in totam animam inducat, atque mentem ipsam in omnibus ei conformem reddat.

Quæ non ità pridem doctis quibusdam viris in *Belgio*, cum aliquibus melioris notæ in *Galliis* intercesserunt super hâc re digladiationes & simultates, neminem doctum latent, qui res Religionis & Ecclesiarum Christi nosse curat. Occasiones ortum, & progressum controversiæ istius, prout ab aliquot jam retrò annis inter eos agitata est enarrare, cùm ea ex editis hinc indè *Exercitationibus*, *Animadversionibus*, *Apologiis*, *Vindiciis*, plus nimis sint evulgata, nihil aliud esset quàm operam ludere. Neque enim quis inutilius studium insumere potest quàm ea in lucem producendo, quæ ex se sunt nimis nota, & quæ ne unquam cognita essent, optandum fuisset. Non sanè usque adeò pacis adhuc, aut charitatis fraternæ tædium me cepit, ut in mediam dimicationem, quæ variis animorum motibus, ex iis quæ revera sunt ἔξω τοῦ πράγματος oriundis agitatur, importunè & temerè me inserre velim: alia habeo quæ agam. Si verò quid ipse sentiam, de eâ parte istius controversiæ quæ à præsenti nostro instituto non est aliena, imò ità comparata ut nisi sublatâ de eâ dubitatione, vìx viâ institutâ tutò pergere possim, sine ullâ cuiquam contradicendi lubidine candidè exponam, nemini grave, aut molestum fore spero.

Optâssem equidem viros doctissimos, majori cum lenitate, & Christianæ mansuetudinis studio, minori cum fastu (sit verbo venia) & φαντασίᾳ stadium hoc ingressos fuisse. Metuo enim ut apud æquos judices, ac studio partium vacuos sufficiant eæ excusationes quas prætendent forsan, ut quibus sinè minimo opinionis quam veram autumant, aut famæ dispendio carere potuissent. Quid enim, an perindè est quo consilio, quáve mentis dispositione ad res sacras tractandas accedimus? an Spiritum illum Sanctum sine cujus ope & ductu speciali, nihil omnino aut piè incipere, aut fæliciter absolvere possumus (nam id aliquid quod propriis viribus præstare videamur, revera nihil est) exacerbatis animorum nostrorum affectibus, aut mentibus, irâ, odio, vindictâ, aut famæ cupidine præpeditis, quibus maximè prægravatur, se immiscere velle credamus? annon omni ope nobis nitendum est, ne quo modo cùm aliis veritatem annuntiaverimus ipsi simus ejus, δύναμιν quod attinet ἀδόκιμοι. Cùm etiam certissimum sit, neminem unquam veritatem divinam prout in Jesu est ritè percipere posse, nisi qui ex imo cordis seipsum abnegaverit, atque fastum omnem, omniáque præjudicia pro virili deposuerit; quî liceat expectare alios eam veritatem à nobis edoctos iri, cujus vim in nobis non ita experimur, ut in τύπον ejus simus traditi? Ea enim est omnis doctrinæ evangelicæ nativâ suâ luce mentes nostras perfundentis,

fundentis, indoles, ut mites nos reddat & humiles, atqui autori suo, quàm simillimos; nempè sapientia quæ supernè est, *primùm quidem casta est, deinde pacifica, æqua, obsequens, plena misericordia & fructuum bonorum absque disceptatione, & minimè simulata.* Jacob. 3. 17.

Qui aùtem ex altera parte fratres à se disentientes in pacis discrimen, aut famæ apud ecclesias suas adducere vellent, id faciant sine me rivali. Viros doctos, pios, Ecclesiarum *Ministros*, Scholarum *Rectores*, libertate judicii proprii in istiusmodi controversiis privare; & in toto muneris exercitio præcisarum opinionum sub jugum velle mittere, nihil aliud esset quàm *intolerabilem tyrannidem* in Ecclesiam Christi invehere. Neque ego sanè aut notabilem ullum veritatis progressum, aut veritatem profitentium οἰκοδομὴν ἐν ἀγάπῃ inde expectarem, ubi verbi divini dispensatores ceu objecta mancipia, alieni in omni opere suo arbitrii esse coguntur. Neque institutionis ministerii *Evangelici* ratio, neque ipsius *Evangelii* aut fidei natura, neque distinctiones donorum Spiritus Sancti,neque fraterna charitas, neque ædificatio Ecclesiæ, nec luminis cujus in hac vitâ facti sumus participes conditio, neq; innumera præcepta divina,neq; gratiæ ductus quem experimur istius modi oneris impositionem ferent. Sed quantâ clade rem Christianam ubivis penè dudùm affecit ista dominationem in fratres affectantium opinio, nullum sententiarum divortium in iis quæ ad fundamentum fidei immediatè non pertinent tolerari debere, notius est quàm ut nostra enarratione egeat.

Hisce præmissis, *thesim* illam,quam nonnulli nostræ de Theologiæ naturalis corruptæ totali ad salutem *insufficientiâ* opponunt,considerationi subjiciamus. Ea verò est, *Deum velle adultos qui verbo suo carent servari.* An ii qui quid sit *servari*, quid *verbo Dei carere*, sanctè apud se perpendunt, facilem sententiæ isti assensum sint præbituri, equidem vehementer dubito. Deponatur paulispèr studium partium, necessitudinis illius quæ *thesi* huic cum alus opinionibus intercedit consideratio missa facta sit, res plana erit. Caveant modo disputatores ne communioni isti quam ipsi cum Deo per Jesum Christum gratiosè obtinueruntin rebus salutis æternæ obstrepant *syllogismis*, & quiescent forsan hæc certamina.

Voluntas autem Dei de salvandorum salute, vel *finem* & eventum respicit, & intentio, propositum, aut *decretum dicitur*; vel *media* quibus ii uti debent qui vellent salvos fieri, & *præceptum* vocatur. Quo autem

Quæ non ità pridem doctis quibusdam viris in *Belgio*, cum aliquibus melioris notæ in *Galliis* intercesserunt super hâc re digladiationes & simultates, neminem doctum latent, qui res Religionis & Ecclesiarum Christi nosse curat. Occasiones ortum, & progressum controversiæ istius, prout ab aliquot jam retrò annis inter eos agitata est enarrare, cùm ea ex editis hinc indè *Exercitationibus*, *Animadversionibus*, *Apologiis*, *Vindiciis*, plus nimis sint evulgata, nihil aliud esset quàm operam ludere. Neque enim quis inutilius studium insumere potest quàm ea in lucem producendo, quæ ex se sunt nimis nota, & quæ ne unquam cognita essent, optandum fuisset. Non sanè usque adeò pacis adhuc, aut charitatis fraternæ tædium me cepit, ut in mediam dimicationem, quæ variis animorum motibus, ex iis quæ revera sunt ἔξω τῦ πράγματος oriundis agitatur, importunè & temerè me inserre velim: alia habeo quæ agam. Si verò quid ipse sentiam, de eâ parte istius controversiæ quæ à præsenti nostro instituto non est aliena, imò ità comparata ut nisi sublatâ de eâ dubitatione, vix viâ institutâ tutò pergere possim, sine ullâ cuiquam contradicendi lubidine candidè exponam, nemini grave, aut molestum fore spero.

Optâssem equidem viros doctissimos, majori cum lenitate, & Christianæ mansuetudinis studio, minori cum fastu (sit verbo venia) & φαντασίᾳ stadium hoc ingressos fuisse. Metuo enim ut apud æquos judices ac studio partium vacuos sufficiant eæ excusationes quas prætendent forsan, ut quibus sinè minimo opinionis quam veram autumant, aut famæ dispendio carere potuissent. Quid enim, an perindè est quo consilio, quâve mentis dispositione ad res sacras tractandas accedimus? an Spiritum illum Sanctum sine cujus ope & ductu speciali, nihil omnino aut piè incipere, aut fælicitèr absolvere possumus (nam id aliquid quod propriis viribus præstare videamur, revera nihil est) exacerbatis animorum nostrorum affectibus, aut mentibus, irâ, odio, vindictâ, aut famæ cupidine præpeditis, quibus maximè prægravatur, se immiscere velle credamus? annon omni ope nobis nitendum est, ne quo modo cùm aliis veritatem annuntiaverimus ipsi simus ejus, δύναμιν quod attinet ἀδόκιμοι. Cùm etiam certissimum sit, neminem unquam veritatem divinam prout in Jesu est ritè percipere posse, nisi qui ex imo cordis seipsum abnegaverit, atque fastum omnem, omniàque præjudicia pro virili deposuerit; quî liceat expectare alios eam veritatem à nobis edoctos iri, cujus vim in nobis non ita experimur, ut in τύπον ejus simus traditi? Ea enim est omnis doctrinæ evangelicæ nativâ suâ luce mentes nostras perfundentis,

fundentis, indoles, ut mites nos reddat & humiles, atqui autori ſuo, quàm ſimillimos; nempè ſapientia quæ ſupernè eſt, *primùm quidem caſta eſt, deinde pacifica, æqua, obſequens, plena miſericordiæ & fructuum bonorum abſque diſceptatione, & minimè ſimulata.* Jacob. 3. 17.

Qui aùtem ex altera parte fratres à ſe diſentientes in pacis diſcrimen, aut famæ apud eccleſias ſuas adducere vellent, id faciant ſine me rivali. Viros doctos, pios, Eccleſiarum *Miniſtros*, Scholarum *Rectores*, libertate judicii proprii in iſtiuſmodi controverſiis privare; & in toto muneris exercitio præciſarum opinionum ſub jugum velle mittere, nihil aliud eſſet quàm *intolerabilem tyrannidem* in Eccleſiam Chriſti invehere. Neque ego ſanè aut notabilem ullum veritatis progreſſum, aut veritatem profitentium οἰκοδομὴν ἐν ἀγάπῃ inde expectarem, ubi verbi divini diſpenſatores ceu objecta mancipia, alieni in omni opere ſuo arbitrii eſſe coguntur. Neque inſtitutionis miniſterii *Evangelici* ratio, neque ipſius *Evangelii* aut fidei natura, neque diſtinctiones donorum Spiritus Sancti, neque fraterna charitas, neque ædificatio Eccleſiæ, nec luminis cujus in hac vitâ facti ſumus participes conditio, neq; innumera præcepta divina, neq; gratiæ ductus quem experimur iſtius modi oneris impoſitionem ferent. Sed quantâ clade rem Chriſtianam ubivis penè dudùm affecit iſta dominationem in fratres affectantium opinio, nullum ſententiarum divortium in iis quæ ad fundamentum fidei immediatè non pertinent tolerari debere, notius eſt quàm ut noſtra enarratione egeat.

Hiſce præmiſſis, *theſim* illam, quam nonnulli noſtræ de Theologiæ naturalis corruptæ totali ad ſalutem *inſufficientiâ* opponunt, conſiderationi ſubjiciamus. Ea verò eſt, *Deum velle adultos qui verbo ſuo carent ſervari.* An ii qui quid ſit *ſervari*, quid *verbo Dei carere*, ſanctè apud ſe perpendunt, facilem ſententiæ iſti aſſenſum ſint præbituri, equidem vehementer dubito. Deponatur pauliſpèr ſtudium partium, neceſſitudinis illius quæ *theſi* huic cum aliis opinionibus intercedit conſideratio miſſa facta ſit, res plana erit. Caveant modo diſputatores ne communioni iſti quam ipſi cum Deo per Jeſum Chriſtum gratioſè obtinuerunt in rebus ſalutis æternæ obſtrepant *ſyllogiſmis*, & quieſcent forſan hæc certamina.

Voluntas autem Dei de ſalvandorum ſalute, vel *finem* & eventum reſpicit, & intentio, propoſitum, aut *decretum dicitur*; vel *media* quibus ii uti debent qui vellent ſalvos fieri, & *præceptum* vocatur. Quo au-

tem sensu Deus velit eos servari, qui reâpse nunquam salvabuntur, quos finit volens *in suis ipsorum viis incedere*, in quibus ut serventur prorsus est impossibile, quos ad resipiscentiam per illud medium non vocat, nec vocare vult, per quod solum ut quis vocetur ad veram resipiscentiam est possibile, ea est fateor mea hebetudo, ut non intelligam. Qui enim ea salutis media tantum concedit, quæ neque quis salutis author sit, neque per quem sit obtinenda, neque quid sit salus ista revelare possunt, potius eorum salutem quibus illa concedit nolle, quàm velle dicendus videtur. Si ad eos, qui spirituali αἰσθήσει instructi, atque mediorum omnium salutarium etiam ipsius Spiritûs Sancti πλουσίως per Jesum Christum effusi, ope & auxilio freti, sciant quid sit Deo in medio tentationum servire ita ut tandem ineffabili ejus gratiæ beneficio salutem consequantur, extra contentionis funiculos positos, lis hæc decidenda deferatur, facilis futura esset ejus æstimatio.

Qui eas orbis partes quæ etiamnum verbo carent animo lustrare, atque quæ sit miserorum hominum in iis ætatem degentium salutis æternæ respectu conditio intueri velit, ad eam Dei voluntatem quam deprædicant viri aliquot docti proculdubio animo suspensus hærebit. Teterrimam eorum conditionem *uni malitiæ*, scio, ascribendam esse contendent; neque Ego id absolutè ità fieri debere nego. At malitiam eorum, eam excedere, quâ naturalitèr imbuti sunt ii omnes, quibus, quoniam velit eos salvos fieri, verbum suum Deus concesserit, nego. Quo ideo sensu Deus dicendus sit eos *velle servari*, qui neque unquam servabuntur, & quibus nolit media ad salutem necessaria suppeditare, res est nimis impedita, & quæ faciles explicatus respuit.

Asserunt quidam, *posse iis prædicari verbum, id verò non fieri per nostram negligentiam, & socordiam*. Evangelium quidem *posse* prædicari, iis etiam quibus non prædicatur nemo dubitat. Quæ enim è re ipsâ contradictio oriri videatur? at *posse* id fieri respectu eventûs, quod voluit ex æterno Deus ne fieret, id nondum probatum est. Quod pluribus actu non prædicetur, neque olim prædicatum fuerit, scriptura voluntati Dei ascribit, *Psal.* 141. 19, 20. *Matth.* 11. 26. *Act.* 16. 6, 7. Ex negligentiâ & socordiâ nostrâ id ità evenire non videtur. Quamvis si ita esset difficultas sublata non foret. Eam enim socordiam Deum nobis auferre posse si velit, nemo dubitat. Sed nisi ubi officium est negligentia & socordia locum non habent; omne autem officium nostrum à voluntate Dei nos ad officium vocantis dependet. At quomodo docebunt,

bunt, nos ad officium prædicandi Evangelium iis qui hactenus in diversis mundi partibus eo caruerunt à Deo vocari? Demus viris doctis haud opus esse ecclesiasticâ aliquâ missione ad munus illud obeundum. Quis enim eâ catholicâ potestate instructus est ut alios ità mitteret? at scire velim quænam sit ea Dei providentia, quæ de voluntate ejus ità nos certos faciat, ut in fide opus illud aggredi possimus; aut quinam sint, qui ad illud ritè perficiendum donis sint instructi; nimis equidem nos omnes esse *negligentes* & *socordes* in eâ provinciâ administrandâ in opere evangelii, quam nobis Deus gratiosè delegavit, fateor; ϗ πρὸς ταῦτα τὶς ἱκανὸς? at vero eousque socordiæ nostræ reatum se extendere, ut ei etiam imputandum sit quòd *Americæ* incolis Evangelium non sit prædicatum, mihi sane ab omni æstu disputationum immuni, non est credibile.

Sed sententiam virorum doctissimorum penitùs introspicere placet. Primo ideo concedunt, neminem unquam *Paganum citra prædicationem verbi, ita Dei documentis sibi à naturâ, vel providentiæ operibus objectis usum fuisse, vel uti potuisse, ut resipisceret & salutem consequeretur.* Ità loquuntur viri quidam celeberrimi; atque sic se à *Pelagianis* omnibus, *Arminianis* plerísque, etiam à petulantibus hìc apud nos conviciatoribus nonnullis in hac re diversissimè sentire ostendunt. Et quidni sane totius hujus litis æstimatio hìc fieri possit? nihílne habemus aliud magis ex nobis & majus, quàm ut tempus teramus disputando utrùm id fieri possit annòn, quod nequè unquam fuit, nequè est futurum, imò quod ne unquam fieret Deus in sese proposuerit? sed alia res est, uti videbimus.

Addunt ideo, *istiusmodi adminicula data esse Paganis, quæ in, & ex se ducunt ad aliquem gradum notitiæ salutaris.* Ità enim loquitur Vir Doctissimus, & magni nominis in Theologiâ. At omnis gradus notitiæ salutaris, ipse est salutaris. Salutaris autem omnis notitia in cognitione fœderis gratiæ consistit. Nisi ideo gradus ille salutaris notitiæ, qui per ista adminicula comparari potest planiùs sit exposita, licebit mihi profiteri me gradum illum neque capere, neque intelligere. Minimus etiam salutaris notitiæ gradus, renovationem mentis salutarem requirit. Ut in mente cœcâ, gradus aliquis sit salutaris notitiæ impossibile est. Nam in salutari notitiâ renovatio ejus consistit. Ubi autem renovatio mentis est, ibi est Spiritus Sanctus, qui solus illam operatur & efficit. Adminicula ideò ista quæ ad *gradum aliquem notitiæ salutaris ducunt*, ad Spiritum etiam Sanctum obtinendum, renovationem mentis, & veram

ram fidem dicunt. At hoc opus Evangelii peculiare esse, ipsum ubivis docet. Sin per *notitiam salutarem*, doctrina tantum salutaris intenditur, non autem mentis renovatio, tùm ista adminicula homines peccatores ad doctrinam Evangelii, saltem ejus gradum aliquem, ducere, istius enuntiati sensus est. Id vero utrùm verum sit, posteà videbimus.

In eo statu sanè nos jam sumus, ut nisi cognoscamus Jesum Christum quem Deus misit, & Deum in illo mundum sibi reconciliantem, vitam æternam consequi haud valeamus. Omnis autem ista Dei notitia, quam sinè verbo ex operibus creationis & providentiæ homines peccatores acquirere possunt, est tantum cognitio Dei *Creatoris*, & gubernatoris omnium; de Redemptione altissimum silentium. Sed regerunt; *Hæc si recta sunt, efficiunt ut homo etiamsi per impossibile supponatur in natura scholâ benè & ex officio versari, omnémque suam intelligendi vim ad ea quæ istic vel audit vel videt expendenda ac discenda conferre; nihil aliud tamen ex hisce documentis haurire possit, nisi hoc unum, Deum esse aliquem sanctissimum, justissimum, potentissimum ac sapientissimum, qui hoc universum condiderit, & regat; se verò peccatorem esse violatæ divinæ legis reum, iræ ideo cælesti obnoxium, morte & maledictione sine ullâ spe veniæ certissimè afficiendum; ità necesse est Deum ista omnia eo animo hominibus objicere, ut discant, se certò & infallibiliter damnatos esse, neque ullum sibi neque ad salutem, neque ad resipiscentiam quæ eos juvet relictum esse locum.*

Sed multimodè peccat hæc oratio; atque ità fit, ubi ex studio partium, non æquo & bono res agitur. Etenim si liceat Viris doctis supponere quicquid velint, sive illud possibile sit, sive impossibile, quin ex eo inferant quodcunque vellent nemo potest eos prohibere. Et si nolim supponere ea quæ sanè nonsunt supponenda, quia tacitam τῦ ἐν ἀρχῇ petitionem includunt, statim concidit tota oratio. Deinde quis unquam dixit hoc unum doceri per opera Dei? plura doceri possunt, ita tamen ut Christus non doceatur; Deum hunc summè amandum & colendum esse ejus opera docent; nempe quia eum Deum esse docent. Sunt & alia corruptæ Theologiæ naiuralis capita uti ostendemus. Porrò qui affirmant Deum per opera sua se revelare, ut homines eum cognoscant tanquam omnium Creatorem, Rectorem, Gubernatorem, potentissimum, sanctissimum, justissimum, non dicunt, neque si sibi constare velint dicere possunt, eum omnia in naturæ & providentiæ operibus documenta eo animo homininibus objicere, ut discant se certò damnatos esse. At inquies ex eorum sententiâ æternam suam salutem quod attinet, nihil aliud discere possunt

sunt homines peccatores: esto sane! haud citò mali quid ex hâc sententiâ oriturum ostendes: quid enim? an litem quis Deo intendat, quia justus est: neque potest non esse justus? an adversus eum accusatio ducenda quòd homines sint peccatores, & non possunt jus ejus ignorare, nempe eos *qui peccata fecerant dignos esse morte?* quòd è statu quo ex istâ ejus Revelatione salutaria percipere potuerint, nefariè desciverint? Sed misericordiam suam parcentem (hoc est in fœdere gratiæ) per opera creationis, & providentiæ non exponit? quid tum? an ipsa lex Dei quæ multò clariorem Dei manifestationem continet, quàm illa altera adminicula,& documenta, de quibus loquimur, eam misericordiam enarrat? an vero quispiam mortalium legi Deo ob eam causam dicam impingere ausus erit? nonne ubivis disputat Apostolus, per *legem esse cognitionem peccati*, remedii non item. Posito ideo quòd homo ritè & sedulò in scholâ legis officio suo fungeretur, at nihil aliud in eo discere potest, quàm se esse peccatorem, atque certò damnandum. An lex ideo peccatum, an Deus injustus qui eam tulit? μὴ γένοιτο. & tamen *quotquot ex operibus legis sunt, sub execratione sunt.*

Dicent verò *Deum hanc sui manifestationem hominibus concedere eo animo & voluntate, non ut despicerentur, sed ut iis rectè utantur ad cognitionem peccati, resipiscentiam, & ad cultum Dei pro rerum istarum ingenio.* Deum sui documenta hominibus objicere eo animo & voluntate ut *despicerentur*, an mortalium cuiquam per somnium inciderit cogitatio, vehementèr dubito. At vero eum providentiæ suæ opera iis qui verbo carent proponere eo animo & voluntate ut iis recte utantur ad resipiscentiam, quod eos nunquam facturos probè novit, cùm id etiam norint Viri docti quibuscum nobis res est, vix fidem facient apud eos qui Dei beneficio verbo non carent. Neque ipsi Viri docti ità insipientèr reculas proprias disponerent. Deindè quid per animum & voluntatem Dei in hâc quæstione intelligunt haud satis accuratè docent. de iis vero postea.

Hujus autem controversiæ cardinem in eo poni nonnulli asserunt, *utrum* scilicet *in natura & providentiæ operibus, aliqua Dei in homines peccatores lenitas, & placabilitas manifesta fuerit?* At pace eorum dixerim causa hæc multò alitèr se habet. Aliquam Dei lenitatem in homines peccatores per opera providentiæ manifestari novimus. *Multâ enim cum lenitate perfert vasa iræ compacta ad interitum.* Sed ea lenitas illa non est quæ in misericordia parcente cujus est effectum remissio peccatorum

catorum consistit. At sine hujus cognitione ut quis ad salutarem resipiscentiam perveniat est impossibile. Deinde voluntatis Dei nulla hìc mentio; at de ea solâ quæstio est, non de rerum ipsarum naturâ, neque an aliquis notitiæ salutaris gradus ex hâc manifestatione comparari possit. Quamvis de illis etiam agere haud displiceat. Sed viros pios doctósque è tenebris in mirificam Christi lucem translatos, qui animas suas purificârunt auscultando veritati per spiritum, posse itâ jejunè & languidè de notitia salutari misericordiæ divinæ parcentis loqui, penè miror. Sed in examinandis Virorum doctorum verbis non necesse est ut ulteriùs iis sim molestus. Scio me in hâc causâ nullo partium studio esse abreptum, nullius *magistri* aut *synodi* in verba juratum; ipse ideo, quâ possim fide, controversiæ statum exponam; primo autem in loco ea in quæ partes consentiunt proponam; deinde controversa. Totam autem rem dicam forsan breviùs quàm res tanta dici debeat; sed pro nostro instituto, uti spero, perspicuè satis; neque enim amplè & elatè in ea causâ loqui, in quâ non nisi humilitèr & demissè sentio, placet.

Conceditur ideo:

1. Esse aliquam *naturalem* de Deo notitiam, seu θεογνωσίαν ἔμφυτον, quam nos superiùs exposuimus.

2. Per opera creationis & providentiæ Revelationem æternæ potentiæ & Deitatis Dei Creatoris, & omnium Rectoris, factam esse.

3. Quicquid de Deo cognoscunt homines, aut vi revelationis ipsis indultæ cognoscere possint, eo omni in illum finem eos uti debere, ut ipsum colant, ament, ut Deum glorificent, atque ei se in omnibus dicto audientes præbeant.

4. Neminem *Paganorum* ob nativam cœcitatem & malitiam, atque astum diaboli eos undique pravis superstitionibus, & nefariis idololatriis illaqueantis, se Dei imperio submisisse, aut morem ei gessisse, secundum mensuram cognitionis quam de eo habuit, vel habere potuit, atque ideo eos omnes fuisse prorsus inexcusabiles.

5. Christum Mediatorem per hæc media non revelari; non eatenùs saltèm ut ab iis qui hæc media tantum obtinuerunt, percipi salutaritèr potuerit.

6. Revelationem Christi Mediatoris per Evangelium absolutè necessariam esse ad salutem obtinendam.

7. Præter externam omnem qualemcunque vel quibuscunque mediis factam Dei, & voluntatis ejus Revelationem, opus esse efficaci virtute Spiritus Sancti mentem luce salutari perfundente, ut quis spiritualia

lia spiritualitèr intelligat, ad Dei gloriam suíque salutem æternam.

8. Deum non proposuisse ab æterno in se, ut ulli eorum quibus alia media salutis præter opera naturæ & providentiæ non concedit, servarentur. De hisce omnibus vix quæstio ulla est inter *Orthodoxos*.

Totius ideò controversiæ cardo in hisce duabus Quæstionibus versari videtur; Quæritur enim Primò; *An ea Dei manifestatio, quam per opera naturæ & providentiæ peccatoribus verbo destitutis concedit, ullum gradum notitiæ verè salutaris in se contineat, cujus ductu ad veram & Deo gratam resipiscentiam pervenire possint, atque salutem æternam consequi.*

Secundò; *An Deus hanc sui manifestationem, eo animo & voluntate* (hoc est proposito & intentione) *indulgeat, ut ii quibus est indulta* (uti est omnibus omninò hominibus) ad veram resipiscentiam atque Deo gratam veniant, & itá salutem æternam consequantur, *licet verbo destituuntur*. Hoc est, & sufficientia mediorum, & intentio Dei eorum salutis respectu, qui verbo carent, sub controversiâ cadunt.

Argumenta autem nonnulla ex scripturis petita, quæ in hâc lite in nonnullorum scriptis extant, brevitèr examini subjicere visum est. Primùm autem ex verbis *Paulinis*, quæ anteà nos retulimus, ex *Act*. 17. *vers*. 24, 25, 26, quibus addunt nonnulla ex *cap*. 14, 16, deducitur. Ex hisce locis constat, inquiunt, *Deum omnia in naturâ, & naturæ gubernatione opera edere eo animo, ut homines peccatores ipsum quærant, & inveniant*; *idque disertissimè Paulum testare affirmant*. Sed affirmatio hæc vix statum controversiæ tangit, nedum absolvit. Quid id est quo ex hisce locis sententiæ suæ fidem præstruere conantur, atque deindè quomodo probationes suas pertexant, restat ut videamus.

Primò ideò postquàm Deum dicta adminicula hominibus verbo destitutis eo animo administrâsse ut ipsum *quærerent* & *invenirent*, præstruxerint, in iis ea omnia contineri quæ scitu sunt necessaria, ut Deus *quæratur* & *inveniatur* concludunt; *Quærere autem Deum*, dicunt, *non esse, investigare an sit, sed ad fidem ejus confugere, & gratiæ ejus præsidium expetere. Deum* autem *invenire, esse expetitum ejus præsidium obtinere & impetrare, & sanctissimum ejus numen propitium & benevolum experiri*. Resp. Ad *fidem Dei confugere*, est in Deo confidere; quod qui faciunt sunt beati: *Psal*. 2. 12: *gratiæ Dei præsidium expetere*, sui abnegationem, & in Dei gratiam resignationem includit, quæ justificationem semper pariunt. *Lucæ* 18. 13, 14: atque hoc est sanctissimum

Dei numen propitium & benevolum experiri; quod nisi in remissione peccatorum nulli unquam obtigit. Atquè ità in Deum salutariter credere, fide vivâ & efficaci ad salutem, per istas verborum *Paulinorum* interpretationes intendere videntur.

At immanè quantùm thesin propositam hìc ampliant. Forsan ultrà spem in argumentando se profecisse sentiunt, qui ità argumentantur, ità ut non possint sibi eoúsq; temperare ut intrà limites quæstionis, prout ab ipsis communiter proposita est consisterent. Quid enim! an manifestatio Dei per opera providentiæ, omnia quæ scitu necessaria sunt ut homines peccatores ad Deum totâ animi fiducia confugiant, eum propitium experiantur, colant, atque in eum credant, ex virorum summorum sententiâ, continere censenda est? Cùr ideo ea providentiæ opera Christum revelare negent iidem viri docti? aut cur notitiam Christi necessariam esse ad fidem vivam & salutem consequendam asserant? imò si ità se res habeat, quid verbo opus est? aut quo sensu Christum per Evangelium *vitam & incorruptibilitatem in lucem produxisse* dicamus?

Quoniam verò hùc deventum est, videamus quomodo ex hoc loco sententiam hanc statuminare conantur; ex constitutione περιοχῆς Apostolicæ, & sensu verborum, *quærendi* & *inveniendi*, Deum scilicet, dependet omnis argumenti ratio quo utuntur viri docti; animum & Consilium Dei probant ex istâ verborum structurâ; nempe ζητεῖν τὸν κύριον, dixit *Paulus*, pro ἕνεκα τοῦ ζητεῖν; nimirum ut animum Dei hominibus peccatoribus opera sua objicientis prædicaret; τρόπῳ λέξεως uti affirmant *Græcis* familiari. *Quærere* autem *Deum*, non alio sensu accipi debere, quàm qui ab iis est expositus, adductis omnibus locis veteris Testamenti, in quibus Deum quærendi & inveniendi fit mentio probant.

Atque ita quidem causam suam agunt viri doctissimi: an verò mentem Spiritus Sancti, an vim Argumenti Paulini assecuti sint, verborum Apostoli occasionis, & sensus, brevis enaratio docebit. *Paulus* ideò cùm *Athenis* esset, spiritu irritatus quòd conspiceret urbem illam idolis refertam, *v.* 16; non potuit sibi temperare, quin illicò, contrà quod ei primò constitutum fuisse videtur, Deum vivum, in oppositione ad omnia illa idola μάταια quorum religione tenebatur urbs superstitiosissima, publicè exponeret, & annuntiaret. Cum verò hoc ei propositum fuerit, argumento utitur promptissimo æquè ac fortissimo, à creatione, & gubernatione omnium ducto. Quò autem ipsos idololatras

tras arctiùs constringeret, docet eos omni excusatione in idolorum cultu penitissimè esse destitutos; cùm hæc ipsa Dei opera quæ quotidiè iis objiciebantur, luculenter eorum authorem indicarent Deum esse, eúmque summum, bonum, sapientem, potentem, & ubique præsentem; itâ ut non nisi supremæ esset dementiæ, illum nescire velle, quem ignorare penitùs non potuerunt; imò, inquit, Deus iste vivus, omnium Creator rectórque, eo animo opera sua, naturæ, & providentiæ omnium considerationi objicit; ut illorum Authorem per ea adminicula *quærerent, si fortè palpando invenirent*, qui ideo eo relicto, vel in ultimum locum tanquam ignoto, rejecto, qui solus & est, & cognosci potest, ad ea quæ aut non sunt, neque usquam fuerunt, aut vana sunt, & stulta, se religiosè recipiant, non possunt non esse & ἀναπολόγητοι, & αὐτοκατάκριτοι.

Probat ideo Apostolus, gentilium deos vana esse *idola*; verum autem Deum & vivum, unicum hujus mundi & conditorem & rectorem, se iis itâ exposuisse, ut eum facillimè, & nullo negotio, ex certâ operum ejus consideratione, quæ quotidiè eis objecit, cognoscere potuêrunt. Si itaque animo advertissent, atque ex adminiculis cognitionis suæ, quæ illis affatìm suppeditavit, deum, quod fieri oportuit, quémque esse denegare non potuêrunt, quæsiissent; utique *invenissent* eum, cum non longè ab eis fuerit, neque ad muta idola, & vana se transtulissent. Neque enim verba *Apostoli*, ultrà subjectam, materiam, atque concionandi occasionem porrigenda sunt.

Videamus porro quid sibi velint ea verba Apostolica, ut *quærerent dominum, si fortè palpando eum invenirent*, prout consilium & voluntatem dei respicere videantur; Cùm autem superstitiosissimi Idololatræ fuerunt, quibuscum Apostolo res erat, apparet ipsum eventum per ea non intendi, neque propositum aliquod voluntatis divinæ, ejus respectu, cum Deus proposita sua exequendi, neque vi, neque sapientiâ destituatur; ipsam rerum indolem & ingenium, ea verba denotare certum est: ac proinde id mentis divinæ consilium, quo voluerit illa omnibus hominibus ita objicere, ut essent media sufficientia externa, hoc est, in genere suo, ad finem istum propositum assequendum; nempe ut *quærerent*, & *invenirent* conditorem & rectorem omnium. Deum ideo eo animo & voluntate hominibus verbo destitutis opera naturæ & providentiæ objicere, ut eorum ductum secuti, se authorem eorum, atque rectorem omnium, relictis diis falsis, & totâ illâ Idololatriæ lernâ, quam in mundum, humanæ mentis cœcitas, atque astus diaboli invexerant, *quærerent*

runt & invenirent; atque præterea nihil ex iis locis confici posse videtur. Imò de voluntate & consilio dei in mundo condendo & regendo verba nulla reverâ facit *Apostolus*. Probat gentes potuisse ad eam illius cognitionem, quam superius posuimus, pervenire, per nudam operum ipsis objectorum considerationem. De *placabilitate* verò Dei, de remissione peccatorum, de *sinu misericordiæ*, de invocatione atque precibus, de resipiscentiâ salutari, de studio sanctè rectèque vivendi, quæ sine fide nemo habere potest; atque alia id genus plura, quæ ex hisce locis exsculpere satagunt viri aliqui docti, altum est silentium.

Videamus verò quemadmodùm viri docti thesin suam ex hisce verbis Apostoli probare nituntur: primò ideo ζητεῖν τὸν κύριον, pro ἕνεκα τοῦ ζητεῖν *Paulum* dixisse affirmant: at verò cum nulla necessitas, aut ratio cogat eam *Apostolici* sermonis interpretationem, id gratìs dictum esse existimandum est. Sed nihil omninò opus est, ut de phrasi istâ litem moveamus; concedamus ideo viris doctis, ut jure suo utantur, in horum verborum â proprio loco quem dissertatione Apostolicâ occupant, *Act.* 17. 27, divulsione, atque eorum ad alia ejusdem Apostoli verba, quæ *Act.* 14, 16, habentur applicatione, si modò iis illud agendi potestas sit; demus etiam τὸ ζητεῖν, eodem sensu accipi debere, quo versu præcedenti κατοικεῖν usurpatur; atque eoúsque consilium dei in creando & regendo mundo denotare, quatenùs scilicet, mundus iste suâ naturâ aptus sit ad eum manifestandum. Quid tum porro sequi videatur? nempe, εἰ ἄρα γε ψηλαφήσειαν αὐτὸν καὶ εὕροιεν *ad eundem modum exponi debere*; atque ità eandem Dei intentionem seu voluntatem denotare. Sed quid ita quæso? nempe εἰ ἄρα & εἴπως, pro ἵνα & ὅπως, *sumuntur*. Sed an semper id fit, an aliquando tantùm; semper id ita fieri non puto dicturos viros doctos: cum unicum tantum exemplum producere possunt, ubi videtur εἴπως ita accipi posse; de εἰ ἄρα γε silent. εἰ ἄρα γε sanè forsân hoc solo in loco novi Testamenti occurrit: εἴ γε atque εἰ ἄρα sæpius. *Act.* 7. 1. *cap.* 8. 30. 2 *Cor.* 5. 3. *Gal.* 3. 4. *Eph.* 3. 2. *Cap.* 4 21. *Col.* 1. 23, exemplis esse possunt. Tentet *Lector*, si ex eorum Locorum aliquo saltem, istum harum particularum sensum & usum extorquere possit. De εἴπως nihil opus est ut simus solliciti, neque ut quid de usu ejus exposuerit *Eustathius* anxiè quæramus, cùm in textu nostro non habeatur. Apostolum autem mentem, consilium, voluntatem Dei iis verbis exposuisse, quæ extremam denotant incertitudinem, creditu difficile est. Deum ideo in mundo condendo & regendo, potentiæ & divinitatis suæ istiusmodi dedisse documenta, ut per ea ad omnium conditorem quærendum excitari potuerint, nec non ad vires suas tentandas

randas eum inveniendi, atque ab idolis omnibus discernendi hujus loci sententia est. Nempe deus incorporeus & invisibilis, in operibus istis, sui quasi vestigia ita reliquit, ut iis inhærendo, inveniri possit.

At vero in sensu verborum, *quærendi & inveniendi*, causæ suæ firmius præsiduum invenisse se putant nonnulli. Media illa cognitionis Dei de quibus agimus, aliquo saltem respectu sufficientia esse ad Deum eo modo quærendum, & forsan inveniendum, de quo loquitur *Apostolus*, negari non potest: etenim aliter iniquus esse censendus est *Apostolus*, qui id ab iis qui nulla alia media habuerunt, postulaverit. At verò *quærere deum, & invenire affirmant, non esse deum simpliciter investigare, ut homines cognoscant eum esse, atque quid sit*, (quamvis ista verba nihil aliud exprimere videantur) *sed ad fidem ejus confugere, in eo acquiescere, eum invocatione & precibus colere, totâ animi fiduciâ eum amplecti, atque propitium experiri; atque proinde media ista omnibus suppeditata in hosce fines sufficientia esse, atque à Deo destinata uti ita sufficerent;* nempe hominibus verbo destitutis. Cum autem verba ista, si modo eis non alio sensu utantur, quàm quo in Sacrâ Scripturâ usurpantur, (neque sanè decet virum *Theologum* vocabulis ullis istiusmodi sensu qui abs unicâ nostrâ de rebus sacris sentiendi & loquendi regulâ & normâ abhorret, uti) totum fidei salvificæ opus absolvant, atque ita media ista cum ipso Dei verbo quod *supra omne nomen ejus magnificavit*, rem ipsam quod attinet, æquaverint, validissimis Argumentis & probationibus ad παράδοξον istud stabiliendum, sibi opus esse haud dubio concedent. Ad interpretationem itaq; hanc suam horum verborum firmandam, omnia loca veteris Testamenti, in quibus *quærendi* deum, & *inveniendi* fit mentio, in medium aliqui proferunt; atque *ea verba in iis locis, alio sensu, quam qui est ab ipsis expositus, accipi non posse affirmant*. Eundem autem esse sensum eorum verborum hoc in loco, *non esse dubitandum* asseverant. Id quidèm non esse dubitandum, facile dictu est; ego verò non tantum de eo dubito, sed id planè falsissimum esse judico; neque satis mirari possum quomodo ulli in mentem venire possit, istud asserere.

Nam in omnibus *istis* locis loquitur S. S. de populo Dei fœderato; in *hoc* vero de iis tantùm qui extranei erant quoad pactorum promissiones; in *istis*, de iis qui actu ipso, saltem professione tenus fideles erant; in *hoc* de idololatris, in *istis* de iis qui Deum cognoverunt in verbo, & idola abominati sunt; in *hoc* de iis quibus penitus erat ignotus; in *istis* agitur de quærendo & inveniendo Dei cogniti favorem per Christum; in *hoc*,

de

de deo per opera naturæ&providentiæ quærendo,ut cognoſcatur;in *iſtis* agitur de deo cognito, at ob peccatum in diſpenſationibus externis ad momentum averſo,& per promiſſum eum inveniendi propitium in Chriſto;in *hoc* vero de deo ignoto quærendo,atq;ab idolis diſcernendo,an jam *hiſce* de,atq; illis eodem ſenſu ea verba proferri putemus; de iis nempe qui cum populus fuerint Dei fœderatus, fideles, in Chriſto juſtificati, verbo inſtructi, promiſſionibus evangelicis innixi, dei faciem, favorem quærere neceſſe habuerint;atque illis,qui verbo deſtituti, omníque revelatione Chriſti,fœderis divini extorres,ἄθεοι in mundo,ut deum eſſe cognoſcant, atque idola ſua vana, οὕτω deum non fuiſſe, naturæ tantùm & providentiæ opera ſibi objecta habuerunt? imò abſit quàm longiſſimè vel levicula iſtiuſmodi ab omni piâ mente ſuſpicio.

Neque etiam abſolutè dicitur de iis quos neglegentiæ & ſocordiæ reos ob non conſiderata Dei opera peragit Apoſtolus,ut deum *quærant*, ſed ut *eo modo* quærant; nempe ſi modò palpando eum inveniant; an verò id dici poſſit de ſanctis iis quorum veteri in Teſtamento ſit mentio, qui certiſſimis dei in Chriſto promiſſis nixi, ad eum accedere ſoliti ſunt, Lectori judicandum relinquo. Aliud igitur omnino eſt quærere favorem & gratiam dei per verbum ſuum revelati, vi promiſſorum ſuorum in Chriſto; aliud quærere deum ignotum, in operibus naturæ & providentæ, ſi forſan *palpando inveniri poſſit.*

Cum vero omnes Theologi,quotquot novam methodum, uti vocant, ſequuntur, firmiſſimum cauſæ ſuæ præſidium, in quâdam dei *placabilitate*, quam in operibus providentiæ patere aſſerunt, poni putent; non inutile forſàn fore videbitur, ſi rem hanc paulò altiùs repetens, quid de *placabilitate* iſtâ, quæ in hac diſputatione utrámque penè facit paginam ſentiendum ſit,atq;quid de eâ re,ipſæ perceperint gentes,verbo deſtitutæ,paucis exponam;Etiam quoniam in omnibus virorum clariſſimorum argumentis, ubivis nobis obviam ſit iſta placabilitas, quicquid ad eam loco movendam compendifaciens, dixero, in lucro poni poſſe videtur.

Hominum peccatorum verbo deſtitutorum, ſtatum & conditionem, cognitionem dei quod attinet, ſuperiùs deſcripſimus. Qualem, deum cognoſcendi δύναμιν naturalem, ſponte in adultis ſe exercentem, quas προλήψεις, & κοινὰς ἐννοίας, in eo ſtatu retinuerint, etiam oſtendimus. Eas vero de deo notiones congenitas, foveri, augeri, ellici poſſe, per operum providentiæ conſiderationem, itidem pluribus demonſtravimus.

mus. Atque hic quidèm modus deum cognoſcendi, in ſtatu integritatis hominibus ad omnem obedientiam ritè præſtandam, atque præmium obedientiæ aſſequendum, abundè ſufficiſſet. Per peccati verò ingreſſum ita turbatus eſt,ut ex eo animi dubii pendeant peccatores,aliis inde explicatam deum colendi rationem ullam habere non poſſint. Ex unâ parte, deum, bonum, munificum, patientem, *mite quid & homini cognatum*, non potuerint non apprehendere. Ex aliâ verò, peccati conſcientiâ, atque irâ & indignationis divinæ, ſeu juſtitiæ vindicantis ſenſu arctè conſtricti, ancipiti curâ, & variis cogitationibus diſtracti, hùc illùc, incertiſſimè fluctuare neceſſe habuerunt. Si enim ex unâ parte, ſpes ulla aliquandò affulſerit, ità ut quid à dei bonitate atque munificentiâ expectarent exploratum, habere ſibi viderentur: ex alterâ ſtatim horrori miſta deſperatio,ita cuncta conſilia prius cœpta,incerta ſemper reddidit, ut ſpe omni deploratâ penitùs (propriis ipſorum cordibus convicti) conficirentur, *Heb.*2.15.

Hujuſmodi autem præſumptionibus, in animis peccatorum è diametro pugnantibus, utrique parti hoſtili, quaſi auxilio fuere, opera iis abjecta, providentiæ. Etenim dùm pluvias & præſtituta tempora fructibus proferendis celitùs data, aliáque beneficia, ob quæ numen *optimum* ſolenniter dixère, perpenderint, fidenti eſſe animo, omnia bona dicere, eorum authorem celebrare, atque verbis mirabilitèr ornare ſoliti ſunt. At vero cùm etiam iram dei adverſus impietatem, & injuſtitiam hominum, è cœlo ſe patefacientem conſpicerent, illicò actum eſſe de omni eâ ſpe, quâ ſe falſò lactaſſent, non potuerunt non ſentire.

Neque Ego, de eo tantum quod in tali ſtatu fieri aſſolet, cum non aliter fieri potuerit, loquor; Etenim cognitio iſta dei, de quâ verba facimus, attributa ejus naturalia reſpicit. Ita ubivis nos docet *Apoſtolus*. Actus voluntatis divinæ liberi, ad eam non pertinent, prout videbimus. Attributa ea enim partìm ex notionibus congenitis, partìm ex effectis, cognoſcuntur. Liberi alicujus actus voluntatis divinæ, nulla notio naturalis eſt aut præſumptio. Bonitas quidèm ex unâ parte,atq; quæ ea neceſſariò ponit, & juſtitia vindicatrix ex alterâ, deo naturalia ſunt. Iſtorum, in omnibus quædam eſt πρόληψις. Horum autem externi effectus diverſi ſunt, & contrarii. Providentiæ opera omnia ad hoſce fontes reſpectivè referri debere videtur. Nemo eſt ſpeciali revelatione deſtitutus qui aliò ea referre poteſt. Eorum,quorum poſitis objectis,haud neceſſarius eſt egreſſus,alia eſt ratio.Ex liberrimo au-

tem Dei arbitrio dependet, ut bonitas, & justitia, effectorum respectu inter se occurrerent, & mutuò se oscularentur. Nisi quis Deum ex necessitate naturæ, peccatum punire, atque etiam remittere dicendum esse autumet. Hùc autem pertinere *placabilitatem* de quâ loquimur apparet; quæ in deo est arbitraria prorsus; seu voluntatis ejus actus liberrimus, si modò quid istiusmodi Deo assignari possit: nam neque Attributum ullum naturæ divinæ, neque Actum ullum voluntatis ejus propriè exprimit. Hisce itaque contrariis quasi ventorum ictibus agitati, in contraria prout alterutra notio in mentibus eorum *præpotuit*, abierunt.

Etenim aliqui, bonitatem Dei in *semperlenitatem* quandam, quæ aut vitium est, aut saltèm in vitiorum confinio posita, atque Rectore summo indigna, commutantes, omnes de irâ & severitate Dei cogitationes penitus abjecerunt; fœdissimum superstitionis crimen iis intentantes, qui earum curâ ullâ, aut studio tangebuntur. Eo animo esse impiorum plurimos, testatur scriptura, *Psal.* 50. 21: atque hâc viâ institerunt sapientum plerique ut posteà ostendetur. Nonnulli intereà iræ & vindictæ Dei metu, & præsagitione quâdam, continuò se emaciărunt, quos salsissimè exagitat *Plutarchus* περὶ δεισιδαιμονίας libello. Eos etiam depingit sacra pagina. *Mic*:*cap*:6: *vers*: 6: 7. Fuêre etiam qui veteribus traditionibus nixi, idola quæ coluerunt *placabilia* fuisse, atque per sacrificia placari potuisse, suspicati sunt; quos tamen risit Philosophorum chorus. Opera autem providentiæ, istiusmodi numinis placabilitatem iis suggessisse, non est unde suspicio levissima oriretur; si cui id suspicari lubet, eum prohibere non possumus; cum suspicicio in uniuscujúsque potestate sita sit; ea verò in hâc re omni probatione caret. Morem inter gentes sacrificandi partìm inveteratis traditionibus, à Dei institutis emanantibus, partim superbiæ & astui antiqui serpentis, cultum Dei sibi nefariè attrahentis, referendum esse, certum est. Neque enim aliam ejus originem Gentilium sapientissimi tradidêre. Sacrificiorum ortus, uni dei voluntati atque arbitrio liberrimo assignandus esse, anteà docuimus; ut ex alio fonte quam quos indicavimus, eorum notitia & observantia ad gentes revelatione supernaturali destitutos emanaret, impossibile est.

Fuere autem qui quò è laqueis, quibus se ex contrariis istis de Deo ejúsque naturâ notionibus, quas è diversis effectibus superius numeratis conceperant intricatos sentiebant, expedirent, duo omnium principia, Deos duos, bonum unum, bonitatisque omnium authorem, perver-

sum

sum alterum, malorum pœnarúmque potentem, ipsi sibi finxerint. Etiam durat adhuc ea tradita persuasio in magnâ parte vulgi *Americanorum*. Hinc *Cortesium Hispanum*, tormentorum eos bellicorum horrore exanimantem, *Tlaxcallani*, legatos scitatum miserunt, uter esset Deus? bonusne ille qui fructus dat? an malus, qui sanguine delectatur humano? ut quomodo excipiendus esset cognoscerent. Neque ea nuper nata persuasio est, imo pervetusta est. *Labeo, quem hujusce-modi rerum peritissimum prædicant, numina bona, à numinibus malis cul-[illegible]diversitate, distinguit, malos deos propitiari cædibus & tristibus supplicationibus asserit; bonos autem obsequiis lætis, atque jucundis: uti est apud* August: de Civit:Dei: lib. 2. cap. 11.

Neque notatu indignum videtur, eos inter antiquos idololatras, qui aliquâ supra cæteros mortales animi affectione numen venerari videbantur, iræ ejus & vindictæ altissimâ persuasione freti, horribilem semper deorum placandorum rationem, ἀνθρωποθυσίας scilicet, iniisse. Exemplo sint *Pœni*, quos inter Ethnicos maximâ numinis reverentiâ ductos fuisse plus satis innuit *Plautus*, dum nullum alium ei quem in scenam produxit sermonem tribuit, quàm qui inusitatum religionis sensum sapere videtur. Fides autem *Punica* Romanorum proverbium est; quod si non tantum vincere, sed & victoriâ uti scisset *Annibal*, locum nullum habuisset; vel ex alterâ parte ipsum nomen *Romanum* non minore labe polluisset. Eorundem verò hominum abominanda sacrificia notissima sunt.

Atque sanè, inter gentes, ita res se habuit. Cùm enim ex operibus naturæ, *placabilitatis* erga peccatores nihil omnino patere potuerit, utpote, quæ ante omnem peccati considerationem absoluta, ali planè fini consignata erant; providentiæ autem opera, quicquid bonitatis aut patientiæ manifestum fecerint, iræ & indignationis patefactione pensaverint; atque sacificiorum usus non nisi ex traditione detestandâ quia fœdissimè corruptâ, aut astu Satanæ introductus fuerit; quicquid fiet de *placabilitate* istâ; omnis misericordiæ parcentis, & ad resipiscentiam salutarem ducentis, cognitionis, caligine, damnatas fuisse gentes, verbo Dei destitutas, apparet.

Porrò omnis dei Revelatio, ad fœdus aliquod pertinet. Duo autem sunt fœdera Deum inter & homines; operum unum, gratiæ alterum. Media revelationis de quibus agimus, ad horum unum pertinere necesse est; si verò ad prius illud pertinent, nempe operum, qui possunt *pla-*

cabilitatem aliquam in Deo manifestare? Ex istius fœderis tenore, Deus placabilis non est: si ad posterius referenda sint, ac opera providentiæ media administrandi fœderis gratiæ haberi debeant, non Deum *placabilem*, sed *placatum*, reconciliatum, ac mundum sibi reconciliantem enarrare debeant, si modò veritatem ipsam, prædicare putanda sint. Revelatio itáque ista *placabilitatis* in Deo, néque ad fœdus operum neque ad fœdus gratiæ pertinet. Hoc est, nulla est omnino. Bonitatem quidem Dei, & patientiam & longanimitatem, quæ nempe Deus exercet erga vasa iræ revelare possunt; placabilitatem au[tem] non item; videant ergo V. C. quo sensu toties istam Deo placabili[ta]tem affingerint, quæ, cum in Deo nullo sub respectu esse dici possit, sanè per nulla media revelari potest. Si modo semel deferbuerit disputandi æstus, & quid sit cum Deo in Christo agere de remissione peccatorum apud se serio perpenderit pia anima, dictò citiùs istiusmodi ratiocinationes evanescere comperientur.

Ad alterius loci, in eodem libro, considerationem, nempe, *Cap.* 14. *vers.* 16. 17, cujus vim tamen omnem, quam in hâc causâ habere, videri possit, in præcedens Argumentum traduximus, procedamus. Verba autem Apostolorum ad *Lystrenses* ita se habent; *Viri, cur ista facitis? nos quoque sumus homines, iisdem quibus vos affectionibus obnoxii, annuntiantes ut à vanis istis rebus convertatis vos ad Deum illum vivum qui fecit cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt; quique præteritis ætatibus sivit omnes gentes suis ipsarum viis incedere; quanquam non passus est se esse expertem Testimonii, bona tribuendo, dans nobis pluvias ac præstituta tempora, fructibus perferendis, implens corda nostra, cibo & delectatione.*

Postquàm igitùr Deum vivum atque verum annuntiassent, ostendunt Apostoli quis fuerit ejus animus erga gentes verbo destitutas, ætatibus præteritis; hoc est omni eo tempore quo eas sine speciali sui revelatione reliquit, ante prædicationem Evangelii; nempè *sivit eas viis suis incedere.* Deinde dispensationum divinarum erga eas ita relictas, modum atque finem, exponunt; *non enim reliquit, se testimonii expertem*; ex utráque hâc Apostolicæ orationis parte, sententiam suam muniri satagunt Viri Docti, ex ultimâ præcipuè. Primò enim Deum eatenùs tantùm Gentes viis suis incedere, sivisse, quatenùs *nullius Prophetæ aut Apostoli prædicatione earum corruptioni intercessferit*, contendunt: deindè Testimonium quod sibi in operibus providentiæ Deum verum atque vivum perhibuisse affirmant Apostoli, *non id tantum de Deo testari quod sit, neque*

que illud tantum, quod sit potens & sapiens; sed illud etiam quod sit optimus, & quidem in peccatores, eo genere bonitatis & benignitatis quod misericordia dicitur; Luc.6. 35. 36. Hinc autem sequi, illo Dei de se testimonio, patefactam etiam fuisse aliquatenùs ejus in homines peccatores *placabilitatem & bonitatem*; sine quâ nequit ut homo peccator ad veram resipiscentiam verúmque Dei cultum adducatur.

Ex iis autem quæ à nobis superiùs concessa sunt, ex unâ parte, atque ex alterâ probata, quòd nisi, veri Dei cultus, resipiscentiæ, placabilitatis, mentionem, nullâ ex legitimâ consequentiâ, hic ingererent, nihil omninò ex hoc loco exsculpere posse adversarios, quod causæ suæ favere videatur, facilè perspecturus esset æquus Lector. Sed non placet istiusmodi ex testimoniis scripturæ arguendi modus; omissis totius orationis occasione, atque loci scopo, è verbis præcisè consideratis, valida duci posse, argumenta, haud videtur; nos utrúmque strictìm considerabimus.

Cûm ideò *Lystrensium* turba, miraculo sanationis ejus qui claudus ab utero fuerat, attonita, *Paulum* & *Barnabam* Deos esse *Jovem* nempe & *Mercurium*, esset suspicata, atque Sacerdotes ad iis sacrificandum adegisset; Apostoli non minùs pœnè illorum idolomaniâ turbati, quam isti divinâ quæ eos comitata est potentiâ perciti fuissent, *direptis palliis suis insiluerunt in turbam illam, clamantes, & dicentes, Viri cur ista facitis?*

Duplici autem cum errore, utróque perniciocissimo, irretita & implicita fuerit turba, uno nempe, *Jovem* & *Mercurium* deos esse, miraculosarum sanationum potentes, *Paulum* autem & *Barnabam*, *Mercurium* illum fuisse & *Jovem* larvatos, utríque occurrunt *Apostoli*; ac primò quidem fidem suam extemplò liberaturi, se homines esse, iisdem cum ipsis affectionibus obnoxios clamant; deinde *Jovem* atque *Mercurium*, omnémque cultum illum quo illos eorum nomine prosequi voluit turba stupefacta, τὰ μάταια, *vana*, *fictitia*, impia esse docent; se verò Deum illum vivum annuntiare qui fecit cœlum & terram. Cùm autem facilè fuisset turbæ iis oggerere, si sit talis Deus, qualem vos annunciatis, atque is solus, ita ut numina nostra nullo planè apud eum loco sint, undè factum est ut nos hactenùs nihil unquam de eo audiverimus; quódque se, neque nobis, neque patribus nostris præteritis sæculis prædicari curaverit? Ut inveterato huic totius tùm temporis mundi præjudicio, ex quo inaudita ubivis damnata erat veritatis causa, occurrerent, docent Apostoli Deum hunc vivum, pro eo quo est in omnes imperio,

 perio,

perio, præteritis ætatibus sivisse gentes, quarum isti *Lystrenses* pars aliqua fuêre, suis ipsarum viis, hoc est idololatriæ vanitatibus incedere, neque eas ad sui cognitionem, atque cultum verum, vocasse; atque ita novi Testamenti οἰκονομίαν (de quâ etiam contra Judæos cognoscebant se illicò contendere debere) innuunt, quâ rupto pariete intergerino, atque nationum, gentium, familiarúmque discrimine omni sublato, Deus indiscriminatìm omnes ad resipiscentiam vocat. Ne verò hâc suâ oratione *Lystrensibus* se excusandi, quod hactenùs saltèm, idola illa coluissent, cùm Deus ille verus iis revelatus non fuerit, neque ad eum colendum quem penitùs ignorabant obligari potuerunt, ansam præbuisse viderentur, subjungunt, ἐπανόρθωσιν illam, quâ eos in idololatriâ suâ omnino ἀναπολογήτους fuisse ob aliqualem scil: Dei veri Revelationem per ejus opera iis indultam, ostendunt. Quamvis enim (inquiunt) ei placuerit, gentes sinere in viis suis incedere, neque per verbum suum ad resipiscentiam vocare, eatenùs tamèn sempèr per opera providentiæ suæ se iis patefecit, & eô, id sibi testimonii perhibuit, ut non sine gravi peccato, atque insigni stultitiâ factum sit, ut abs eo ita revelato ad idola se converterent ipsi, aliæque gentes; præsertim cum ea ipsa opera quibus Testimonium sibi perhibuit, istiusmodi fuêre, ut ex iis, omnia bona, quorum participes gentes factæ sunt, proveniebant.

Cum itâque hic sit Apostolicæ orationis scopus & finis, nempè ostendere Deum se per opera providentiæ eatenùs revelasse iis istis temporibus quibus gentes sivit viis ipsarum incedere, ut sine causâ omni, neque sine peccato gravissimo, sese eo relicto ad vana idola recepissent: videamus quid in causæ suæ subsidium hinc exsculpere conantur Viri Docti. Dicunt ideò primò, *documenta hæc quæ gentibus objiciuntur, de Deo testari, non tantum quòd sit sapiens & potens, sed illud prætereà quòd sit optimus*; esto sanè; à quo beneficia ulla accipimus, illum bonum esse & beneficum remur; à quo omnia, optimum. Neque usque adeò gentes omnes obbrutuisse unquam diximus, ut beneficiorum datorem summum, non *optimum* agnoscerent. Contrarium Testatur orator; *Tu Capitoline* (inquit) *quem propter beneficia populus Romanus optimum nominavit*; pro domo suâ.

Sed *optimum* inquiunt *in peccatores Deum esse probant ista documenta*; & hoc quoque concedatur. Quoúsque enim peccatores adversùs Deum se agnoverint gentes, non est hujus loci inquirere. Cùm autèm ipse Apostolus peccatum non cognovisset, nisi lex dixisset *non concupisces*,

ces, Rom.7.7, constat eos qui lege istâ destituti fuêre, crassâ satis naturæ peccati ignorantiâ laborasse; demus autem gentes scivisse se peccatores fuisse; Demus Deum bonum fuisse erga eos peccati convictos; quid porrò sequi videatur? *nempe quod Deus bonus & lenis, & misericors sit erga peccatores, nam bonitatem hanc in peccatores misericordiam esse affirmat Christus*, Luc: 6.35, 36: *postquam enim dixisset, altissimus benignus est erga ingratos & malos; subjungit protinus, estote ergo misericordes prout pater vester misericors est*; ergo Deus misericors erga peccatores; quis negat? etiam erga ingratos; quis ibit inficias? sed etiam erga perituros; quidni? cum novimus eum *multa lenitate perferre vasa iræ compacta ad interitum*, Rom. 9.12. Cum enim ab iis quotidiè provocetur, non tamen illos illicò παραχρῆμα sed multis etiam beneficiis, præstituto tempore repetendis, cumulat, *Hos.* 2, 9; Misericordia autem, hæc Dei benignitas latè dicitur, & impropriè, pro quocunque animo beneficiendi sumpta; ita non tantùm erga homines, sed & omnia opera sua, *oves* nempe & *boves* & *catera pecora campi*, misericors dicitur; *Psal:*145. 9, 15, 16. Hanc verò misericordiam seu benignitatem in rebus terrenis, seu βιωτικοῖς, & quæ plurimis peccandi ansa sunt & illecebræ se exerentem, fundamentum esse veræ & salutaris resipiscentiæ, neque dicunt Apostoli, neque verum est, neque ex eorum verbis vi ullius legitimæ consequentiæ probari potest. De speciali misericordiâ unde emanat remissio peccatorum, nè unum unquam in totâ scripturâ verbum factum est, ubi eorum conditio proponitur, qui verbo Dei destituuntur: ea enim, in Christo solum est; at per opera providentiæ Christum revelari negant οἱ ἐξ ἐναντίας.

Cùm ità ea tantùm misericordia quam è sinu patris exposuit Jesus Christus, fidei salutaris & resipiscentiæ fundamentum sit, alterius illius notitiam per opera providentiæ propositam fuisse sine minimo causæ nostræ præjudicio concedere possumus; imo cùm nullam causam præter unam veritatem habeamus, lubentissimè concedimus. Quæ addi possunt de correctione istâ Apostolicâ, *quanquam non passus est se esse Testimonii expertem*, sano sensu concedi possunt omnia; Deus enim non ita gentes viis suiis incedere sivit, ut omnem eorum curam atque imperium abjecerit. Imo inquiunt *Apostoli*, eousque semper sibi per opera sua testimonium perhibuit, ut nequaquàm liberum erat gentibus ejus notitiam repudiare, ac idolis se dedere.

Hinc vero ita procedunt. *Quod dixit Paulus Deum ante hac sivisse gentes suis ipsarum viis incedere, id nihil aliud significat nisi hoc unum, Deum*

Deum hactenus nullius propheta, vel Apostoli prædicatione gentium corruptioni intercessisse; nullo gentes vocali de se, suisque rebus testimonio dignatum esse, quo honore unam Judæorum gentem dignatus fuerat; At vero hoc *unum*, magnum est. Omnia media externa resipiscentiæ & salutis salutaria, in eo *uno*, quo gentes Deus dignatus non est, unicè continentur: *Psal.* 19. 4. *vers.* 9, 10, 11: *Psal.* 147. 19, 20. Salutarem ullam Dei notitiam vocationem ullam ad resipiscentiam, aut fidem salutarem, aliunde quam ex *eo uno* medio haberi posse, nondum probatum est. Sed procedunt: *sequentia*, inquiunt, *omninò significant Deum apud ipsas illas gentes, semper testatum fuisse, quotidianis ipsius naturæ & providentiæ documentis quid homines de ipso sentire, quaque ratione tùm ejus numen colere tùm reliquam vitam instituere deberent. Per opera naturæ, opera creationis intelliguntur*: quid ea peccatores de Deo docerent, quod eos ad resipiscentiam duceret, cum nihil aliud docent aut docere possunt, quam quæ in statu integritatis ad docendum apta fuêre, nondum constat; missa ideo in hac disputatione ea faciamus. In operibus providentiæ omnis spes est. Ea gentes quid de Deo sentire deberent, quantùm nempe per ea Deus se iis exposuit, docuisse fatemur. Qua ratione numen ejus colerent, atque reliquam vitam instituerent iisdem magistris discere potuisse gentes, quâ ratione probabitur? Istiusmodi sexcenta gratis dici possunt. Cæterùm, & hæc laxè nimis dicuntur. Qui rationem illam Deum colendi, atque vitam suam instituendi, quâ ad Deum salutaritèr accedere potuerint gentes, exponere velit operæ pretium facturus est. Deum quidem esse, esse omnium Creatorem, Rectorem, potentem, sapientem, temporalium beneficiorum largitorem munificum, ideò idola vana, omniúmque eorum cultum, stultum, ineptum, insanum esse, testimonio ex iis Dei operibus ducto probant Apostoli; *de vero Dei cultu, vitâ rectè instituendâ*, altum apud illos silentium.

Addunt nonnulli, cum omnia monita hæc gentes aure surdâ præteriverint, horribilíque ingratitudine omnem Creatoris ac Rectoris sui tum optimi tum maximi cultum curámque abjecerint, (significat Apostolus) *Deum, nunc acriùs clarioríque voce ab inanibus & pestilentibus institutis Apostolorum suorum ministerio revocare.* At vero tantum absunt Apostoli à comparatione ullâ instituendâ inter eam vocationem quæ fit per Evangelium, atque illam alteram per opera providentiæ; ut de Evangelio & omni doctrinâ ejus penitus sileant. Nequè sanè prædicatio Evangelii ita in ordinem cum iis documentis quæ ex operibus naturæ Deus hominibus objicit redigenda est, *ut acrior* tantum *vocatio*, *clarioríque voce*

facta

facta, eodem ſcilicet vocationis genere, dicenda ſit. Ea enim vocatio quæ eſt per Revelationem myſterii illius quod abſconditum fuit à ſæculis & ætatibus, & quâ Deus notum fecit quæ ſint divitiæ glorioſi iſtius myſterii, abs eo teſtimonio quod ſibi omnium Rectori & Largitori munifico perhibuit per opera providentiæ, immane quantum diſtat. Iſta autem vocatio, aliâ acrior, atque clariori voce facta dicenda eſt, quæ quidem ejuſdem generis & naturæ cum illâ eſt, gradu tamen, ſeu modo propoſitionis abs eâ differat. Cùm autem totum fundamentum vocationis *Evangelicæ*, poſitum ſit in patefactione Dei patris & Filii per Spiritum Sanctum, atq; omnis penè vis ejus ſita ſit in declaratione Remiſſionis, Reconcilationis, & Remiſſionis peccatorum per ſanguinem mediatoris θεανθρώπου, atq; efficaci diſpenſatione Spiritus, quæ omnia atq; alia id genus vocationem illam perficientia, penitùs in ſinu Dei abſcondita fuêre à ſeculis & ætatibus, quibus homines ſivit viis ſuis, utpotè verbo ſuo deſtitutos, incedere, ei nullo ſenſu per providentiæ opera documenta hominibus objecta, æquiparanda ſunt; aut cum illis in eâdem ſerie collocanda eſt. Atque nonnihil miror eos qui quid ſit ſalutaritèr reſipiſcere, quid in Deum credere norunt, ita loqui poſſe.

Pergunt, & perorando argumentum hoc ita abſolvunt. *Cum igitur illud, quod ubique terrarum perſonat Dei teſtimonium ea contineat, quæ ad gentes à viis ſuis revocandas, & ab idololatriâ ad unius veri Dei cultum, à ſceleribus & flagitiis, ad juſtitiam & honeſtatem traducendas pertinebant, omnino neceſſe eſt illo Dei teſtimonio etiam fuiſſe aliquatenus ejus in homines peccatores, placabilitatem ac lenitatem patefactam; ſine quâ fieri nequit, ut homo peccator ad veram reſipiſcentiam, verúmque Dei cultum adducatur.* At varia ἀνακολουθησία peccat, oratio hæc. Etenim de revocandis gentibus à viis ſuis, per teſtimonium illud Dei *ubivis terrarum perſonans*, apud Apoſtolos nulla mentio eſt; imo Deum permiſiſſe ut viis iſtis incederent teſtantur. Gentes non niſi per Evangelium à viis iſtis revocari potuiſſe, ſatis hìc loci clarè innuit Apoſtolus, alibi apertè docet, *Act.* 17. 10. *Eph.* 1.18, 10. *Eph.* 3.9, 10, 11: aliud eſt Deum ſe non reliquiſſe ἀμάρτυρον apud gentes; aliud, eas revocaſſe ab idolatriâ ad verum ſui cultum; de vero cultu veri Dei, in eo teſtimonio latè perſonante verbum nullum, quia nihil de Chriſto, in quo ſolo Deum appropinquare poſſumus, *Epheſ.* 2. 14, 15, 12, 18. Deindè undè apparet Deum non poſſe ſibi iſtiuſmodi teſtimonium perhibere, quo inexcuſabiles reddat idolatras, niſi inſuper *placabilitatem* ſuam patefaceret?

Quid

Quid enim ad Erroris, amentiæ, & sceleris convincendos Idololatras pertinet ista *placabilitas? sed eò quod Deus omnia bona largiatur peccatoribus, apparet eum esse placabilem, atque se iis per ea bona placabilem esse ostendere.* Cùm bona omnia in uno tantum genere, nempe βιωτικῶν seu temporalium intelligantur, negamus istam propositionem; Deus ea bona largitur multoties iis quos odio habet, erga quos animo puniendi immutabili præditus est, quos exitio devovit, quos destruendos atque pœnis æternis cruciandos pronunciavit. *Psal.* 73. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 18, 19, 20. Ea autem ex quibus nemo amorem aut odium dignoscere potest, Deum placabilem esse patefacere non possunt. *Eccles.* 9 2. Cùm Deus impios homines beneficiis cumulet, quo eos adipe suo obesos, & in diem mactationis saginatos reddat, an eo animo iis hæc largiri censendus est ut ostendat se esse placabilem? Deum certò scivisse gentes verbo destitutas beneficiis istis temporalibus pessimè usuras, neque posse iis rectè uti in sui gloriam in confesso est. Etiam ea patientiæ & sapientiæ suæ testes constituit. *Job.* 28. 25, 26. Atque eorum accumulatione ad occæcandos homines in peccatis sæpissimè utitur. Quomodò ergò illa placabilem esse ostendent; præsertìm cum eorum administrationi adsint & immisceantur innumera iræ atque adversus peccatores δικαιώματος divini indicia certissima? Demus autem quod nec Apostolus affirmat, neque quod ullâ legitimâ consequentiâ ex ejus verbis elici potest, nempe gentes ex Dei operibus potuisse colligere aliqualem ejus adversus peccatores placabilitatem; an ideò censeamus eas ad veram resipiscentiam vocatas fuisse? Cum enim eædem gentes jus ejus agnoverint, nempe eos qui peccârunt dignos esse morte, neq; an ullus modus possibilis esset eum actu pacandi & reconciliandi, ob jus illud suum quem aliquatenus tantum placabilem suspicatæ sint, intelligere potuerunt, quomodo quæso per eam cognitionem ad veram resipiscentiam revocari censendæ sint? Imò salutarem resipiscentiam sine fide esse non posse cum illa Deo placeat, quod sine fide fieri nequit constat, *Heb.* 11. 16. Fides autem in Deum non nisi per Christum esse potest. Istiusmodi fidem intelligo quæ salutaris resipiscentiæ fundamentum est & comes. Opera autem providentiæ Christum non patefaciunt. Neque Deus in Christo *placabilis* revelatur sed *placatus*, & mundum sibi reconcilians, 2 *Cor.* 5. 19. Nulla ideo est ista placabilitas; neque si esset per opera providentiæ, revelari poterit; neque si revelaretur fundamentum esset ulli peccatori aut fidei aut resipiscentiæ.

Idola sanè nonnulla sua placabilia finxerunt gentes. Et quid ni illud

numen

numen quod ipsi fecerant, sibi facile, opportunum & expositum fingerent? Cùm enim imaginem illam sui in quâ verus Deus hominem creaverat ipse ultronè abjecisset, atque eô, sibi omnem cum Deo illo vero creatore suo communitatem ademisset, ipse deos novos, fictitios in imagine illâ corruptâ quâ, per apostasiam à Deo vero constitutus est, fabricare & quasi creare conatus est; atque sibi vitiis involuto, cùm in deliciis fuerit, indies numen ad sui similitudinem effictum, & concors magis sibi, apud animum suum statuit. Hinc nihil in naturâ suâ expertus est, quin idem in diis istis statim quos pro libitu sibi finxisset, locum habere opinatus est. Hinc eos iracundos, placabiles, faciles, tetricos pro genio & ingenio quisque suo commentus est. Sed quid hæc ad Deum nostrum patrem domini Jesu Christi *quem nemo vidit unquam*; *unigenitus ille filius qui est in sinu patris, ille nobis exposuit.*

Restat adhùc Argumentum, quod idcirco in ultimum hunc locum rejeci, quia nisi viris aliquot doctis, studio partium vereor abreptis, illud placuisse comperissem, purile sophisma judicassem, & quod locum ullum in hâc causa ocuparet indignum. Ex *Capite primo Epistolæ Pauli ad Romanos*, vers. 21, 22; extorquetur. *Quoniam* (inquiunt nonnulli) τῷ γνωστῷ τοῦ θεοῦ *homines usi non sint prout eos decebat, facti sunt inexcusabiles*: hoc est; quoniam crimine *Idololatriæ*, de quo agit eò loci Apostolus, quamvis Deus *æternam suam potentiam & veritatem* per opera Creationis patefecisset, se polluerint; Quid tum? *si eo benè usi fuissent non fuissent inexcusabiles*; *si inexcusabiles non fuissent, excusabiles fuissent*; *si fuissent excusabiles, fuissent excusati*. R. Si sanè æquè facile fuisset hominibus verbo destitutis benè, ac malè uti τῷ γνωστῷ τοῦ θεοῦ aliquam verisimilitudinem haberet hæc ratiocinatio. Id verò gratìs præsumitur, & est ἐν ἀρχῇ. Atqui hinc omnis oratio hæc pendet. Quia malè homines τῷ γνωστῷ τοῦ θεοῦ uti posse certissimum est, atquè ità usos fuisse ostendit *Apostolus*, ideò eos posse illo rectè uti, supponitur quidem, sed falsissimè.

Deinde si rectè eo usi fuissent, eo scilicet usûs genere de quo loquitur *Apostolus*, quoúsque *excusati* fuissent? an eoúsque ut salvarentur? at de salute eorum nihil omnino occurrit apud *Apostolum*; imò datâ operâ probat, neminem per usum illorum mediorum quæ gentibus concessa sunt, absquè salutari gratiâ Dei in Christo, salutem adipisci potuisse unquàm. Potuissent sanè à fœdissimo Idololatriæ crimine eoúsque abstinere, ut id iis eo modo quo hîc factum est ab Apostolo merito objici

non potuerit. Hujus ideò *Enthymematis*, *quia non benè usi sunt τῷ γνωστῷ τῦ θεῦ, inexcusabiles facti sunt, ideò si bene eo usi fuissent, excusati essent*, si consequentia legitima censeatur, quæ tamen falsissima est, cum non eadem ratio sit mali & recti usus mediorum salutis, aut salutaris Dei cognitionis, non alia mens est quam Crimine Idololatriæ non se polluissent; nam vocabula ista, excusabiles & excusati, necessariò ad materiam subjectam, de quâ agit Apostolus, restringendi sunt, quod ubique verissimum est. Sed pergunt argumentando; *Excusati*, inquiunt, *non fuissent nisi ad Dei misericordiam confugissent*; *ad eum porrò non confugissent, nisi illa, sub qua vixerunt manifestatio, ad eam confugiendum esse doceret*. R. Eatenùs *excusati* fuissent, quatenus de iis eo loci agit Apostolus, quamvis ad misericordiam divinam non confugissent. Ulteriùs eos potuisse τῷ γνωστῷ illo uti, probandum restat.

Atque hæc sufficere possunt speciminis loco; saltèm ut videamus cujus generis sint ea Argumenta, quibus viri undíque docti in hâc causâ utuntur; Ulteriùs pertendenti obstant & præsentis operis ratio, & aliorum in hâc ipsâ causâ lucubrationes recens editæ.

LIB.



LIB. I.

De Theologiâ naturali, pars tertia, quæ est de totali ejus corruptione quâ Apostatica facta est.

CAP. I.

Theologiæ naturalis in statu peccati ἀνωμαλία. Totalis corruptionis media. Ejus in locum substituta fatalis superstitio. Dei notitia apud gentes verbo destitutas, qualis. Theologia per philosophiam corruptio. Philosophiæ origo. Theologiæ naturalis duæ partes. Prima corrupta penitùs per metaphysicam & ethicam. Ethicæ origo, abusus, usus, instauratio, etiam metaphysicæ. Astronomiæ dein & naturalis philosophiæ. Per eas Theologia naturalis corrupta.

Cum ea fuerit Theologiæ naturalis per peccatum vitiatæ in se consideratæ conditio, ut ex illâ nihil unquàm boni spiritualis expectari potuerit, videamus porrò quo modo ex astu diaboli & mentis humanæ vanitate, ulteriùs corrupta sit; de *nova Theologiâ* atque de iis quos Deus in populum peculiarem ejus vi ascripsit, proximo post loco acturi. Atque hîc quidem rerum tantùm capita transigere statuimus, Idololatriæ ortus & progressus investigationem aliò trajicientes. Corruptam ac pœnè inter mortalium plurimos amissam Theologiam naturalem, atque in ejus locum ab ultimis rerum monumentis, hominúmq; memoriâ pernitiosam substitutam fuisse superstitionem omnes nôrunt. Quâ viâ quibúsve mediis fatalis illa & *catholica* in terrarum orbem *metamorphosis* introducta sit, jam paucis enarrabimus.

Aliqualem apud gentes verbi divini lumine destitutas, viguisse Dei notitiam, ex duplici fonte isto de quo diximus, lumine scilicet interno naturali, atque eâ quæ per opera Dei facta est ejus Revelatione, emanantem, ostendimus, probavimus. Principiis istis eventum respondisse ex eruditorum inter eas scriptis, Testimoniis undíque corrasis, *Josephus*, *Justinus Martyr*, *Athenagoras*, *Theophilus Antiochenus*, *Origenes*,

nes, Clemens Alexandrinus, Athanaſius, Theophilus Alexandrinus, Chryſoſtomus, Euſebius, Theodoretus, Tertullianus, Lactantius, Arnobius, Auguſtinus, atque ex veteribus, alii, dudum palàm fecerunt. *Thomas, Eugubinus, Raimondus Sebundus, Lud.Vives, Mornæus, Charonius, Fotherbeius, Voſſius, Stuckius, Giraldus Ferrarienſis, Grotius* atque omne genus ſcriptores ætatibus poſterioribus, idem præſtiterunt. Quæ adhùc extant *Orphei, Homeri, Platonis, Xenophontis, Ariſtotelis, Heſiodi, Plutarchi, Epicteti, Arriani, Ciceronis, Senecæ, Photini, Jamblychi, Procli, Philoſtrati*, aliorúmque opera, idem luculentèr probant. Conſentiunt omnium ſeculorum, gentium nationúmque omnium monumenta & Hiſtoriæ. Etenim demus ignorantiæ & tenebrarum velamine ita circumſeptos ſemper fuiſſe τοὺς πολλοὺς ut de numine ſupremo obedientiáve ſecundum rationem rectam ei debitâ nè quidem unquam cogitaverint; atque eſto fuerint rerum divinarum eoúſque inanes οἱ χαρίεντες, ut eas deſpicatui habuerint; σοφῶν ſaltem & θεωρητικῶν, quibus pauló altiùs rerum naturas inveſtigandi, atquè κοινὰς ἐννοίας promovendi cura inſederit, alia ratio eſt. De Deo ejúſque cultu, obedientiâ ei debitâ, déque fine ultimo & fælicitate hominum, multa, durante adhùc primo laborantis naturæ conamine, præclarè & ornatè expoſuiſſe eos notum eſt. Quomodo igitur videâmus quibúſque mediis *Theologia* hæc penitùs corrupta ſit, donèc in horrendâ & totali à Deo Apoſtaſiâ, immanis Idololatriæ ac impuriſſimarum vanitatum Lernâ deſierit. Id autem defectionis & miſeriæ humanæ malum duplici ex fonte promanâſſe videtur. Enimverò homines ſibi viiſque ſuis derelicti vel *Theologiæ naturalis* reliquias promovere ſtuduerunt, atque eo conatu, ex nativâ cæcitate, vitiarunt magìs? vel eas datâ operâ ulteriùs corrumpere aggreſſi ſunt. Utrúmque conatum pernitioſè ſatis ſucceſſiſſe ex eventu patet. Primus autem nobilis magis erat, & creaturis ratione præditis dignior. De eo ideò primo in loco agemus.

Potentiam naturalem Deum cognoſcendi ſponte ſeſe in adultis exerentem reliquam habere homines peccatores omni revelatione ſupernaturali deſtitutos probavimus. Generalem etiam notitiam, honeſtum à turpi diſcriminantem in Relatione ad Deum ejúſque regimen, & judicium decretorium, quâ ſine interitu intellectus practici privari penitùs non potuerit, eis anteà aſcripſimus. At verò, ex inquietudine & fluctuatione perpetuâ conſcientiæ quibus premebantur quáſque κοιναὶ iſta ἔννοιαι pepererunt, hanc ſibi ad finem ſuum ultimum aſſequendum notitiam ſeu *Theologiam* non ſufficere facilè percipiebant. Beneficio ideò Revelationis æternæ potentiæ & divinitatis Dei, per opera creationis & pro-

providentiæ quod eis etiam relictum fuisse ostendimus, instructos, summâ vi principia ista innata promovere nitebantur. Quamobrem id fecerint, illos ipsos ignaros magnâ ex parte fuisse ex eventu patet. In intellectus operationum mediis instructi, quid indè produci potuit, quasi *palpando* probare aggressi sunt. Atque hæc est *philosophiæ* origo. Residuæ illius Theologiæ quam in statu naturæ integræ primus homo congenitam habuit, Revelatione prædictâ per opera Dei ampliatæ effectum inquam & quasi surculus est, *Philosophia. Palpando Deum quærere, qui non longè abest ab unoquóq; nostrum, testimonia* quorum in operibus se non passus est esse expertem scrutari, rerúmque omnium naturas, quâ *invisibilia* Dei percipiantur, mente perpendere, quorum omnium scientiâ, primus homo tanquam ad cultum Dei creatoris necessariâ plenus erat; id demum est *philosophari.* Hoc modo principia ista superius memorata elucidare & promovere, ut eò mens hominum assurgeret, ad istorum principiorum originem & primævum statum, conati sunt, priorum seculorum qui dicuntur σόφοι.

Non alium habuisse ortum, non alium finem *philosophiam* certum est. *Græci* quasi eam primi excoluerint magnificentissimè se semper jactârunt. Proculdubio ineptè. *Diogenes Laertius* in operis proœmio eos sugillans qui τὸ τῆς φιλοσοφίας ἔργον ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι, *philosophiam à Barbaris initium sumpsisse dicere ausi sunt*, λανθάνουσι (inquit) αὐτοὺς τὰ τῶν Ἑλλήνων κατορθώματα, ἀφ' ὧν μὴ ὅπως φιλοσοφία ἀλλὰ καὶ γένος ἀνθρώπων ἦρξε, βαρβάροις προσάπτοντες. i: e: *Hi profectò per imprudentiam Græcorum rectè facta Barbaris applicant; ab iis enim non solùm philosophia, verùm ipsum quoque humanum Genus initio manavit.* Æquè haud dubio.

Tatianus, Clemens, Theophilus, Eusebius, aliique luce clariùs contrarium probant. Etiam extant manifesta furti vestigia. A *Chaldæis* enim *Egyptiis, Indis, Magis, Syris, Judæis*, nihil non mutuati sunt. At philosophiæ ab aliis excogitatæ *Græcos* veteres studium multum promovisse negari non potest. Quæ famâ acceperant, quæ ex *Orientalium* monumentis surripuerant, quæ à vivis Magistris, longinquis peregrinationibus in eum finem susceptis didicerant, quásque ipsi naturâ duce & comite de Deo & operibus ejus, de turpe & honesto κοινὰς ἐννοίας observaverant, primò vivâ voce, sub sapientiæ titulo, deinde scriptis philosophiæ insignitis, inter eos plurimi venditare sudârunt. Nescio verò quæ malorum *Ilias* horum hominum conatum ab ipsis incunabilis comitata est. Etenim ipsi philosophi qui dici voluerunt plerúmque compertæ libidinis nebulones erant; præsertim *inanis Gloriæ* itâ serviliter

&

& apertè cupidi, & ostentatores, ut ipsi vulgo ludibrio essent & fabulæ.

Probi esse desierunt, cùm docti evaserint, ait *Seneca*. Et *Timoni*, ad unum omnes dicuntur

Κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί·

Utres vanæ opinationis, (seu arrogantis sui existimationis) pleni. & *Euripides*,

Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐκ αὐτῷ σοφός
Odi sophistam qui non sibi sapit.

Vix enim è plurimis unus erat, qui veræ sapientiæ in vitâ humanâ specimen unquàm ullum edidit. Istis concinit illud *Anaxippi* comici apud *Athenæum*.

Οἴμοι φιλοσοφεῖς; ἀλλὰ τοὺς γε φιλοσόφους
Ἐν τοῖς λόγοις φρονοῦντας εὑρίσκω μόνον.
Ἐν τοῖς δ' ἔργοις ὄντας ἀνοήτους ὁρῶ.

Heu me tu philosopharis; at ego philosophos
Verbis tantùm sapere animadverto.
Gerendis autem rebus dementes esse perspicio.

Ineptè ideò & in Deum superbè & contumeliosè de hisce κενοδοξίας mancipiis gloriatur *Epictetus*, κεφ: οα' φιλοσόφου (inquit) στάσις καὶ χαρακτὴρ πᾶσαν ὠφέλειαν καὶ βλάβην ἐξ ἑαυτοῦ προσδοκᾷ. *Philosophi status & expressa imago est, omnem utilitatem & damnum à semetipso expectare.* Nempe omnem philosophum Deum esse velit. Etiàm *Brachmanni* apud *Indos* se Deos esse palàm jactabant. Sciscitanti enim *Apollonio* qualem de seipsis existimationem haberent, respondit princeps eorum *Iarchas*, *opinari se Deos esse*. Sed frustrà. Quo enim in loco & pretio esse deberent & haberi, rectiùs censuit *Amithocrates Indorum* Rex, qui teste *Athen: Deipnos. lib.* 14: ab *Antiocho* Rege literis postulavit, ad se mitti *dulce vinum, caricas*, & *sophistam*, omnia empta suâ pecuniâ.

Pudet referre quæ de ipso *Platone* memorat idem *Athenæus*, *lib.* 11. omnia si lubèt à semetipsis expectent, dum ab iis alii nihil. At quales quales fuerint, verum usum finémque notionum communium de Deo, de vero & honesto, illos aut amisisse aut corrupisse ex eventu patet; Ut essent vitæ humanæ respectu obedientiæ Deo debitæ cultûsque illius naturalis, regula & index; ut media ad beatam conditionem in ipsius Dei fruitione obtinendam, iis in mentem unquàm venisse non apparet. Hinc

ab

ab obscurâ illâ & tenui de statu immortali seu famâ seu notitiâ, quam retinuerant, ad vitam secundum rectam rationem instituendam, vel nulla, vel levissima efficacia manavit. Hi itaque fuere, per quos omnes sapientiæ naturalis reliquiæ in inanem *Sophisticen* conversæ sunt. *Platonicorum* quorundam, post Christianæ Religionis prædicationem, philosophiam in locum pristinum restituendi conatus, uti posteà videbimus, alia ratio est.

Theologiæ ideò primigeniæ per ingressum peccati collapsæ & deperditæ instaurationem, & non alium finem habuit ἀπ' ἀρχῆς philosophia. Atque hâc viâ reparandi *Theologiam* institit humanum genus.

Theologiæ autem istius primævæ duas partes fuisse suprà ostensum est. Notitia Dei naturalis, atque voluntatis ejus circa obedientiam & cultum illo rerum statu ei debitum, & cognitio operum Dei Theologos dirigens & stimulans ad Deum summum omnium Creatorem ritè colendum eam absolverunt.

Cùm ideò dejectis *Theologiæ* ruderibus se ereperit *philosophia* in eosdem fines, quos Theologia ista sibi habuit propositos, vicariam hominibus peccatoribus operam navare nititur, aut nihil agit omnino. Primò enim id sibi negotii dari putârunt homines θεωρητικοί, qui primi in eâ erigendâ & expoliendâ sudârunt, ut communes de Deo & voluntate ejus notiones & προλήψεις, cum congenito de boni & mali rationibus discrepantibus dictamine, foverent, elicerent, excitarent, ut eorum ductu, si fieri possit, Deo fruerentur.

Hujusmodi fuisse primum *Philosophantium* inter Gentes Revelationibus divinis destitutas, atque in istum, quem diximus, finem destinatum, non solùm ex naturâ rei apparet, sed ex omnibus, quæ ubivis occurrunt, instituti & propositi illorum vestigiis. Tota illa vetus sapientia, quam per *Ægyptum*, atque partes mundi *Orientales* investigârunt *Pythagoras* aliíque, Religionum instituendarum ratione, & cultus divini ceremoniis constitit. Inde sacerdotes illius promi-condi habebantur. Ita *Telesino* innterroganti quænam esset ejus *sapientia* seu philosophia, respondit apud *Philostratum*, lib. 4. c. 13. *Apollonius* antiquæ sapientiæ sectator; θειασμὸς, καὶ ὡς ἄν τις εὔχοιτο καὶ θύοι; *ex divino afflatu proveniens, & quæ doceat quo pacto Deos precari & iisdem sacrificare conveniat.* Philosophos, qui sacerdotes non essent, post novam philosophiæ corruptionem, de quâ mox agemus, primùm *Græcia* extulit. *Idololatricam* superstitionem

nem ſapuiſſe totam iſtam *philoſophiam* fateor; ſed tamen quæ obſcuras quaſdam veritatis imagines & veſtigia retineret.

Præclaro itâque huic conatui non reſpondit eventus. Ejus virtute & auſpiciis *Theologia naturalis* inſtaurata non eſt, imò corrupta magis. Quicquid uſpiàm eſt Philoſophiæ, quod ex antiquiſſimorum monumentis hauſtum adhuc ſupereſt, illud teſtatur. Etenim lumen naturale, ſeu illius quod reliquum eſt, in indagatione veri variè circumduxit mentis humanæ innata vanitas; donèc in curioſitatum inanium, rixarum infinitarum inutilium ſpeculationum *Syrtes* & paludes immerſum, pænè ſit extinctum.

Poſtquàm enim acutis quibuſdam hominibus & ingenio ſubtili præditis univerſalem rerum notitiam, atque obedientiæ numini debitæ rationem, ſepoſitâ omnis philoſophiæ hujus finis primarii conſideratione ad methodos quaſdam docendi artificioſè alligare, & in laqueos, compedes, & manicas ſcientiarum quarundam ſeu τεχνῶν potiùs compingere, atque inanium notionum, terminorum ſubtilium & ſignificationis arbitrariæ catenis onerare placuerit, arte brevi naturam aliovorſum ab inſtituto ſuo primitivo detorquente, cognitio hæc gradatìm in *Ethicam* quandam ſeu methodicam virtutum & vitiorum doctrinam, & *Metaphyſicam* deſiit; De quibus paucis agendum.

Cùm autèm utràque hæc doctrina, cùm *Ethica*, quam *partem Philoſophiæ quæ ad mores pertinet*, vocat *Cicero*, tum *Metaphyſica*, quæ à nonnullis *naturalis Theologia* dicitur (quamvis multo leviorem ejus umbram exhibeat quam *Ethica*) ad normam doctrinæ *Ariſtotelis* formata, uſque adeò ubivis in Judicia doctorum virorum dominium obtinuerit, ut non tantùm locum conſpicuum in *Scholis Chriſtianis* per aliquot jam ſecula occupaverit, ſed & *Theologiæ* iſti quæ in iis publicè docetur ſe penitùs immiſcuerit, non niſi comiter & pæne ῥήμασι βυσσινοῖς à me eſt accipienda. Etenim doctos irritare crabones, aut igneos & æternos diſputatores in me concitare nollem: Dudum eſt, quod controverſiarum omnium ſum pertæſus, præſertim formido malè, nè in eos inciderem, qui ita in numerato habent ingenium, ut poſſint omnibus horis quacùnque de re, quinquaginta vel centum argumenta (pleràque futillia) depromere, & pænè toti in ſyllogiſmos tranſformantur. Et genus hominum eſt irritabile. Nihil autem quod ſciam impedit, quo minùs liberum mihi eſſe exiſtimem, quid de illis artibus atque eo loco quem in ſcholis obtinent, ipſe ſentiam, paucis exponere. Primò ideò

Ethicen

Ethicen deinde, *Metaphyſicam* examini ſubjiciam.

Ethice autem eſt ſcientia de moribus. Ea olim naturalis *Theologiæ* pars erat; illa ſcilicet, quæ rationem Deo vivendi ſecundùm legis creationis normam, atque officia erga ſe alióſque præſtandi modum & regulam præſcripſit. Ejus notitiæ reliquias, poſt ingreſſum peccati, menti humanæ adhæſiſſe oſtenſum eſt. Illas excitare, proferre, ratiocinando elucidare, colligere, in varias claſſes diſtribuere, philoſophorum in Ethicis labor erat & opus. Prolatas, collectas, & à ſe, (eâ erat ingenii dexteritate) ampliatas, in ſcientiam diſciplinarem redegit, notionum generalium in corpus ſyſtematicum compingendi ſummus & admirabilis artifex *Ariſtoteles*. Cum vero & ipſe & alii, qui illum in eo opere præceſſerunt, veri Dei, & obſervantiæ ei debitæ penitùs eſſent ignari, totam rationem honeſti à turpe diſcretricem quæ *Theologia* naturalis reliquiis conſtitit, loco moverunt, atque in alium planè, finem, quàm eſt à Deo primitùs inſtituta, detorſerunt. Quis enim unquam philoſophorum, doctrinam de Virtute & Vitio, turpi & honeſto tractandam, docendámve ſuſcepit eo fine, ut eſſet norma Deo vivendi, aut medium, quo in beatâ tandem conditione homines illo æternùm frui potuerint? Imò ut eo planè eſſet in loco, pretio, & gradu notitia virtutis officiorúmque moralium, ut eundem finem haberet in Theologia, quem in ſtatu naturæ integræ obtinuit, & impoſſibile erat, & novi fœderis pactione ipſe Deus negavit. Quoniam ideò doctrina iſta de moribus, ſeu *Ethice*, quam excoluit *Ariſtoteles*, demùm quaſi poſt liminio in Eccleſiam recepta eſſe videtur, videamus paucis quo in loco habenda ſit, aut quem uſum vel finem ei aſſignare poſſimus.

1. Finem eum cui doctrina hæc, quæ in ſtatu naturæ integræ ἐνδιάθετος erat, deſignata eſt, non alium fuiſſe, quam ut eſſet principium dirigens hominum mentes in cultu & obedientiâ Deo debitis, ut coram eo ambulantes ſecundùm legem creationis, tandem cum eo beatè viverent, antea probavimus. Siquis hominem ad Dei gloriam factum fuiſſe, & moralis ab eo dependentiæ capacem agnoſcere velit, hunc fuiſſe finem notitiæ recti parvique non, opinor, negabit. Cui autem philoſophorum hæc in mentem veniſſe ſuſpicari poſſumus? imo quis *Chriſtianus* in hunc finem *Ethicen* docere, vel debet, vel auſus eſt? nonnè enim hoc eſſet miſeros peccatores ſub fœderis naturalis dominium iterum redigere, ubi iis perire æternùm neceſſe eſt? ideo.

2. Demus eos, qui vel discunt vel docent *Ethicen Aristotelicam* finem illum non intendere; cedo finem illum alterum in quem oculis collimant? Scientiæ moralis finis non nisi *praxis* esse potest. Finis autèm praxeos officiorum moralium non nisi Dei gloria est, atquè nostra ipsius fruitio. Is ergò finis *Ethices* esto; quid tùm posteà? nil nisi, quod nos miseri homunciones ejus ope & beneficio iterùm sub lege creationis, ut anteà dictum est, redigamur. Sed longè fallimur; alius finis dabitur; nempè ut doctrinâ hâc instructi, rectè & utilitèr vitam *politicam*, hîc in medio humani generis traducamus. Itáne vero! quis autèm est eâ authoritate præditus, ut doctrinam eam, quam in unum finem Deus instituit, in alium pervertere possit pro imperio? prætereà neque hic alius finis est; neque enim quis piè, sobriè, utilitèr vitam inter homines traducere debet, nisi ut eò Deo obediat, & vivat. Proùt ideò discessit à Theologiâ, & reditum in Ecclesiam parat, *Ethica* hæc pertinet ad fœdus operum.

3. At verò quid tandèm hâc sivè Theologiâ, sivè philosophiâ opus est? veram, solidam, sinceram, virtutis, vitiorum, turpis, honesti, officiorum omnium moralium notitiam planiùs, pleniùs in Sacris Scripturis revelari & tradi, quàm in omnibus omnium philosophorum scriptis, aut in eorum *Archetypo*, reliquiis scilicet Theologiæ ἐνδιαθέτου, contineri, nemo Christianus negabit. Res ipsas intelligo: nam notionum ἀκρίβεια, & Harmoniæ terminorum, quibus rerum cognitio τεχνικῶς traditur, comprehensio, nullo apud me loco sunt; nisi eo, quo maxima veræ sapientiæ præpedimenta poni debere censeam. Innumeros quotidiè pænè videre licet, qui cùm omnes difinitiones, divisiones, destinctiones terminos, notiones, quibus scientia aliqua traditur, adeóque totius doctrinæ systema, tanquàm ungues calleant, ità ut nunquàm magis seriò triumphent, quàm cum ad disputationes deventum est, ipsarum tamen rerum reverâ rudes sunt, & doctissimè stupidi. Docti quidèm eo modo, quo *Euxinum Apollonii* magistrum instructum fuisse in Philosophiâ *Pythagoricâ* narrat *Philostratus*: τὰς (inquit) Πυθαγόρου δόξας ἐγίνωσκεν, ὥσπερ οἱ ὄρνιθες ἃ μανθάνουσι παρὰ τῶν ἀνθρώπων: τὸ γὰρ χαῖρε, καὶ τὸ εὖ πράττε, καὶ Ζεὺς ἵλεως, καὶ τὰ τοιαῦτα αἱ ὄρνιθες εὔχονται, οὔτε εἰδότες ὅ τι λέγουσιν, οὔτε διακείμενοι πρὸς τοὺς ἀνθρώπους, ἀλλὰ ἐρρυθμισμένοι τὴν γλῶτταν. *Pythagoræ sententias ita noverat, sicut aves ab hominibus quandóque docta humana loquuntur verba: illa enim salve, & felix sis, & Jupiter propitius & hujusmodi quædam verba nonnunquam proferunt, nequè quid dicunt scientes, nequè ea, quæ dicunt, hominibus accomodatè dicentes, sed linguam duntaxàt*

duntaxàt ad modulatum numerum agitantes. Nequè alitèr sanè ex scientiarum disciplinâ plurimi sapere videntur. Nullibi magis apparet hæc mentis humanæ vanitas, quàm cùm versatur in scientiâ hâc morali. Injusti, rapaces, ebrii, iracundi, timidi omnes hâc scientiâ imbuti sunt, vel imbui possunt; non enim virtus, sed virtutis umbra, non officia, sed officiorum moralium larva, utrámque paginam in eâ implent. Ausim dicere, non unam veram virtutem verè & certè doceri, in omnibus *Aristotelicis* libris ad *Nicomachum*; neque quisquam unquàm ex eorum doctrinâ, justus, bonus, aut verè σπουδαῖος evadet, nec nisi larvatus *Hypocrita.*

4. Dicam ideò quod res est. Totam doctrinam de officiis, de virtute, de rectæ rationis observantiâ, alio in loco, alio ordine, sub fœdere gratiæ Deus collocavit, quàm quo sub lege naturæ erat disposita. At verò notiones istæ naturales, è quibus enata est & emersit *Ethice*, non nisi primum istum ordinem jam abolitum (superiùs enarratum) respiciunt. Nulla jam virtus est, nisi quæ vi novi fœderis gratiosè fidelibus conceditur. Nullus actus moralis bonus est & utilis agenti, nisi procedat à novo principio, seu habitu spirituali cordi gratiosè infuso. Et ratio est, quia Deus omnia officia moralia, cujuscúnque generis sunt, atquè omnem à vitiis abstinentiam, partem obedientiæ, quam sub novo fœdere exigit, constituit. Nèque aliter virtutes seriò docendæ sunt (schola ludus est) si *Christiani* esse velimus. Ut aliquis in generalis virtutis naturæ cognitione instruatur, ità ut non simul in cognitione gratiæ supernaturalis, atquè ejus respectus quem habet ad Christum mediatorem; vel ut quis ad virtutis actus eliciendos provocetur, nisi ut simul doceatur unde vires ad eos præstandos ei expectandæ sint, sanè impium judico. Præstanda sunt officia moralia, exercendi virtutis actus, justi, sobrii, temperantes, fortes ut simus, necesse est; sed non nisi sub ratione obedientiæ, quam Deus à nobis in fœdere gratiæ postulat. Docenda est virtutis natura, explicanda omnia officia moralia, praxis eorum assiduè urgenda, cognitio peccati, vitiorum odium, seriò inculcanda: ut verò omnia hæc respiciant Christum mediatorem, Spiritum Sanctum, fœdus gratiæ, síntque obedientia Deo debita, nullo modo est omittendum. Ineptus autèm esset, qui in eâ de moribus doctrinâ explicandâ, quæ nunc in scholis obtinet, horum aut similium mentionem injiceret. Quas verò tenebras, quam fluctuationem, incertitudinem, quam rerum notionúmque confusionem, in mentibus hominum diversa adeò de eodem subjecto, iisdem rebus, doctrina generare potest & solet, cuivis conjicere licet.

5. Porrò! *philosophia* hujus moralis doctrina, ea præsertim, quæ ab ingenio & methodo Authoris jam plurimùm ubivis obtinet, falsa est in multis, & corrupta, incerta, prorsùs inutilis, imò & pernitiosa. Nam (1) finem virtutis intra limites vitæ hujus terrenæ includit, quod nihil aliud est, quàm totam virtutis naturam destruere, ipsámque adeò virtutem eradicare, omnésque ejus studiosos magni illius *Bruti* horrore & desperatione astringere, clamantis ὦ τλῆμον ἀρετὴ ὡς σὺ μηδὲν ἄλλο ἢ πλὴν ὄνομα.

2. Virium moralium sufficientiam, ad omne illud virtutis exercitium, quod ad proprium ejus finem obtinendum necessarium est, penes omnes homines esse docet; quæ sententia apertam totius *Evangelii* abnegationem continet.

3. Hominem sibi fidere, à se omnem beatitatem expectare docet, quæ summa etiam est sapientiæ *Epictetanæ*, atque summus Dei contemptus.

4. Virtutem, quoddam inter extrema medium esse, quo nihil ineptius fingi potest, asserit.

5. Certam, stabilem, universalem virtutis regulam nullam proponit, aut agnoscit: id, quod *pluribus*, quod *sapientibus* placet, quod incertò divinantibus maximè arridet, virtus est.

6. Moralia officia, sine ullo respectu ad gratiam, justitiam, providentiam divinam absolvit.

7. Amicitiam Deum inter & homines esse posse negat.

8. Præmii & pœnæ æternæ nescia.

Sed nolo me in medias virorum doctorum controversias immittere; tantùm addam: si *philosophia* hæc moralis adhùc suo loco viris bonis & doctis retinenda videatur, quam ipse quidem non possum extra Ecclesiæ fines non eliminatam cupere, ut duobus hisce malis diligentèr occuratur me maximoperè optare: uni scilicet, nè mentes juvenum præjudiciis adversus puritatem, simplicitatem, atq; adeò omne Evangelii mysterium, occupentur; quod quomodò fieri possit, cum in hujus doctrinæ formam sint traditi, ego planè nescio: alteri vero, nè ea, quibus nititur, principia in scholarum *Theologiam* sensim irrepant; nisi serò nimis hæc dicta esse putantur.

Atque ego quidem eorum conatibus, qui novas *hypotheses* in scientiâ hâc morali cudere satagerunt, faveo. Ansam enim *peripateticæ* philosophiæ mancipatis, in rerum harum naturas ulterius inquirendi dedisse eos fatendum est. An veritatem ipsam assecuti sint, penes alios judicium esto. Neque sanè propter obscuræ unius duarúmve vocularum apud

Aristotelem

Aristotelem usum, statim sententiam intellectui humano expositam magis, amplecti dicendi sunt, qui eam repudiant. Ut *homo sine conscientia stimulis in animi tranquillitate & gaudio versetur*, moralis philosophiæ finem Eruditus quidam vir in libro, quem de officiis edidit, contendit. At scimus nos, scit iste vir eruditus, istiusmodi statum animi nequaquam obtineri posse officiorum quacunq; tandem præstatione. Etenim peccatores sumus, neque ullius veræ tranquillitatis aut gaudii participes fieri possumus, nisi per sanguinem Christi. Ab ingressu peccati non alia ad pacem aut tranquillitatem via proposita est. Porrò ad finem hunc obtinendum, ut quisque naturæ suæ leges placitáque studiosè observet, idem vir eruditus jubet. At verò medium hoc nequaquam ei fini assequendo sufficere norunt christiani omnes; Legem aliquam naturæ esse cum viro docto contendimus. At cùm ipsa natura humana usque adeò per peccatum corrupta sit & vitiata, ut vitium suum neque intelligere, neque corrigere potis sit, legem, quæ in illâ tantum obtinet, ei usui, qui prætenditur, idoneam esse, necesse est ut negemus.

Paucissima sunt, quæ seperatìm de *Metaphysicâ* addere placet. Quæ de ortu & corruptione *Ethices* diximus ei etiam omnia sunt communia; illa repetere haud opus est. Hanc autem scientiam in vitâ humanâ ego plane inutilem esse judico, imò noxiam. Etenim tollantur primò ea, quæ ad *Logicam* propriè & necessariò ex unâ parte pertinent, eáque, quæ ad Theologiam ex alterâ, quod superest, nil nisi operosa & inutilis, terminorum, notionum, verborum, abstractionum farrago erit, quæ neminem unquam hominem meliorem, doctiorem, sapientiorem, aut ad officium suum erga Deum aliósve magìs aptum reddet. Consulant, qui in eâ maximè excercitati videntur, propriorum pectorum scrinia, atque dicant sincerè, utrùm ejus beneficio & ope, pietatis, probitatis, sapientiæ, prudentiæ, veræ ullius doctrinæ aliquid unquam iis accesserit. Quid ergo miseris homuncionibus, qui quotidiè quiritantur *vitam brevem esse, artem longam*, spinosâ hâc notionum inutilium & perplexarum farragine, citissimè, si sapere velint, oblivioni tradenda, crucem affigere amplius opus est?

Deinde scientiæ hujus cum Theologiâ supernaturali mistura, cujus contemplatione exclamavit olim *Scotia*, tandem *Theologicos doctores philosophiam cum Theologiâ maximo cum fructu miscuisse*, Evangelicæ veritati exitium pœnè intulit. Compedes sanè & vincula notionum & terminorum metaphysicalium res spirituales ferre nollent: perit etiam libertas

bertas & amplitudo intellectus illius spiritualis, quem ad ritè intelligendum Evangelii mysterium gratuitò nobis dat Deus, dum laqueis sapientiæ hujus secularis, (nam ita est, si modò sapientia dici debeat) irretitur. Nobilis, sublimis, spiritualis, cœlestis, & divini cujusdam saporis plena veritas Evangelica, hujus scientiæ regulis astricta, verbisque, quæ ea docet, tradita, sterilis, arida, spinosa, jejuna, strigosa, philosophica redditur, & à suâ cœlesti pulchritudine, & spirituali dulcedine dejicitur. Habet in se quiddam altius, majus, divinius, mysterium Evangelii, & doctrina ista, quæ secundum pietatem est, quam ut humanæ sapientiæ cancellis arctari debeat. Cùm ideò perennare lites Theologicas, atque hominum animas à simplicitate Evangelii abducere vellem, hanc rixarum causam, materiam, instrumentum studiosis commendare non dubitarem. Quod de antiquis nonnullis *Philosophis* olim cecinit *Prudentius* in Apotheosi, non seriùs quadrat in *Theologos* innumeros hâc vanâ sapientiâ inflatos:

Statum lacessunt omnipotentis Dei
calumniosis litibus.
Fidem minutis dissecant ambagibus
ut quisque est lingua nequior:
Solvunt ligantque quæstionum vincula
per syllogismos plectiles.

Sed in viam redeunduum est. Habemus *Ethica* & *Metaphysica* ortum, progressum, abusum. Theologiæ ἐνδιαθέτῳ reliquiis in finem primigenium uti, atquè proindè eas excitare, ventilare, promovere, homines quidam contemplativi instituerunt. Indè emanavit omnis gentium de vitiis & virtutibus doctrina, atquè de naturâ & perfectionibus Dei contemplationes. Ortus, finis, scopi istarum contemplationum obliti homines *sophisticè* docti & acuti, artes illas, quas sub iis nominibus colimus, produxerunt; atquè istæ in se quidem sunt quædam sapientiæ larvæ, Theologiæ autem supernaturali mistæ; perniciosæ.

Porrò! Cùm opera Dei ejus τὸ γνωστὸν manifestum faciant, eorum naturas diligentèr & accuratê scrutati, ipsum omnium dominum & Creatorem palpando invenire quæsiverunt peccatores. Atquè hæc pars secunda erat Theologiæ naturalis. Hanc etiàm excolere vitio nativo laborans conatum est humanum ingenium. Ex operibus Dei cùm creationis tùm providentiæ ipsum Deum quærere, intus illud erat quod eos perpetuò urgebat. Sed eodem res recidit. Etenim invalescente quâ

in

in universum laborarunt mentis vanitate in *philosophiâ naturali*, & *Astronomiâ*, iste etiam conatus paulatim eruditè evanuit.

Hæc, inquam, *Astronomia*, ac vanitatis illius, quæ *Astrologia* dicitur, origo erat. Pulchritudinis, ordinis, cursus cœlorum, syderum, omniúmque corporum cœlestium contemplatio & notitia, *Theologia* naturalis pars erat. Ex eâ magnitudinem, infinitam potentiam, sapientiam & bonitatem Creatoris omnium discere homines debuerant, atquè itâ ad ejus cultum naturalem excitari. Post peccati ingressum & catholicam humani generis à Deo vero *Apostasiam*, paulatim ubivis abiit in desuetudinem ea contemplatio, & scientia indè enata evanuit. Etenim plurimi terrena tantùm sapientes, eorum, quæ supra se erant, curam omnem abjecerant. Alii autèm astu Sathanæ in syderum cultum allecti sunt: Imò stolida & crassa ordinis, cursus, pulchritudinis cælorum, quæ in sensus externos incurrunt, contemplatio, iis, qui Dei vivi cognitionem & disciplinam abjecissent, ad idoloatriam incitamento fuit, ut posteà fusè probabimus. Itâ tandem apud multos ipsum cœlum primus, si non solus Deus erat. Atquè ipsum nomen θεὸς non aliundè, quàm ἀπὸ τοῦ θεῖν, à cursu syderum desumptum esse videtur. Inter extrema hæc sectantes, extitère tandèm homines quidam *theoretici*, qui in alios planè fines corporum cœlestium contemplationi se dederunt. Nequè enim aut ea cultu religioso persequi, nequè ex eorum cognitione Deum vivum investigare, atquè ei obedire in animis habuère: ut innato rerum causas & naturas cognoscendi desiderio satisfacerent, id curæ in se suscepisse videntur. Cùm enim incredibili quâdam varietate, ac rerum apparentium mutatione, corpora cœlestia oculis objici animadverterent, quem inter se ordinem observarent, & quænam essent occultæ τῶν φαινομένων istorum causæ & rationes, investigati sunt. Ex istiusmodi hominum observationibus & conjecturis, adhibitis in earum explicationem terminis quibusdam fictis & significationis arbitrariæ (ficta enim sunt pleráque quibus nititur) quos rebus ipsis utcúnque applicare conati sunt, orta est ea ars, quam *Astronomiam* dicimus; *aurum* scilicet *in ignem conjectum est*, *& prodiit hic vitulus*. In cœlorum quidem, syderum, cœlestium omnium corporum contemplatione, naturæ, ordinis, cursus, influxus, legis eis à creatore omnium inditæ investigatione, ego operam optimè collocatam judico. Etenim nudus & vulgaris horum, quæ in omnium oculos statim incurrunt, aspectus, mentes hominum extempló tacitâ quâdam infinitæ sapientiæ & potentiæ Dei admiratione percellit. Efficacior multò ea, quæ cum seriâ meditatione ac solerti indagatione contemplatio conjuncta est. Atquè

optandum

optandum esset, cognitionem corporum cœlestium legísque perennis, quâ agitantur, quantum quid certi ex eâ cognosci potest, cùm pluribus communicatam esse, quàm nunc dierum fit. Nonnulla tamen, sine cujuspiam, uti spero, offensione, necesse est, proposito instituto adhærens, ut addam: dicam brevitèr. Prout nunc docetur, atquè per aliquot jam secula inter eruditos jus scientiæ obtinuit, locum suum, ordinem & utilitatem pænè omnem amisit *Astronomia*. Amotâ Theologiâ naturali, respectu finis veræ Theologiæ, qui, quæso, locum suum tutari potuit *Astronomia*? quæ pars ejus erat, si nos homines simus ad Dei gloriam creati? Aut igitur in alium locum per Christum (in quo omnia instauranda) sub novo fœdere restituitur, aut abjicienda est penitùs. Quin tota scientiarum ἐγκυκλοπαιδία, in novum finem novis mediis directa, subordinari debeat gloriæ Dei in Christo; christianus dici haud meretur, qui ibit inficias. Qualísnam autem sit ista restauratio scientiæ seu cognitionis rerum naturalium, seu operum creationis, in usum hominum Deum sincerè in Christo colentium, quæ facta est, & fieri debet; quem locum omnis scientia habeat in Theologiâ supernaturali seu revelationis, præsertim hæc syderum, cursúsque eorum peritia, longior est historia, quàm cui narrando vacem, aut forsân exponendo sufficiam.

Ad hunc modum ideò, irrito sanè conatu, primigeniam istam *Theologiam*, de quâ superiùs egimus, utcúnque instaurare nitebatur genus humanum, atquè instaurando perdidit. Hoc erat creaturæ rationalis sese ab incumbente ob peccatum ignorantiæ & cæcitatis maledictione expediendi molimen; quo nihil aliud perfecit, quàm ut ulteriùs miserè implicaretur. Cùm enim ad imaginem Dei non nisi in Christo renovemur, atque *Theologia* ista imaginis illius pars illustris fuerit, ábsque istâ renovatione frustrà omninò esse eum instaurandi conatum omnem apparet. Inde ergò evenit, ut qui istius renovationis expertes, vel quem locum in eâ Philosophia occupare debeat, ignari, illam tamen expolire & docere sint aggressi, à proprio fine & usu eam detorquentes, vix ampliùs profecerint, quam ut sibi aliísque spinosarum & inutilium quæstionum & disputationum farragine crucem affigerent. Atque ita ex hoc primo conamine Theologia naturalis corrupta, non tam *ulteriùs* corrupta, quam amissa videatur. Ejus ideò corruptio totalis & quomodo in *Ethnicismum* defiverit ulteriùs investiganda est. Hîc verò quid datâ operâ deliquerint peccatores videamus.

CAP. VIII.

De Traditionibus. earum origo, usus, Corruptio, Poetarum in corrumpendâ Theologiâ naturali, conatus, & successus. Humani generis ex ignoratione veri Dei clades horrenda. Κρόνος, Χρόνος; *& Noachus.* ἀνθρωποθυσίας *origo. De legumlatoribus. Theologia* πολιτική. *Philosophi. Theologia* φυσική. *De superstitione. Religionum omnium apud sapientes contemptus. Theologiæ Gentilium destructio totalis.*

Quemadmodùm in corrumpendâ *Theologiâ* naturali partes suas egerit *Philosophia*, seu potiùs ipsa corrupta fuerit, exposui. Totalis ἀποστασίας ab omni verâ Dei cognitione etiam aliæ causæ fuêre. Eas hîc brevitèr exararre, quamvis propriè ad cultus religiosi corruptionem pertineant, de quâ in originis Idololatriæ investigatione posteà agendum, pausis visum est. Atquè hîc datâ operâ à Theologiâ naturali defecit humanum genus. Quicquid enim adjutorii ad sui, recti, verique cognitionem obtinendam, Deus peccatoribus indulsit, id omne in propriam perniciem torsit cordis humani cœcitas.

Notitiam quam de Deo habuerunt antiquissimi mortales, *traditionibus* earum Revelationum, quas ex illorum parentibus nonnulli à Deo accepissent, auctam & cumulatam fuisse constat. Exacto etenim per diluvium sæculo illo, cujus spatio dimidio adfuit communis omnium parens & instructor, à *Noacho* & filiis ejus, in eorum *Nepotes*, & qui ab illis nati sunt, non minimam rerum divinarum famam, atq; Dei cognitionem manasse nulli dubium esse potest. Quousque se extenderit cognitionis istius efficacia, dum illimes à fonte traditiones fluerent, non est hujus loci inquirere.

Multarum quidem rerum quæ ad Religionem pertinent, à priscis temporibus in humanum genus per traditiones notitiam emanasse, certum est. Obscuram verò admodùm atque incertam, apud Gentes fuisse rerum antiquarum cognitionem, quæ ad sacra pertinent ipsi sapientes fassi sunt. Ita *Virgilius*.

Pandite nunc Helicona deæ, cantúsque movete.
Et, meministis enim divæ, & memorare potestis;
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.
Æneid: lib. 7.

Aliquam tamen habuisse videbimus; An ea quæ de rebus divinis, egregiè dicuntur apud antiquos Philosophos, omnia ex *Judæorum* scriptis, hausta sint, Ego quidem vehementèr dubito. *Scalig:* Contendit quidem *Eusebius*, omnem inter Græcos de rebus divinis scientiam ab *Hebræis* emanasse. *Platonem* etiam multa corrasisse ex *Phœnicum* Theologiâ quæ ipse non intellexit, scribit: *Jul*: *Scaliger*: *Exercitat*: 61: rectè, an secùs nescio. Nonnulla Catholicæ traditionis virtute eos retinuisse, quorum fama à primis úsque rerum primordiis orbem invaserat, nemini qui eorum scripta à limine salutavit ignotum esse potest. Pauca recenseamus speciminis loco. Rerum omnium *conditum* nullis ad fidem ei astruendam rationibus adhibitis, plurimi agnoverunt.

ἦν ποτὲ τοὶ χρόνος οὗτος ἐν ᾧ ἅμα πάντ'
ἐπεφύκει.

Lino ascribitur, vetustissimo apud *Græcos* carminum consarcinatori. Eandem rerum originem nulli non celebrant Poëtæ. Quæ initio operis scripserit *Ovidius* pueri norunt. Annuit *Horatius*. Satyr. 3. lib. 1.

Quum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter.
Unguibus & pugnis, dein fustibus, atque ità porrò.
Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus;
Donec verba, quibus voces sensúsque notarent,
Nomináque invenere.

(Quibus genuina habet *Diodor: Sic: Hist: lib.* 1.)suo more, generis humani originem describens: & Juvenalis saty: 6.

Quippe aliter tunc orbe novo, cœlóque recenti.
Vivebant homines, qui rupto robore nati
Compositive luto, nullos habuere parentes.

Eique συγχρονος *Papinius. Thebaid: lib.* 4.

Arcades huic veteres astris lunáque priores
Agmina fida datis, nemorum vos stirpe rigenti
Fama satos; cum prima pedum vestigia tellus
Admirata tulit: nondum arva, domúsque nec urbes

Conn-

Connubiisque modus, quercus laurique ferebant
Cruda puerperio, ac populos umbrosa creavit
Fraxinus, & sata viridis puer excidit orno.

D. *Brachmannis*, *Strabo Geograp.* lib. 15. περὶ πολλῶν δὲ τοῖς Ἕλλησιν ὁμοδοξεῖν. ὅτι γὰρ γενητὸς ὁ κόσμος, καὶ φθαρτὸς λέγειν κἀκεῖνοι· ὅτι διοικῶν αὐτὸν, καὶ ποιῶν Θεὸς δι' ὅλου διαπεφοίτηκεν αὐτοῦ. *De multis cum Græcis sentire, ut quod mundus sit ortus & interiturus, & quod conditor & administrator ejus Deus universum eum pervadat.* *Græcos* ideò *Barbarósque* in eo consentire, quod mundus à Deo conditus sit, ex antiquissimâ scilicet traditione is Author est. Dubitat *Aristoteles*, Topic: 19. de Cœl. 1. 10: sed solus pæne. *Hesiodum*, *Orpheum*, *Apollonium*, *Aristophanem*, *Plinium*, *Diodorum Siculum*, *Numenium*, *Anaxagoram*, *Meghastenem*, eidem traditioni fidem habuisse, facilè esset ostendere. De *Platone* questio nulla est. Ortum mundum qualemcúnque habuisse, sensisse *Thaletem*, *Anaximenem*, *Xenophanem*, *Parmenidem*, *Democritum*, *Empedoclem*, *Metrodorum*, ostendit *Euseb: præpar: Evan: lib:* 1. *cap.* 7. Particularium rerum, de *Noacho*, diluvio, *Abrahamo*, traditiones, quarum meminerunt *Philobiblius*, *Lucianus*, *Strabo*, aliíque, prætereo. Cùm mundi conditu judicium in homines post hanc vitam excercendum, famam *Catholicam* obtinuit. Eam etiam persuasionem comitata est immortalitatis animarum præsumptio; quæ, quamvis rationi etiam innitatur, tamen cùm maximè semper apud vulgus potiùs quam σόφους obtinuit, non nisi traditioni ascribenda est. *Thales Milesius* animam φύσιν ἀεὶ κίνητον ἢ αὐτοκίνητον, semper, aut per se mobilem definiit. Atquè de eo *Diogenes* ἔνιοι δὲ καὶ αὐτὸν πρῶτον εἰπεῖν ἀθανάτους τὰς ψυχάς; hoc est, primus de animæ ἀθανασία philosophicè disseruit. Honorem illum *Pherecidi* plurimorum consensus defert. *Unum* inquit *Meta: lib. Cap.* 2: *ex iis quæ præcipiunt Druides, in vulgus effluit, videlicet animas esse æternas.* Déque iisdem *Cæsar* de *Bell: Gall: lib:* 6: *inprimis hoc persuadere volunt, non interire animas.* Et *Valerius lib.* 2. *cap.* 6: *vetus ille mos Gallorum occurrit; quos memoria proditum est, pecunias mutuas quæ his apud inferos redderentur dare solitos; quia persuasum habuerunt, animas hominum immortales esse.* De *Platone*, nulli nota magìs domus est sua. *Phædon* testis est.

Etiam Gentes barbarissimas tenet eadem persuasio. Per totam *Americam* nemo pæne erat qui ante *Europæorum* in eas oras adpulsus, dubitabat. Etiam nonnulli ἀναστάσεως famam acceperunt. Θεόπομπος καὶ ἀναβιώσεσθαι κατὰ τοὺς μάγους φησὶ τοὺς ἀνθρώπους, καὶ ἔσεσθαι ἀθανάτους

 Diogen:

Diogen: Laert: Oper: proe: Theopompes, inquit, *revicturos homines juxta Magorum sententiam dicit, immortalésque futuros*. Assentitur magnus *Plato* in *Phædone*; nam καὶ τὸ ἀναβιώσκεσθαι, καὶ ἐκ τῶν τεθνεώτων τοὺς ζῶντας γίγνεσθαι, καὶ τὰς τῶν τεθνεώτων ψυχὰς εἶναι, καὶ ταῖς μὲν ἀγαθαῖς ἄμεινον εἶναι, ταῖς κακαῖς κάκιον; ait; h: e: *& reviviscere homines, atquè ex morttis viventes fieri, mortuorúmque animas superesse, atque bonis quidem meliùs, malis verò deterius esse.*

Atque hæc, uti diximus, judicium aliquod futurum in homines secundum ea quæ in vitâ hâc mortali rectâ ratione dignum indignúmve fecerint, exercendum expectantes, crediderunt. Unde idem *Plato*, Episto: 7. Πείθεσθαι δὲ ὄντως ἀεὶ χρὴ τοῖς παλαιοῖς τε καὶ ἱεροῖς λόγοις (hoc est traditionibus antiquissimis) οἳ δὴ μηνύουσιν ἡμῖν ἀθάνατον ψυχὴν εἶναι δικαστάς τε ἴσχειν καὶ τίνειν τὰς μεγίστας τιμωρίας ὅταν τις ἀπαλλαχθῇ τοῦ σώματος. h: e: *antiquis vero, sacrísque sermonibus fides semper habenda, qui declarant, animum nobis esse immortalem, & judices habere, quorum decretis pro merito præmia & supplicia maxima attribuantur, ut primum quis è corpore decesserit.*

Usquè adeò autem apud plurimos ista sententia obtinuit, atquè tanti momenti ad coercendas sceleratorum mentes æstimata est, ut non dubitaverit Ethnicorum sapentissimus, *Cato* in ipso Senatu, quo *Cæsari* invidiam crearet, contrariam sententiam ei ascribere, ita enim apud Salustium de *Bell*: *Catilin*: loquitur; *Cajus Cæsar hæc disseruit, credo falsa existimans, ea quæ de inferis memorantur diverso itinere malos à bonis loca tetra, inculta, fœda usquè formidolosa habere.* Sententiam hanc depinxit Poëtarum Doctissimus; *Æneid*: 6. *Homerum* imitatus ΟΔΥΣΣ: Λ: undè quæ hauserunt *Pontificii* notum est. Etiam eâ persuasione vulgus pernitus imbutum. Indè quæ apud inferos fiunt, uti etiámnum in iis locis ubi Romanum Pontificem adorant, aliísque fit, pictoribus describenda commissa sunt. *Plaut: Cap.* A: 5: 4: *vidi ego multa sæpe picta, quæ Acheronti fierent cruciamenta.* Istis homines in officio contineri, & à sceleribus abstrahi potuisse putârunt. *Maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto*; de *Gallis Cæsar*. Et *Lucanus*;

Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud urget lethi metus; inde ruendi
In ferrum mens prona viris; animæque capaces
Mortis; & ignarum est reditura parcere vita.

Lib.

Lib. 1. Et de *Germanis Appianus in* Celt: *Germanis mores fercciſſimi inſunt, in aggrediendo inſigni audacia, contemptus mortis maximus, ob reviviſcendi ſpem.* *Britannorum* eadem mens, cum ab iis *Druidam* diſciplinam prodiiſſe *Caſar* teſtetur. Novæ *Angliæ* incolas *Americanos* omnes perſuaſum habere, homines induſtrios, & gnavos atq; temperantes, cùm diem obeant, in plagas mundi *auſtrales*, quas Deum Optimum habitare credunt, quoniam frigora, adeóque penuriam omnem depellentes inde ventos efflare veris tempore ſentiunt, ignavos autem omnes & deſidioſos in *boreales* ſeu loca horrida & formidoloſa ire, ferunt *Angli*. Præclare *Seneca tunc animus noſter habebit, quod gratuletur ſibi, cum emiſſus tenebris, quibus volutatur, non tenui viſu clara proſpexerit, ſed totum diem admiſſerit, & redditus Cœlo fuerit; cum receperit locum, quem occupavit ſorte naſcendi.* Hæc ille more ſuo, ſplendidè, ornatè, magnificè.

Cæterum cùm unicæ ad veram felicitatem viæ penitùs eſſent ignari; quamvis bonos malis multum prætulerint, tamen optimorum apud inferos conditionem incertam & pœne miſeram ſtatuerunt, atque ita φο-βῳ θανάτυ διὰ παντὸς τῦ ζῆν ἔνοχοι ἦσαν δυλείας, uti loquitur *Apoſtolus*, Heb. 2. 15. Ità *Achilles* quamvis mortuis latè imperitans, ſortem ſuam apud *Ulyſſem* luget.

Μὴ δὴ μοι θανάτόν γε παραύδα φαίδιμ' ὀδυσσεῦ
Βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
Ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη
Ἢ πᾶσι νέκυεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν·

Ne ſanè mihi mortem commemores inclyte Ulyſſes
Vellem ſane ruſticus eſſe, & mercede ſervire alii
Viro inopi, cui nec victus ſufficiens eſſet,
Quam omnibus mortuis vita defunctis imperare.

Hom: Odyſſ: lib: Λ.

Hæc verò omnia, aliqua, plurima, ex traditione antiquiſſimâ in totum humanum genus emanaſſe conſtat. Scio quidem inter ſapientes plurimos inveniri, quibus hæc omnia de judicio futuro, ſortéque variâ, æternâ ſcilicet, hominum, deridiculo fuere; nec ſolum *Lucretius Epicureus* clamat.

Et metus ille foras præceps Acherontis agendus.
Funditus, humanam qui vitam turbat. Lib 3.

Sed

Sed & ipse *Cicero* hæc deridet. *Dic* (inquit) *quæso*, *num te illa terrent*, *triceps apud inferos Cerberus*, *Cocyti fremitus*, *transvectio Acherontis*, *mento summam aquam attingens siti erectus Tantalus*, *num illud quod Syssiphus vertat*: *Saxum sudans intendo, neque proficit hylum ? fortasse etiam inexorabiles judices, Minos & Rhodamanthus, apud quos nec te L: Crassus defendat, nec M: Antonius; nec quoniam apud Græcos judices res agetur, poteris adhibere Demosthenem : tibi ipsi, pro te, erit in maximâ coronâ causa dicenda. Hæc fortasse metuis, & idcircò censes mortem esse sempiternum malum.* A. *adeone me delirare censes, ut ita esse credam?* M. *An tu hæc non credis?* A. *minime verò.* M. *malè herculè narras.* A. *Cur? quæso.* M. *disertus esse possem, si contra ista dicerem.* Tuscul: Quæst : lib: 1. Si quidem ille Poëtarum assumenta vanissima solùm exagitasset, ad rectæ rationis normam fecisset ; sed uti ex sequenti disputatione palam fit, se toti traditioni adeóque rei ipsius veritati opposuit. Et ex aliorum mente *Seneca* Tragæ: Troa: A: 1.

Post mortem nihil est, ipsáque mors nihil.
Velocis spatii meta novissima.
Quæris quo jaceas post obitum loco ;
quo non nata jacent. Et

Tempus nos avidum devorat & Chaos
Mors individua est noxia Corpori
nec parcens animæ.

Sed demus in utrâmque partem probabilitèr differere voluisse *Ciceronem*, finire nihil ; *Senecam* autem quidvis poëticè pro libitu scripsisse. At *Plinius* non tantùm istam vulgi persuassionem rejicit, sed & Argumentis refutare conatur, *l.* 7.*c.*55. *Omnibus* (inquit) *à supremâ die eadem quæ ante primum, nec magis à morte sensus ullus aut corpori aut animæ quam ante natalem. Eadem vanitas in futurum etiam se propagat, & in mortis quóque tempora ista sibi vitam mentitur, aliàs immortalitatem animæ, aliàs transfigurationem, aliàs sensum inferis dando, & manes colendo, Deúmque faciendo qui jam etiam homo esse desierit. Seu verò ullo modo spirandi ratio, homini à cæteris animalibus distet; aut non diuturniora in vita multa reperiantur, quibus nemo similem divinat immortalitatem. Quod autem corpus animæ persequitur materiam ; ubi cogitatio illi ? quomodo visus, auditus, aut quid agit ? qui usus ejus ? aut quod sine his bonum? Quæ deinde sedes, quantáve multitudo tot seculis, animarum velut*

lut umbram? puerilium ista deliramentorum, avidæque nunquam desinere mortalitatis commenta sunt. Et quicquid hujus receptum inter homines fuit, apertissimè fabulas, vocat *Strabo*, lib. 15. παραπλέκουσι δὲ καὶ μύθους ὥσπερ καὶ Πλάτων περὶ τε ἀφθαρσίας ψυχῆς, καὶ τῶν καθ᾽ ἅδου κρίσεων; de *Brachmannis* loquitur, *texerunt*, inquit *& fabulas, quemadmodum Plato, de immortalitate animæ*, & *de judiciis quæ apud inferos stant.* Juxta cum *Plinio* & *Strabone* sine dubio sentiebant sapientum plurimi.

Hâc autem persuasione freti, se mutuò ad omne scelus perpetrandum hortati sunt. Inde in diverbium abiit, φάγωμεν καὶ πίωμεν· αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν, quod memorat Apostolus; *Epist. ad Cor.* 1. *cap.* 15. *vers.* 32: apud Poëtam nihil frequentius occurrit.

Catull: *Vivamus mea Lesbia atque amemus*
Rumorésque senum severiorum
Omnes unius æstimemus assis.
Soles occidere & redire possunt
Nobis cum semel occidit brevis lux
Nox est perpetua una dormienda.

Et Horatius *Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam*
Jam te premet nox, fabulæque manes.
Et domus exilis plutonia: quo semel mearis
Nec regna vini sortiere talis
Nec tenerum Lycidam mirabere.

Atque ipse *Persius*, ridens licet;

Indulge Genio, carpamus dulcia; nostrum est
Quod vivis, cinis, & manes, & fabula fies.

Propiùs ad verba ab Apostolo memorata Græci. Ita *Strato*;

Καὶ πῖνε καὶ πέρπου Δημόκρατες· οὐ γὰρ εἰς ἀεὶ
—Πιόμεθ᾽ οὐδ᾽ αἰεὶ παιδὸς ἑξόμεθα. Et—
Πῖνε καὶ εὐφραίνου, τί γὰρ αὔριον ἢ τί τὸ μέλλον
—οὐδεὶς γινώσκει.

Ast ab eâ sententiâ quam ex traditione antiquissimâ hauserat vulgus se nunquam removeri passum est.

Quæ divinæ veritatis particulas alias etiam inuerunt traditiones, recensere

censere facilè esset. Illorum inquam, beneficio uti, ad luminis naturalis reliquias promovendas, omnium hominum officium erat. At eas ipsas Traditiones pænè primo in loco corruptas fuisse apparet; atque ita ipsum morbi remedium (atque contra mortem æternam antidotus) in lethale virus conversum est. Doctrinam enim hanc πατροπαράδοτον in Deo quærendo naturali lumini haud contemnendas tulisse suppetias, ostendimus; ipsâ verò tandem corruptâ, lumen etiam illud residuum & omnes de *Deo* mentis humanæ προλήψεις sensim corrupit & evertit. Id quomodo factum sit, paucis exponemus.

Ut hùc illùc per ora virum volitent *traditiones*, iis naturale est. Eo terum statu quem descripsimus quisque pro copia cujus factus est particeps illis usus est. Qui dispersas, & hinc indè vagantes, primò sistere colligere, & exponere ausi sunt, *Poetæ* fuere. Hi primo *Hymnis* & cantiunculis ad captandas hominum aures, melos modulati, provinciam suam aggressi sunt; deindè scriptis omne genus fabulis ultrà quod dici potest refertissimis ornatam dederunt. Totius molis fundamentum, *traditiones*. Paulatìm verò totam istam quam ex antiquis traditionibus Dei cognitionem hauserat mortale genus, penitissimè corruperunt. De *Hellenismo* præcipuè loquimur; nam is modus ἀπωσίας ad *Catholicismum* tandem pervenit. Dum ideò quæ audiverant vel in sensus peregrinos & fabulosos detorserint, vel figmentis astutis auxerint, vel alia istis quæ audiverant gemina commenti sint, vel ingeniosis excogitatis Alegoriis ad ea legenda, quæ & ipsi quidem obscurâ famâ acceperant à majoribus, nec ullatenùs intelligebant, usi sint nihil sani, solidi, veri, nihil non vanum fictum, idololatricum, exitiale in totâ Religione naturali reliquerunt.

Imó itâ illi quidèm omnia confuderunt, ut quid, undè; à quibus acceperunt, quâ famâ, traditione, occasionibus, rationibus ducti, multa, plurima amplexi sunt, penitùs impossibilè sit conjecturiis assequi. Traditiones fabulis interpolatas, *theologiam naturalem*, atque moralem, Diabolorum, mortuorum hominum, cultum eos miscuisse apparet. Quid ex Theologiâ naturali corruptâ quid ex traditionibus perversis, quid ex oraculis diabolicis, quid ex vulgi usu, quid ex proprio cerebro quisque hauserit, investigari accuratè prorsus est impossibile. Imò *sæpenumero* obscuram aliquam traditionem divinam, theologiæ naturalis partem aliquam egregiam, fabulas ineptissimas, ac cultum Sathanicum, iisdem verbis, eâdem figmentorum sarcinâ exhibuerunt. Idem, erat

Sol,

Sol, Noachus, Saturnus, imò *Jupiter, Planeta, Heros, Cœlum, Æther*, & ipse *Sathan*, uti posteà pleniùs videbimus.

Est autem mens humana cæcitate nativâ laborans fabularum errorúmque avida, tenaxque. Postquàm ideò δεισιδαιμονίᾳ & polytheismo imbuta erat, ipsum lumen naturale præjudiciis removendis impar, planè succubuit; néque unquam è fabularum lernâ se extricare potuit. Uno exemplo confusio hæc ante oculos poni posse videtur. *Bacchus* idem est qui *Adonis, Evius*, & *Sabus*; ita *Plutarchus* Sympos 4. quæstione quintâ; ubi *Cæremoniarum Judaicarum* origines investigare, omni veritatis & candoris curâ abjectâ, ineptissimè aggreditur. Nomina *Jacchus* & *Bacchus* à יהוה fluxisse pænè probat, eruditè sane conjicit *Sanfordius*, Libro primo *De descensu Christi ad inferos*. Ei autem viro optimo & Doctissimo, multos in originum πολυθεότητος, idololatriæ & *Hellenismi* disquisitione, plurima debere, nonnullos omnia scio, quem tamen raró â quopiam nominatum, â nemine laudatum invenies. *Adonin* autem ab אדוני esse nemo opinor negabit. *Sabus* â צבאות; atque Evius אהיה exprimere videtur; unde *Levitas* inter *Judæos* nomen sortitos fuisse, somniat *Plutarchus*. Atquæ hæc sunt Dei vivi vel nomina, vel Epitheta. Verum ideò numen per nomina illa, quæ tenui licet famâ ad eos pervenerant, intelligebant veteres. Iis, eo modo receptis, alia θεῖα assignarunt. Ea inter, quædam vera fuere, sed ψευδεπίγραφα, alia falsa, diabolica. Primò quæ de *Noacho* audiverant eò retulerunt. Et Nomen *Bacchi* â נח seu â *Noacho* duci nonnullis videtur. *Liberum* surripuisse *Noachi vites* & *vineam* non est dubitandum. Inde *Lactantius*; *mendacium Poetarum non est in facto, sed in nomine. Vid. Vossi.* de *Idololatriâ. lib.* 1. *cap.* 19. & *cap.* 25. ita verus Deus, & איש האדמה *Gen.* 8. 19. confusi sunt. *Bacchus* etiam forsan est בר כוש *filius Cushi*, ita *Bocharto* placet: *Geog. Sac. lib.* 1. *cap.* 2. Hoc est *Nimrodus*. Inde Ζαγρεὺς dictus, seu *robustus venator*, & Νεβρώδης, uti *Græci* omnes *Nimrodum* appellant. At totam pænè *Mosis* Historiam *Baccho* ascriptam esse plurimis exemplis ostendit *Sanfordius lib.* 1. *cap.* 1. *sec.* 18. 19. post eum, atque iisdem instantiis *Vossius lib.* 1. *cap.* 30. neque aliter sentit *Bochartus lib.* 1. *cap.* 18. Quæcunque autem de *Baccho* eadem omnia de *Osyride Ægypto* dicuntur, qui cum magnus fuerit inter suos, post mortem Solis honores omnes adeptus est. Tandem vero prodiit *Bacchus Thebanus*, sive Διόνυσος â *Nysâ* monte sic dictus; & *Nysam* non nisi *Synam* esse quidam viri docti suspicantur, per literarum μετάθεσιν. *Arabiam* autem Græcis *Indiam* nuncupari,

M multis

multis testimoniis facile esset evincere. At etiam *Nysa* mons est in India ultra *Caucasum*, non procul à fluvio *Copheno*, uti ostendit *Philostratus* in vita *Apollonii lib.2. cap.4.* quem in honorem *Bacchi*, qui ibi scilicet miranda operatus est, vitibus conseviſſe homines narrat. Eum autem *Bacchum Assyrium* fuisse; ad illum verò perveniſſe *Bacchum Thebanum*, perhibuerunt ejus Regionis incolæ. Alii civitatem quidem ad radices montis positam *Nysam* appellari; ipsum montem *Meron*. Ita *Curtius lib.8. cap.10.* μηρὸς autem *femur* est. Unde fabula de *Baccho* femori Jovis insuto; nisi Hebraismum suspiceris, & ex femore *Jovis* natum esse, nihil aliud significare, quam esse Dei filium, ut *Heinsio* placet in *Aristarcho*. Atque hæc haud indigna sannis quibus ea excipit *Lucianus Dialog. 9.*

Cæterum *Dionysii Thebani* ortum & res gestas, ex *Diodoro* refert *Eusebius*; *præpar: Evangel. lib.20. cap. 20.* Is vero cùm forsan *Europæorum* primus in oras *Asiaticas* excursiones aliquas fecisset, apud proximi sæculi fabulatores antiquas omnes traditiones de *Bacchis* supra memoratis exhausit; ac unus omnia fuit, quorum reverâ nullus erat; in eum enim omnia pœnè παρηπεράδοτα congresserunt μυθοποιοί. Neque hic substitit mirifica frustratio. Quia *vitium* vinearumque inventionem *Baccho* veteres ascripserunt, per *Bacchum* vel vinum vel Autumnum seu eam anni Tempestatem quâ maturescunt vites tantum denotari contenderunt Theologiæ naturalis consarcinatores. Ita nos docet *Lucretius lib.2.*

Hic si quis mare Neptunum terramque vocare
Constituet fruges, & Bacchi nomine abuti
Mavult, quam laticis proprium proferre vocamen
Concedamus ut hic terrarum dictitet orbem,
Esse deam Matrem, dùm re non sit tamen âpse.

Et Athenæus Deipn; *lib.1.* Ἔνιοι δὲ καὶ τὴν Διονύσου φυγὴν εἰς τὴν θάλασσαν οἰνοποιίαν σημαίνειν φασι, παλαὶ ἐγνωσμένην ἡδὺν γὰρ εἶ) τὸν οἶνον παρεγχεομένης θαλάσσης. h, e. *fugientis ad mare Bacchi fabula, quidam vini condituram significari putant, jam olim cognitam; quoniam affusa mari aquâ, vinum suavius est,* sed ex *Mosis* Historiâ fabulam desumptam esse nimis constat.

Hæc

Hæc eos ineptè confinxisse & imperitè testis est *Philobyblius*, præfatione ad Historiam *Sanchuniathenis.* ἀλλ' (inquit) οἱ μὲν νεώτατοι τῶν ἱερολόγων, τὰ μὲν γεγονότα πράγματα ἐξ ἀρχῆς ἀπεπέμψαντο ἀλληγορίας καὶ μύθους ἐπινοήσαντες, καὶ τοῖς κοσμικοῖς παθήμασι συγγένειαν πλασάμενοι μυστήρια κατέστησαν. hoc est, *sed juniores Theologi postquam ea quæ revera facta sunt rejecissent ab initio allegorias & fabulas excogitarint affinitate inter res mundanas conficta*, mysteria constituebant. Atque ille quidem cum omnia quæ de diis dicta sunt ad veras Historias referenda esse constituisset, & totam illam Theologiam naturalem ex unâ parte, & poetarum μυθικὴν ex altera rejicit. Sed & innumera alia hujus confusionis exempla ubivis occurrunt. Historia ortus mundi apud *Diodorum Siculum*, præsertim *Sanchuniathonem* & *Philonem* illum *Byblium* idem ostendit. Primum caput *Geneseos* in multorum sæculorum Historiam de nescio quibus Regibus transfatur, Cœlum, Terra, Sol, Luna, מות qui *Pluto* esse dicitur, in eô locum habent. Ipse etiam אלהים introducitur. Inter salebras hasce agitato, quam facile fuerit antiquo serpenti humano generi nefarias de Deo opinationes, ac impios sui cultus imponere, quivis conjicere potest.

Egregie *Pausanias in Arcadicis*; ἐν τῷ παντὶ αἰῶνι πολλὰ μὲν πάλαι συμβάντα μηκέτι δὲ γινόμενα, ἄπιστα εἶναι πεποιήκασιν ἐς τοὺς οἱ τοῖς ἀληθέσιν ἐποικοδομοῦντες ἐψευσμένα, *h. e. omnibus quidem seculis veteribus & obsoletis jam rerum eventis, fides eorum culpa in vulgus est abrogata, qui veritatis tanquam fundamenta superstructa fabulis obruerunt*; ipsam veritatem adeò mendaciis corruptam & onustam, incredilibem reddiderunt; quî id factum sit paulo post ostendit. Ὅτι ὅσοι δὲ (inquit) μυθολογήμασιν ἀκούοντες ἥδονται, πεφύκασι καὶ αὐτοί τι ἐπιτερατεύεσθαι· καὶ οὕτω τοῖς ἀληθέσιν ἐλυμήναντο συγκεραννύντες αὐτὰ ἐψευσμένοις. Ita comparatum est ut *qui hujusmodi figmentorum portentis aures præbent, & ipsi mox aliquid adfingunt, quo fit ut mendaciorum quasi colluvie veritas vitiata suam prorsus authoritatem perdat.*

Ex justo itaque Dei judicio, homines veritatem in injustitiâ detinentes εἰς ἀδόκιμον νοῦν tradente, factum est, ut ii quibus non visum est Deum in notitiâ retinere, *vani essent in suis ratiocinationibus*; statim ideò diluvium quoddam spiritualium abominationum, omni injustitiâ, violentiâ, & impuritate comitatum, terrarum orbi incubuit. Idque astu Diaboli & plurimorum κακοζηλία evenit. Invalescente etenim *Polytheismo*, nihil tam vanum, aut nihili fuit, quod in Deorum

numerum non sit relatum. Nullus lapis, lignum nullum, nulla virtus, nullum vitium, nil boni erat, nil mali quin coleretur. Eadem ἀτιμίᾳ affecti sunt, à gramine Campi, ad suprema Cœli sidera, creaturæ omnes. Hæc nos docet Apostolus. ἤλλαξαν, inquit, τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν, καὶ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν, ad *Ro.* I. *v.* 23. iis verbis *Paulum* omne genus Idololatras perstringere constat. *Hellenismo* dementati, Deos ἀνθρωποειδέας censentes, ad *corruptibilis hominis* imaginem numinis effigies finxerunt. πετεινῶν, τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν cultus, ab *Ægyptiis* originem duxit. Κύνας, λύκους καὶ λέοντας, καὶ κροκοδείλους, καὶ ἄλλα πλεῖστα θηρία, καὶ ἔνυδρα, καὶ χερσαῖα θεοπλαστοῦντες; *Philo*: *Canes, Lupos, Leones, Crocodilos atque alia plurima, aquatilia, terrestria, & volatilia,* Deorum loco fingunt & adorant: Et *Theophilus Antiochenus ad Autolycum lib.* I. τὸ μὲν λοιπὸν καταλέγειν τὸ πλῆθος ὧν σέβονται ζώων Αἰγύπτιοι ἑρπετῶν τε καὶ κτηνῶν καὶ θηρίων καὶ ἐνύδρων νηκτῶν. Etenim in illis, qui primi a Deo vero descivisse putantur, maximum diabolicæ dominationis & Tyrannidis exemplum extare voluit. Eorum ideò quod *Paulus Athenis* fecit, in transitu contemplari licet σεβάσματα, præsertim cum neutiquam intra *Ægypti* fines continuerit se superstitio *Ægyptiaca.* ———

Nos in Templa tuam Romana recepimus Isin
Semideosque Canes.

Ait Lucanus.

Nescio quæ nuper mysteria ex eorum sacris elicere conatus est *Athanasius Kercherus,* eosque solos sapuisse, quos ultra humanitatis stultitiam desipuisse credidit adhùc reliquus terrarum orbis, conatu magno, & sumptuoso, sed irrito, ne dicam ridiculo, docere laborat. Ea vidit in illorum *Hieroglyphicis,* quæ procul omni dubio, neque ipsi unquam viderunt, neque ullus qui Christianæ modestiæ, aut veritatis quam Typhi secularis potiorem rationem habendam duxerit, visurus esset. Sed—

Οὐκ ἴδεν ἀλλ' ἐδόκησεν ἰδεῖν διὰ νύκτα σελήνην.

Quid Paulus de illorum colendarum Religionum ratione statuerit ostendimus; *Philonis* etiam Judæi in *Ægypti Metropoli* ætatem agentis, astipulatum produximus. In eodem scelere illis exprobrando multus est *Josephus lib.* I. contra Appionem; *Exod.* 12. *vers.* 12. minatur Deus, *se in omnes Deos Ægyptiorum exerciturum judicia.* Comminationis

tionis illud, quicquid sit, eum effectum dedisse, narrat *Moses* Numero. 33. 4. inter cætera jumenta *Apim* ipsum, aliaque animalia quæ *Ægyptiis* sacra, eum occidisse, non dubitandum. Quid de *Ægyptiorum* cultu religioso senserint, qui inter ethnicos sibi sapere, nobis minùs sanè quàm *Ægyptii* insaniisse videntur, notum est. Satyricus. Saty. 15.

Quis nescit Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat, Crocodilon adorat
Pars hac, illa pavet saturam serpentibus Ibim,
Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci;
Illic cæruleos, hîc piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur.

Anaxandrides apud *Athenæum*; *Deipnos. lib.* 7. *Ægyptios* sic alloquitur.

Οὐκ ἂν δυναίμην συμμαχεῖν ὑμῖν ἐγὼ
Οὔθ' οἱ τρόποι γὰρ ὁμονοοῦσ' οὔθ' οἱ νόμοι
Ἡμῶν, ἀπ' ἀλλήλων δὲ διέχουσιν πολύ.
Βοῦν προσκυνεῖς; ἐγὼ δὲ θύω τοῖς θεοῖς.
Τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῇ δαίμονα.
Ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον παραπολύ.
——Κύνα σέβεις, τύπτω δ' ἐγώ.

Vobiscum ego militare nequeo
Nec concordes mores nostri sunt,
Nec leges; sed ab invicem diffident plurimùm,
Tu bovem adoras, illum ego Diis sacrifico.
Maximum esse numen anguillam putas;
Obsonium vero nos multum lautissimum:
——*Canem veneraris, Ego verbero.*

Et *Antiphanes* in *Lycone.*

Καὶ τἄλλα δεινοὺς φασὶ τοὺς Αἰγυπτίους
Εἶναι, τὸ νομίσαι τ' ἰσόθεον τὴν ἔγχελυν
Πολὺ τῶν θεῶν γάρ ἐστι τιμιωτέρα.
Τῶν μὲν γὰρ εὐξαμένοισιν ἔσθ' ἡμῖν τυχεῖν
Τούτων δὲ δραχμὰς τοὐλάχιστον δώδεκα,

Ἢ τὴν ἀναλώσασιν ὀσφρᾶσθαι μόνον
Οὕτως ἐσθ' ἅγιον πάντως τὸ θηρίον.

Cætera prudentes esse ac intelligentes aiunt
Ægyptios, quod Diis parem anguillam existument;
Multo namque magis est Diis honoranda,
Precibus enim solis ac votis propitiamus Deos
At anguillas drachmis cum minimum duodecim
Vel pluribus impensis adorari vix licet
Adeo sancta prorsus est hac bestia.

Infamiam hanc *Thespesioni Gymnosophistarum* principi apud *Philostratum* exprobrat *Apollonius*, de statuis, & imaginibus agens, *lib.6.cap.9.* Περὶ θεῶν (inquit) ὑμᾶς ἐπηρωτήσομαι πρῶτον. τί μαθόντες, ἄτοπα, καὶ γελοῖα θεῶν εἴδη παραδεδώκατε τοῖς δεῦρο ἀνθρώποις πλὴν ὀλίγων, ἃ σοφῶς, καὶ θεοειδῶς ἵδρυται, τὰ λοιπὰ δ' ὑμῶν ἱερὰ ζώων ἀλόγων, καὶ ἀδόξων, τιμαὶ, μᾶλλον ἢ θεῶν, φαίνονται. *De Diis primum interrogabo, quanam ratione impulsi tam absurdas ridiculasque deorum imagines prater admodum paucas vestris hominibus colendas prabueritis, pauca namque, admodum pauca, deorum forma conspiciuntur, qua sapientia divinitatisque ullum pra se ferunt vestigium; in cateris vero templis, irrationalium animalium atque infamium potius quam deorum effigies coluntur.* Non ingrata erunt Lectori quæ regerit *Thespesion*, si dictum Authoris locum consulere velit. Apparet autem ex eodem *Philostrato* Ægyptios nullam omnino cultus insani rationem reddere potuisse; utcunque *Kircherus* post decursas tot annorum centurias, totius Christianismi mysteria in istis deorum monstris se deprehendisse fingat. Unam utilitatem eos spectasse putavit *Tullius*; *qui irridentur* (inquit) *Ægyptii nullam Belluam, nisi ob aliquam utilitatem quam ex ea caperent consecraverunt*; lib. 1. *de natura*: *Deor*: *Ægyptiis* autem suo more paratragœdians *Britannos* adjungit *Gildas*, de *Excid*: *Britan*: *Britanniæ portenta* inquit, *erant ipsa Diabolica, pæne numero Ægyptiaca vincentia, quorum nonnulla lineamentis adhuc deformibus, intra vel extra deserta mœnia solito more rigentia, torvis vultibus intuemur.* Gratiâ Christi liberati, hæc scelerum monstra, hanc antiqui serpentis tyrannidem obstupescimus, & detestamur omnes; adeóque meritò abominanda est eorum impietas, quos, cum Christiani dici volunt, eóque nomine sanctissimo soli digni censeri, eâdem tamen, si non majori insaniâ percitos esse, ex propriis ipsorum confessionibus convictos tenemus. *Tolerabilior enim est eorum error qui pro Deo colunt statuam auream, aut argenteam,* aut

aut alterius materiæ imaginem, quomodo Gentiles Deos suos venerabantur, vel pannum rubrum in hastam elevatum, quod narratur de Lappis, vel viva animalia, ut quondam Ægyptii quam eorum qui frustum panis colunt; verba sunt *Costeri Jesuit Enchirid. cap.* 8. hic sane, si nos homines simus, si sensu, si ratione præditi, si Sacræ Scripturæ verbis fides ulla adhibenda sit, confitentes habemus reos, talem Idololatriam inter sanctissimi patris papæ filios inveniri, qualis in ipsis Ethnicismi tenebris nec visa est, nec audita unquam.

Cum autem Deorum numero oppressus esset terrarum orbis, atque nescirent homines quem, quidve colerent, solenne erat in *invocationibus*, illud, *Quisquis es*, usurpari; *Nunc quisquis est Deus veneror*: Plaut: Ruden: 1.3. Et——

——*Sequimur te Sancte Deorum*
—*Quisquis es*: Virgil En. 4.

Et in *Capitolio* clypeus consecratus fuit, cui scriptum erat, *Genio urbis Romæ, sive mas sit, sive fæmina.*

Atque inde formula illa Deos evocandi è locis bello obsessis quam *Macrobius ex Samonici* fragmentis memorat. *Si Deus, si dea est, cui populus civitasque hæc est in tutela, teque maxime, qui urbis hujus populique tutelam recepisti, precor venerorque, veniamque a vobis peto, ut vos populum civitatemque hanc deseratis, Loca, templa, sacra, urbemque eorum relinquatis; absque his abeatis, eique populo civitatique, Metum, formidinem, oblivionem injiciatis, proditique Romam ad me, meosque veniatis, nostra urbis loca, templa, sacra, urbs acceptior sit; mihi quoque populo Romano militibusque meis, præpositi sitis, ut sciamus intelligamusque; si ita feceritis, voveo vobis templa Ludosque facturum.*

Hinc ante eversam urbem ullam Deos eam deseruisse creditum. Ita *Virgil.* de excidio *Ilii.*

Excessere omnes, adytis arisque relictis
Dii, quibus imperium hoc steterat.
Eneid. 2do.

Visos etenim Deos simulachra ex templis portantes cum excidium jam appropinquasset, poetæ antiquissimi prodiderunt. Et in genere *Æschylus.*

Ἀλλ' ἐν θεοὺς τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεως ἐκλείπειν λέγος.

Hinc est quod Romani celatum esse voluerunt in cujus Dei tutelâ urbs *Roma* esset; ne propriis nominibus Dii appellati, abs hoste potuerint exaugurari. Id cautum *Jure Pontificio*. Ipsique Pontifices ita precabantur. *Jupiter Optimè Maximè sive quo alio nomine te appellari Volueris.*

Inania hæc figmenta viris sapientibus, & vitam secundum rationem agere cupientibus placuisse unquam, supra modum mirarer, nisi quantam tyrannidem in hominum mentes vana superstitio exerceret, quotidianis documentis perspicere liceret. Ita more haud ejus absimili quem ex *Samonico* retulimus, cum prælio ad *Sancti Quintini* fanum inito, *Hispani* necesse habuerunt Templum Sancto *Laurentio* dedicatum, quo se hostes recipissent, dejicere & evertere, voto se Divo adstrinxit Rex *Philippus*, alio, eóque multo majori Templo erecto, se damnum illatum compensaturum. Hæc *Escurialium* ædium *Laurentio* dicatarum extructionis occasio, quam elegantèr exposuit Poeta ἀνώνυμος.

Hac tibi Laurenti, posuit ditissima Templa
Postquam quæ fuerant Quintinis Marte Philippus
Dejecit, trepidis quoniam latuere sub aris
Inclusi muris hostes & numine frustra
Cui Rex; hic etiam liceat mihi sumere pœnas
Et gentem Hostilem sacris sepelire ruinis
Sanguine fas temerare focos, majora daturo.

Ea plane votorum antiquorum forma, quam in *Tydeo* suo celebrat *Papinius*: *Thebaid. lib. 2.*

——Si Patriis Parthaonis armis
Inferar; & reduci pateat mihi Martia pleuron:
Aurea tunc mediis urbis tibi templa dicabo
Collibus, Jonias qua despectare procellas
Dulce sit, & flavo tollens sibi vertice pontum
Turbidus objectas Achelous Echinadas exit.
Hic ego majorum pugnas, vultusque tremendos
Magnanimum effingam regum, figamque superbis
Arma tholis:

Veri

Veri autem Dei ignoratio omnium malorum fons est & origo. Inde illos ipsos quos sibi Colendos proposuerant, impii atque scelerati homunciones, Stultos, Fatuos, Spurcos, latrociniis, rixis, bellis, adulteriis, peccatis innominatis inquinatos, deridendos & *imitandos* propinabant. Atque ità extinctæ sunt luminis naturalis reliquiæ; neque operum Dei æternam ejus potentiam & Deitatem manifestantium major cura. Ità demùm invaluit *Hellenismus*; seu Gentilium Theologia μυθική. Hinc *Dei* omnes, majores, medioxumi, infimi, prodierunt.

§. 6. Quantâ autem clade Genus Humanum, mores honestos, vitam tranquillam & rationi consentaneam, statum civilem, pœnarumque æternarum φόβον quod attinet, afflixerunt ista *Poetarum* Portenta, notum est: unum aut alterum exemplum detestabile proponere sat erit. *Saturnus* qui Κρόνος est, apud eos χρόνος erat, seu Tempus. Ità in Theologia naturali ἐμυθολόγησαν. Etiam *Noachus* ex traditione corruptissimâ. Tempus, spatium per cœli motum confectum est. Hinc *Saturnus*, *Urani* seu Cœli filius. Ita etiam *Noachus* æstimatur, omnibus aliis πανωλεθρίᾳ diluvianâ deletis. *Saturnum* verò filios suos devorasse atque evomuisse iterum finxerunt. An quia per vices tempus cuncta gignit, absumit, resorbet, atque ejicit; an quia *Noachus* filios secum in arcâ inclusos, iterùm orbi terrarum quasi redivivos reddidit, incertum. Ex traditione obscurissimâ, àc Allegoriâ ingeniosâ fabulam conflatam esse apparet. Atque hinc tandem ope Sathanæ prodiit horribilis Idolomania. Et superstitioni nefandæ immanis crudelitas mista. Etenim stulti homunciones adhibitis nescio quibus in miseriæ *Solamen* infandis cæremoniis, liberos suos *Saturno* immolabant. Hinc *Puerorum tumulus* dictus.

Sed etiam portentis omnibus *Græcanicis* nequitia hæc vetustior fuisse videtur; ex iis incrementum suscepisse nemini dubium est. Indè tandem *Catholica* evasit. Neque ulla pars cultûs est Sathanici in quam magis concorditèr conspirasse genus humanum comperietur. Sivè se hic magnificè efferre, & devictos peccatores triumphare, ipse olim triumphandus in cruce Christi, in animo habuit antiquus serpens, sivè vero sacrificio in hominum mentibus præjudicia & contumeliam facere, omne virus suum longè latéque in hoc scelere promovendo eum effudisse constat. Exempla nonnulla recenseamus. De *Afris* res nota est; *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsula-*

 tum

tum Tiberii; *Tertullian*: *Apo. Cap.* 8. Eadem habet *Arnobius*; Cum *Carthaginenses* victi essent ab *Agathocle Siculorum* rege, iratum sibi deum putantes, ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolarunt *Saturno*; Testis est *Pescenninus Festus* apud *Lactantium*. Bello *Romano* pressi eadem sacra fecerunt, ipsius *Annibalis* filius *Aspar* mactatus; Hinc *Amilcen* uxorem ejus scelus hoc plangentem inducit *Silius*: *lib.4. Punicor.*

Quæ porro hæc pietas delubra aspergere tabo?
Heu primæ scelerum causa mortalibus ægris
Naturam nescire deum; justa ite precari
Thure pio, cædisque feros avertite ritus.
Mite & cognatum est homini Deus, hactenus oro
Sit satis ante aras cæsos vidisse juvencos:
Aut si velle nefas tantum fixumque sedetq;
Me, me, quæ genui vestris absumite votis,
Cur spoliare juvat Lybicas hac indole terras;

Apud *Romanos*, homines vivos seipsos diis inferis devovere, solenne: nota est *Deciorum* Historia: pater bello *Gallico*, filius *Samnitico* se in eundem modum devoverunt; quos celebrat *Juvenalis Satyr.* 8.

Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt
Nomina: pro totis legionibus hi tamen & pro
Omnibus auxiliis, atque omni pube Latina
Sufficiunt diis infernis, terræque parenti;
Pluris enim Decii quam quæ servantur ab illis,

Olim *Jovem Latialem* homicidio colere in more fuisse affirmat *Arnobius*: *Cornelio Lentulo & Publio Licinio Crasso Coss. senatus Consultum* factum est ne homo immolaretur: palámque ad illud tempus *sacra prodigiosa* celebrata fuisse, narrat *Plin. Nat. Hist.* Lib. 30. Cap. 1. Itaque irruentibus *Gallis*, *Majores natu, amplissimis usi honoribus, in forum coierunt, ibique devovente Pontifice, diis se manibus consecraverunt*, apud *Florum*. Lib. 1. 13.

Gallos etiam nefandis hisce hostiis deos placare consuevisse narrat *Cicero*; Orat. pro *Fonteio*. *Quis ignorat*, inquit, *eos usque ad hunc diem retinere illam immanem & barbaram consuetudinem hominum immolandorum?*

rum? etiam *Gallum* & *Gallam Romæ* quotannis ſacrificari ſolitos, monet *Plutarchus*. *Hadrianus* Imperator *Romanus* Catamitum *Antinoum* in *Ægypto* diis immolavit. Ἀντίνοος ἐν τῇ Αἰγύπτῳ τελεύτησεν, εἴτ᾽ οὖν εἰς τὸν Νεῖλον ἐκπεσών, ὡς Ἀδριανὸς γράφει· εἴτε καὶ ἱερουργηθεὶς ὡς ἡ ἀλήθεια ἔχει; inquit apud *Xiphilinum* Dio, Lib. 69. *Antinous in Ægypto mortuus eſt, ſive quod in Nilum ceciderit, ut Hadrianus ſcribit; ſive quod immolatus, id quod verum eſt, fuerit:* immolatum autem Deum fecit. Inſulæ *Thylæ* habitatores ad ſua uſque tempora conſuetudinem hanc hominum immolandorum obſervaſſe, refert *Procopius*, Idem mos *Britannis*. Monâ inſula a *Paulino* devictâ, *præſidium impoſitum victis; exciſi luci ſævis ſuperſtitionibus ſacri, nam cruore captivo adolere aras, & hominum fibris conſulere deos, fas habebant:* ait *Tacitus* Annal: 14. & in locum illum Horatii

Viſam Britannos hoſpitibus feros.

Acron; Britanni hoſpites mactabant pro hoſtiâ. Deos quibus *Galli* ſanguine humano litabant, memorat *Lucanus*,

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates, horrenſque feris altaribus Heſus
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Eos autem omnes *Britannorum* Deos fuiſſe, in *Britannia* ſuâ probat diligentiſſimus *Cambdenus:* & totam *Druidum* diſciplinam *Gallos* a *Britannis* accepiſſe, refert ipſe *Cæſar*, de bell: Gall: Lib. 6. Germanorum eadem inſania. *Cæſo publicè homine, celebrant ritus horrenda primordia;* ait *Tacitus*, atque iterum, *Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habent;* de *Mor. German:* Impietatis hujuſce inter *Hetruſcos* marmorea monumenta adhuc extare, atque eorum ſe unum *Peruſii* vidiſſe refert *Camerarius*, Medit: Hiſtor: Lib. 2. De *Gothis Jornandes; Martem ſemper aſperrimâ placavere culturâ, nam victimæ ejus mortes fuêre captivorum. Græci* eodem ſcelere aſtricti. *Erechthonium Atticæ* regem antiquiſſimum duas filias proprias ſacrificaſſe ferunt. Et *Neanthem Cyzicenum* ſeipſum devoviſſe oſtendit *Athenæus Deipnoſ. lib.* 13. totamque terram *Atticam* ob vetuſta quædam ſcelera ſanguine humano expiavit *Epimenides;* is, qui aram *ignoto Deo* erigendi, *Athenienſibus* Author extitit. Inter *Thebanos* è *Tyriis* oriundis, è quibus ſuperſtitio hæc emanavit, celebratur

Menœceus, qui ſeipſum pro urbe devovit occiditque, Diis inferis proprio ſanguine litans; cujus mortem egregiè celebrat *Papinius Statius*.

Thebaid: *Lib.* 10.

At pius electâ murorum in parte Menœceus
Jam Sacer aſpectu ſolitoque auguſtior ore,
Ceu ſubito in terras ſupero demiſſus ab axe
Conſtitit, exempta manifeſtus caſſide noſci
Depexitque acies hominum, & clamore profundo
Convertit campum, juſſitque ſilentia bello.
Armorum ſuperi tuque ô qui funere tanto
Indulges mihis Phœbe, mori, data gaudia Thebis
Quæ pepigi, & toto quæ ſanguine prodigus emi;
Et Tyriis templa, arva, domos, connubia, natos
Reddite morte meâ, ſi vos placida hoſtia juvi;

Quibus verbis communem Gentium de ſacrificiis expiatoriis ſenſum mirè pinxit Poeta; uti etiam poſtea in matris planctu.

Luſtralemne feris ego te puer inclite Thebis
Devotumque caput vilis ceu mater alebam?

Ingenuum puerum *Saturno* immolaſſe Tyrios oſtendit *Curtius*, Lib. 4. *Ægyptios* vivos homines Diis brutis immolaſſe teſtantur *Herodotus*, & *Diodorus Siculus*. *Menelaum* in Ægypto duos pueros ſacrificaſſe *Herodoto* narrarunt ſacerdotes in Clio. p. 158. *Diis ſanguinem humanum litabant Thraces*, inquit Florus, *Hiſtor. lib.* 3. *Cap.* 4. *Celtæ* hominem immolantes ſupra tranſverſum ſeptum gladio feriunt, teſte *Diodoro*, Lib. 5. *Normanni* & *Dani* quotannis menſe *Januarii* diis ſuis 99 homines, totidem equos cum canibus immolaverunt, teſte *Ditmar.* Lib. 10. De *Marſilienſibus Lucanus*

————Hic barbara ritu
Sacra deûm, ſtructæ ſacris feralibus aræ;
Omnis & humanis luſtrata cruoribus arbos.

Ἐθύετο καὶ ἐν Ῥόδῳ Μεταγειτνιῶνος ἕκτῃ ἱσταμένου ἄνθρωπος τῷ Κρόνῳ; *Sacrificabatur in Rhodo decimo sexto calendarum Novembris homo quispiam Saturno,* inquit Theodoret, Lib.7. Græcor: Affec. Et φοίνικες ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ πολέμων ἢ αὐχμῶν ἢ λοιμῶν, ἐθύοντο τῶν φιλτάτων τινὰ ἐπιψηφίζοντες Κρόνῳ: inquit *Pophyrius*, de abstinent: animal: Lib.2. *Phœnices magnis in cladibus vel bellorum, vel pestilentiæ, sacrificabant charissimorum quempiam Saturno, communibus ad hoc suffragiis addictum.* Ipsum etiam Dei populum Catholica pestis invasit. *Immolaverunt filios & filias, suas Demoniis. Psal.*106.37. *Effuderunt sanguinem innocentium, filiorum suorum, & filiarum suarum quas sacrificaverunt idolis Canaan*: qui plura volet, ea etiam addet quæ libello de justitiâ divinâ Cap:8. annotavimus: Christianos aliquos, saltem nomine tenus, hoc scelere se inquinasse, ostenderem, nisi puderet.

Sacrificiorum horum originem ad *Abrahamum* refert *Porphyrius*, teste *Eusebio* Præpar: Evangel: Lib.1. Cap. 9. Illum autem *Saturnum* vocari; filiam ejus immolatam *Gene* ex *Anobreta* regina genitam. Cujus generis ἀνιστορησίαν pudendam, in rerum nationumque originibus investigandis, scriptores profanos ubivis prodere notum est. Quod omnium seminum optimum sit humanum genus; antiquos hoc genus sacrificii excogitasse opinatur *Varro*; Quod pro vitâ hominis, nisi vita hominis tradatur, Deorum immortalium numen placari non potuisse, arbitrati sunt *Druides* teste *Cæsare* de Bell. Gal. Lib. 6. Sacrificiorum usum, ad expiationem peccatorum ex antiquâ & Catholicâ traditione genus humanum hausisse liquet. Deum justum, maximum, pecudum sanguine, ob scelera hominum placari potuisse, anxiæ & dubiæ mentes, horrore & peccatorum sensu agitatæ, sibi penitus persuadere nunquam potuerunt: Solicitos, & pæne desperabundos, Sathanas suo more aggreditur. Homines nihil se pretiosius habere facile persuadet. Hinc se aliosque immolandi animus. Conscientiam, peccati sensu & pœnæ timore vexatam, territamque, hujusce mali fundum fuisse ostendit *Propheta*; Mic.cap.6 v.7. Ea, obstetricante Sathana, in lucem, monstrum hoc protulit. Non aliud responsum sæpè ab oraculis tulerunt, magnum aliquod vel timentes, vel ausuri, quam humano sanguine litandum esse: notæ sunt Historiæ de *Menecæo*, & *Iphigenia*. Mos *Lacedæmoniorum* seipsos in deorum cultu verberibus cædentium, non aliam habuisse originem narrat apud *Philostratum Apollonius*, Lib.6.Cap.10. τὸ δὲ (inquit) τῶν μαστίγων ἔθος, τῇ Ἀρτέμιδι τῇ ἀπὸ Σκυθῶν δρᾶται, χρησμῶν φασιν ἐξηγουμένων ταῦτα, θεοῖς δ' ἀντινομοθετεῖν μανία οἶμαι. h. e. *verberum consuetudo in*

Scythia Dianæ honorem servatur, quod, ita ut ajunt, oracula præceperunt. Diis autem obsistere; insania quadam est, ut opinor. Et Pausanias, Bœotic. Ἀφίκετο ἅμα ἐκ Δελφῶν τῷ Διονύσῳ θύειν παῖδα ὡραῖον. *Megarensibus puerum speciosum Libero mactandum Delphense oraculum respondit*; his gemina ubivis apud Historicos occurrunt; hucúsque progressa quo ascenderet, non invenit malitia Sathanica.

Sed acervi hujus impii finis nullus; Etiam Adulteria & stupra Deorum stercoreorum, ad impura omnia flagitia perpetranda, plurimis incitamento, & Apologiæ fuisse notum est; ut illud exemplum secundo loco addam. Postquam enim Deos hosce sibi finxerant, sui etiam similes, hoc est mendaces, perjuros, & omni impuritate inquinatos, statim etiam finxerunt. Tolle rixas, mendacia, pugnas, perjuria, adulteria Deorum: *Pumili* erunt, qui *Giganteo* nunc incedunt gressu, scriptores nonnulli antiqui; iis etiamnum, proh dolor, polluitur Christiana juventus; eoque *Meleto* quod conqueritur *Johan: Commenius*, Vir doctus piusque, immolatur. Nolo, repetendo, spurcissima scelera, sanctis æternum reticenda, castis auribus ingerere. Undè patefiat in quem finem ista nefariorum hominum animis suggesserit Diabolus, pauca memorari possunt: sufficiat illud *Mercurii* de *Jove* apud *Plautum*, in Prolog: ad Amphitr:

Nam ego vos novisse credo jam ut sit pater meus
Quam liber harum rerum multarum siet
Quantusque amator, quod complacitum est
Semel.

Et

Inducit Formas quoties minores
Ipse qui cœlum nebulasque ducit, Senec: Hyppol.

Ah quoties udum & molle lutum, istiusmodi blasphemias imbibit, applaudente præformatore stupido. Egregiè Augustinus: *omnes talium Deorum cultores, mox ut eos libido perpulerit, ferventi, uti ait Persius, tincta veneno, magis intuentur quid turpiter fecerint, quam quid docuerit Plato, vel censuerit Cato*; de Civitat: Dei: lib. 2. cap. 7. de cultu Deûm matris spurcissimo plura eo loco inveniet Lector. Quales animos affectusque concepit ex eorum exemplis sibi propositis in vitia per se præceps nimis genus humanum, in *Charea* suo ante omnium oculos ponit *Terentius*, *Eunuch.* A. 3. 5.

—Dum

——Dum apparatur, virgo in conclavi
Sedet
Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura haec;
Jovem
Quo pacto Danaæ misisse ajunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id spectare cœpi: & quia consimilem luserat
Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri,
At quem Deum? qui templa cœli summa sonitu concutit.
Ego homuncio id non facerem: ego illud vero ita feci, ac lubens:

Utinàm ex picturis inhonestis, & poetarum lectione, eadem adhùc juventutis mentibus pernicies non inveheretur. Eoúsque autem progressa est hæc impietas, ut palàm se mutuò ad spurcissima scelera perpetranda Deorum exemplo adhortarentur, Ita *Catullus*,

Ne nimium simus stultorum more molesti,
Sæpe etiam Juno maxima cœlicolum,
Conjugis in culpa flagravit quotidiana
Noscens omnivoli plurima furta Jovis.

Etiam flagitiis pessimis, Deos colere plurimis in more positum erat Filias proprias in templis prostituisse *Babylonios*, narrat Herodot: *Lib.* 1. & *Strab*: *Geog. Lib.* 16.

Alia etiam non minus funesta pestis, ex impietate hâc ortum ducens, terrarum orbi incubuit. Postquam enim nefaria ista de Diis persuasio apud vulgus invaluisset, scelestissimi quique nebulones, ii præsertim, qui Diis istis è sacris fuêre, eorum nomina moresque fingentes, flagitia innumera, rapinas, adulteria, furta, latrocinia, admiserunt, exercueruntque. In montibus, speluncis, silvis, templis, ad fluminum ripas, maris littora, istiusmodi larvarum omnia plena. Exemplo sit historia notissima facinoris in templo *Isidis* Romæ perpetrati quam refert *Josephus*, Antiquit: lib. 18. Cap. 4. *Mundus* eques Romanus postquam *Paulinæ* matronæ honestissimæ pudicitiam diu frustra expugnare tentasset, in templum à sacerdotibus clàm inductus sub nomine *Anubis*, consentiente mulieris marito illam constupravit. Prædonum, latronum, Tyrannorum, sacerdotum spurii & nothi fuere plerique antiqui heroes. Ad eundem modum

Atque rationem hanc reddit neque ineptè, nobilis Historicus, cur Romulus virgines Vestales non instituerit. οὔτε, inquit, διὰ παρθένων τὰς θεραπείας κατεστήσατο τῇ θεῷ μεμνημένος, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, τοῦ περὶ τὴν μητέρα πάθους, ἣ συνέβη θεραπευούσῃ τὴν θεὸν, τὴν παρθενίαν ἀποβαλεῖν, οὐχ ἱκανὸς ἐσόμενος ἐάν τινα τῶν θυηπόλων εὕρῃ διεφθαρμένην, κατὰ τοὺς πατρίους τιμωρήσασθαι νόμους, διὰ τὴν ἐπὶ ταῖς οἰκείαις συμφοραῖς ἀνάμνησιν. i. e. *Neque virgines deæ sacerdotes instituit, memor (ut mihi quidem videtur) maternæ dedecoris, quæ in illius deæ ministerio virginitatem amiserat,* (a sacerdote scilicet stuprata) *nec si quam Deæ sacrificam pudorem violasse deprehendisset, juxta patrias leges eam punire potuisset, ob domestici probri recordationem.* *D*ionys. Halicarnass. Histor. lib. 2.

Ad eundem modum Sacrificulos *Romanos*, dum ubivis viguit ignorantiæ Authoritas, atque veritatem Evangelicam captivam tenuit Papatus, nulla non scelera larvatos perpetrasse, nemo inter ipsos *P*ontificiosnisi qui gnavitèr impudens est, negare audet. Postquam enim plebi cæcæ, stolidæque persuasissent, genios nescio quos placidos, & generi humano non admodùm inimicos noctu domos frequentare, eaque agere quæ referre pudet, ipsi illorum nomine larvati, ea omnia spurcissima scelera effecta reverâ dederunt, quæ falsò, ineptissimè, ridiculè, geniis istis innoxiis scilicet, ascribere voluerunt. Ita *Chaucerus* nostras de fratrum conventu quodam suo tempore notissimo;

For there as wont to walken was an Elfe,
There walketh now the Limitor himselfe.
In every bush, and under every Tree
There nis none other incubus but he.

Hinc autem Græcis virtutis observantiam pænè impossibilem redditam esse impietatem hanc *Apollonio* exprobrans, affirmat *Jarchas* Philosophus *Indus* apud *Philostratum.* Lib: 3. cap. 7. De vita Apollo: οἱ δέ γε σοφώτατοι ποιηταὶ ἡμῶν, οὐδ᾽ εἰ βούλεσθε δίκαιοί τε καὶ χρηστοὶ εἶναι ξυγχωροῦσιν ὑμῖν γίνεσθαι; *Verum*, inquit, *qui apud vos sapientissimi habentur poetæ, ne si velletis quidem justos bonosque vos esse permittunt*; rationemque addit, quod homines sceleratissimos deorum loco haberent. Idque palam fassus est *Apollonius* iste, lib 5. cap. 5. οἱ μὲν γὰρ (inquit) περὶ τοὺς ἥρωας, ὧν ποιητικὴ πᾶσα ἔχεται, καὶ διαφθείρουσι τοὺς ἀκροωμένους, ἐπειδὴ ἔρωτάς τε ἀτόπους οἱ ποιηταὶ ἑρμηνεύουσι, καὶ ἀδελφῶν γάμους, καὶ διαβολὰς ἐς θεοὺς, καὶ βρώσεις παίδων,

καὶ

καὶ πατρολοίας ἀπειλεῖν θέρους, καὶ δίκας, καὶ τὸ ὡς γεγονὸς αὐτῶν ἄγειν, καὶ τὸν ἐρῶντα, καὶ τὸν ζηλοποιοῦντα, καὶ τὸν ἐπιθυμοῦντα πλουτεῖν, ἢ τυραννεύειν ἐν ἅπερ οἱ μῦθοι. i.e. *Quæ enim de heroibus conficta sunt, de quibus tota est materia poetarum, audientium aures corrumpunt; illicitos ac nefandos eorum amores referentes, ceu fratrum & sororum nuptias, & in deos calumnias, & filiorum escas, atque illiberales & mutuas altercationes; hæc enim cùm veluti gesta proferuntur à poetis, homines ad amorem & invidiam ducunt, & divitiarum regnique cupiditatem.* Neque enim quispiam delinquere se arbitrari potest, dum deos imitatur. *Marcus Tullius* etiam primo de natura Deorum, eadem repetit. *Exposui*, inquit, *fere non Philosophorum judicia, sed delirantium* somnia; nec enim *multo absurdiora sunt ea quæ poetarum vocibus fusa, ipsa suavitate nocuerunt; qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt deos; feceruntque ut eorum bella, pugnas, prælia, vulnera videremus; odia præterea, dissidia, discordia, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortalesque ex immortali procreatos.* Quidque in hunc finem in *Timæo* disseruerit *Plato* consulat lector, nam legi digna sunt.

Poetis succenturiati sunt *Legumlatores* & *Philosophi.* Istis *Theologiam* quandam *naturalem* cudere placuit; quæ revera nihil aliud erat quam primorum *Apostatarum* in operum creationis cultu, Idololatria. Amisso enim *Traditionum* beneficio, *Poetarum* scilicet fabulis penetissimè deleto, insuperabilibus insuper præjudiciis mente vulgi obsessâ, Theologiam naturalem ab impuris & pernitiosissimis fabulis, cultuque *Idololatrico*, neque hi, neque illi, unquam potuerunt, vix tentârunt liberare.

Legumlatoribus autem in Theologiâ cudendâ, nihil aliud pænè in animo erat, quam Religionem ità temperare, ut nihil indè turbarum aut mali in statu civili oriretur. Eadem adhùc est plurimorum *politicorum* de Religione sententia. Omnes ideo errores & fabulas, totamque Idolomaniam, quibus populos infecerant *Poetæ*, dummodò publico civitatum regimini aut moribus honestis γυμνοῦ quod ajunt τῇ κεφαλῇ non adversarentur, in legum tabulas inscribere necesse habuerunt.

Operæ pretium est ipsum *Platonem* vulgi præjudiciis succumbentem conspicere. Ita ergo ille in Timæo. Περὶ δὲ τῶν ἄλλων δαιμόνων εἰ-

πεῖν καὶ γνῶναι τὴν γένεσιν μεῖζον ἢ καθ' ἡμᾶς. πιστέον δὲ τοῖς εἰρηκόσιν ἔμπροσθεν, ἐκγόνοις μὲν θεῶν οὖσιν, ὡς ἔφασαν, σαφῶς δέ που τούς αὐτῶν προγόνοις εἰδόσιν. Ἀδύνατον οὖν θεῶν παισὶν ἀπιστεῖν, καίπερ ἄνευ τε εἰκότων καὶ ἀναγκαίων ἀποδείξεων λέγουσιν, ἀλλ' ὡς οἰκεῖα φάσκουσιν ἀπαγγέλλειν ἑπομένους τῷ νόμῳ πιστευτέον. οὕτως οὖν κατ' ἐκείνους ἡμῖν ἡ γένεσις καὶ περὶ τούτων τῶν θεῶν ἐχέτω καὶ λεγέσθω. h.e. *De aliis Diis, quos scilicet δαίμονας vocamus, de illorum generatione dicere, vel rem tantam animo concipere, non est facultatis viriumve nostrarum: fides autem de iis adhibenda est illis, qui priscis temporibus naturam Deorum nobis explicarunt; quippè qui ipsi Deorum essent progenies, ut quidem ipsi affirmarunt; atque adeo suos ipsi majores nossent. Fides enim Deorum liberis derogari non debet: quamvis sine verisimilibus signis aut necessariis Argumentis loquantur; Sed quia de suis rebus & sibi notis præ se ferunt loqui, veteri legi morique parendum est, & illis fides habenda. Sic igitur ut ab illis est traditum, horum deorum ortus habeatur.* Hæc ille; illorum scilicet quæ *Socrati* præceptori suo accidissent memor, qui ideo morti adjudicatus est, quoniam quos urbs pro Diis habuit, ipse habere noluit. Admittit ergo Deos vulgatos, quamvis non sine aperta credulitatis vulgi irrisione. Similia disserit in *Libro Secundo de Republicâ.* Primò fabulas in Religione datâ operâ excogitasse legumlatores, ad populorum mentes terrore quodam invisibilium malorum coercendas docet Strabo; Geograph. lib. I. Κεραυνὸς, inquit, καὶ αἰγὶς, καὶ τρίαινα, καὶ λαμπάδες, καὶ δράκοντες, καὶ θυρσολογχα τῶν θεῶν ὅπλα, μῦθοι, καὶ πᾶσα θεολογία ἀρχαϊκή. ταῦτα δ' ἀπεδέξαντο οἱ τὰς πολιτείας καταστησάμενοι μορμολύκας τινὰς πρὸς τοὺς νηπιόφρονας. Atque ita olim factum à sacrificulis in papatu. Postquam enim crassissimâ ignorantiâ & moribus sceleratis omnem Religionis Christianæ efficaciam è mentibus plebis extirpassent, *purgatorium* & nescio quæ alia terriculamenta, ad illam aliquo modo officio continendam invenire necesse habuerunt.

Atque ista fuit *Gentilium* Theologia πολιτική; de cujus sacris *Seneca, Quæ omnia sapiens servabit, tanquam legibus jussa, non tanquam Diis grata.* Cum itaque plebs furores poeticos sibi eripi passa non sit; atque civitate priùs quàm sceleratâ de Religione sententiâ dejici voluerit; Legumlatores autem sat habuerint fabulas omnes antiquas in rem suam arripere, sapientes totam hanc Theologiam πολιτικὴν tanquam fabulam ordini inter homines in vita civili conservando excogitatam repudiarunt. Viluit ideo mala merx, & pro levi semper erat.

Ocula-

Oculatiores visi sunt *Philosophi*. Omnia sanè circumspectabant solertissimè, perditam Theologiam investigantes. Verùm, ut verbo dicam, à coruptis traditionibus, atque poetarum portentis, nisi ope opinionum ex *Atheismi* lacunis depromptarum, expedire se nequiverunt. Ex iis prodiit Theologia φυσική. Id hominum maximo in scelere obduratorum, atque veritati cedere nescientium ἔργον fuisse, ita luculentèr ostendit *Eusebius* libris de *Præpar: Evang*: ut iis quidquam addere opus non sit. Itáque & istud hominum genus maximè *vanum factum est*; *& insipidum cor illorum est obtenebratum*.

Atque hisce gradibus corrupta fuit omnis de Deo cognitio. Inter malas autem, haud pessimas Religionis colendæ rationes, qui ultra obscuras traditiones & fabularum portentis interpolatas nihil quidquam sapuit, vulgus retinuisse videtur. Qui solertissimæ indaginis & acuminis laudem in rebus sacris ambierunt, planè ἐμωράνθησαν. Judicii post vitam hanc utcunque exercendi, & diversi status hominum apud inferos superstitum, vetus apud vulgus obtinuit sententia. A seipso eâ de re nunquam dissentire voluit. Quantum ad grassantem in terris malitiam & impietatem coercendam momentum attulerit ista persuasio palàm est. Deletâ etiam tandem ubivis Gentium omni istâ priorum sæculorum Theologiâ, tamen qui extra Christi Cognitionem degunt, de Judicio isto & statu futuro nescio quid præsentiscunt. At totam istam sententiam, tanquam inane terriculamentum, risit (nescio an γέλωτα σαρδόνιον) universus penè Philosophorum *Senatus*.

Atque hæc Gentium erat *superstitio*. Eo vocabulo δεισιδαιμονίαν exprimere placuit. Ὀνοματολογίας verò varia ratio. Ab iis qui *totos dies precarentur, ut filii sui sibi essent superstites*, superstitionem dictam esse affirmat Romanæ Eloquentiæ Parens. Ei voto indies incubuisse Parentes Testantur *Comici*. *Sicut tuum vis unicum gnatum tuæ superesse vitæ & superstitem*. Plaut, in Asinar. Act. 3.2. *Et scitus puer natus est Pamphilo, Deos quæso ut sit superstes*. Terent. And. Act. 5.4. Atque in Heauton. *Ita mihi atque huic sis superstes*. *Servius* ab aniculis quæ multam per ætatem *superstites* cum sint, *& rebus inanibus addictæ, dum volunt videri nimis religiosæ, delirant*. Neque aliter *Donatus*. *Superstitiosi*, inquit, sunt senes & anus; qui ætate multâ superstites jam delirant; Vnde & *superstitiosi qui Deos timent nimis*, quid signum est deliramenti. Inde *Satyricus*

Ecce avia, aut metuens divûm matertera cunis
Exemit puerum frontemque atque uda labella,
Infami digito & lustralibus ante salivis
Expiat. Perſ. Satyr. 2.

Qui mos in Pontificiorum Baptiſmo retinetur. Superſtitioſos vult *Lactantius* qui *ſuperſtitum defunctorum memoriam colunt* Inſtitut. lib. 2. Cap. 28. Etiam ſuperſtitioſus eſt qui Ἔνθεος & Θέσπατος. Ita Plautus. *Superſtitioſus hic quidem eſt, vera prædicat.* in Curcul: Superſtitio autem vel affectum animæ de rebus divinis pravum, vel cultum vanum & ineptum denotat. In priorem ſalſiſſimè plurima dixerunt *Cicero* & *Plutarchus*; ille ſparſim, hic peculiari & eleganti ſcripto περὶ δεισιδαιμονίας. Senſu altero Religionem noſtram *exitiabilem ſuperſtitionem* impiè vocat *Tacitus*: Annal. lib. 15. & *Chriſtianos genus hominum novæ & maleficæ ſuperſtitionis, Suetonius in Nerone.* Etiam omnem Religionem ſub ſuperſtitionis nomine nonnulli rejecerunt.

Vana ſuperſtitio, Dea ſola in pectore virtus.

Quam inſaniam utinam hodiéque nemo qui inſaniret inveniri poſſit. Quamvis autem Ethnicorum Religio nihil aliud fuerit quam ſuperſtitio pernitioſiſſima, ipſi tamen diſcrimen agnoverunt; & hanc quidem neceſſariam ob promiſcuam multitudinem quæ illa non teneretur, aſſeruerunt. Egregiè Strabo. Λαμία μῦθός ἐστι, καὶ ἡ γοργὼ, καὶ ὁ Ἐφιάλτης, καὶ ἡ μορμολύκη; οἵ τε πολλοὶ τῶν τὰς πόλεις οἰκούντων, εἰς μὲν προτροπὴν ἄγονται τοῖς ἡδέσι τῶν μύθων ὅταν ἀκούωσι, τῶν ποιητῶν, ἀνδραγαθήματα μυθώδη διηγουμένων. οἷον ἡρακλέος ἆθλος ἢ Θήσεως, ἢ τιμὰς παρὰ τῶν θεῶν νεμομένας, ἢ νὴ Δία ὁρῶσι γραφὰς ἢ ξόανα ἢ πλάσματα τοιαύτην τινὰ περιπέτειαν ὑποσημαίνοντα μυθώδη. Εἰς ἀποτροπὴν δ' ὅταν, κολάσεις παρὰ θεῶν καὶ φόβους, καὶ ἀπειλὰς ἢ διὰ λόγων ἢ διὰ τύπων, ἀοράτων προσδέχονται, ἢ καὶ πιστεύουσι περιπεσεῖν τινάς. οὐ γὰρ ὄχλον γε γυναικῶν καὶ παντὸς χυδαίου πλήθους ἐπαγαγεῖν λόγῳ δυνατὸν φιλοσόφῳ καὶ προσκαλέσασθαι πρὸς εὐσέβειαν καὶ ὁσιότητα καὶ πίστιν ἀλλὰ δεῖ καὶ διὰ δεισιδαιμονίας. *Geograph. lib.* 1. Quis non putaret ſe ſummum Pontificem é Cathedrâ dicentem audire. Vitium autem hoc, uti omnia egregiè explicat magnus ille *Plato.* Ἔθος inquit τε γυναιξί τε δὴ διαφερόντως πάσαις καὶ τοῖς ἀσθενοῦσι πάντῃ καὶ κινδυνεύουσι καὶ ἀποροῦσιν, ὅπῃ τις ἂν ἀπορῇ, καὶ τοὐναντίον ὅταν εὐπορίας τινὸς λάβωνται καθιεροῦν τε τὸ παρὸν ἀεὶ, καὶ θυσίας εὔχεσθαι καὶ ἱδρύσεις ὑπισχνεῖσθαι θεοῖς καὶ δαίμοσι, καὶ παισὶ θεῶν. ἔν τε φάσμασιν ἐγρηγορότας διὰ φόβους, καὶ ἐν ὀνείροις

ὡς

ὡς δὲ αὖ τὰς ὄψεις πολλὰς ἀπομνημονεύοντας, ἑκάστοισί τε αὐτῶν ἄκη ποιουμένους βωμοὺς καὶ ἱερὰ πάσας μὲν οἰκίας, πάσας δὲ κώμας, ἔν τε καθαροῖς ἱδρυομένους πι-πλάναι, καὶ ὅπῃ τις ἔτυχε τῶν τοιούτων, de Leg. lib. 10. i. e. *Mos est autem mulieribus potissimum, & qui insigni aliqua imbecilitate tenentur, vel in aliquo periculo versantur, vel gravi aliqua penuria laborant, vel contra quando rei alicujus ubertas affluit, quod adesse videtur semper consecrare, hostiasque vovere, & statuas diis & dæmonibus deorumque filiis polliceri; tum ubi spectra apparent vigilantibus propter pavores, tum etiam in ipsis somniis se vidisse multa recordati, ubi remedia singulis afferre conantur, aris & sacellis omnes domos, omnes vicos repleuerunt, & his ritibus loca quasi pura dedicarunt: quibus* aliis verbis superstitionem illam quæ in papatu viget ἐμφατικοτέρως aliquis pingeret, ego sane nescio. Ita de Religione & superstitione *Tullius* secundo de divinatione; *Quamobrem ut Religio propaganda etiam est, quæ est juncta cum cognitione naturæ, sic superstitionis stirpes omnes ejiciendæ sunt. Instat enim & urget, & quocunque te verteris persequitur; sive tu vatem, sive tu omen audieris; sive immolaris, sive avem aspexeris: si Chaldæum, si haruspicem videris; si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de cælo, si ostenti simile natum, factumve quippiam, quorum necesse est plerumque aliquid eveniat, ut nunquam liceat quieta mente consistere.* Quæ ideo retuli ut sciamus sub omni cujuscunque Religionis professione, superstitionem ubivis sui esse similem.

§. 10. Cæterùm quæ ad Ethnicorum religionem seu superstitionem pertinent à plurimis memoriæ sunt prodita; quæ fuerit secundum mentem illorum Religionum colendarum Ratio, *Varro, Cicero, Ovidius, Festus Pompeius, Macrobius, Censorinus, Plinius*, & plerique Historici in Vitâ *Numæ* exponunt. Veritatis ἀποσπασμάτια nonnulla in Ritibus πατριοπαραδότοις delituisse certum est. Eorum verò quæ vel invitis, vel aliud agentibus, vel ipsam veritatem indagantibus exciderunt purioris Theologiæ testimoniorum apud *Josephum, Justinum Martyrem, Clementem Alexandrinum, Eusebium, Theodoretum, Lactantium, Augustinum, Steuchum Eugubinum, Mornæum, Grotium*, aliosque intèr recentiores innumeros, amplam satis messem habemus; cultus & totius quæ inter eos viguit religionis ineptias, stultitiam, impietatem, furorem, amentiam post *Apostolum*, Capite primo Epistolæ ad Romanos, *Tertullianus, Eusebius, Augustinus, Theodoretus*, aliique egregie exagitant; *Maymonides, Giraldus, Stuckius, Vossius, Seldenus*, originem, praxin, arcana Idololatriæ, *Hesiodo, Cicerone,*

 Plutarcho,

Plutarcho, Strabone, Plinio, Seneca, non diffidentibus, ornatè & dilucidè exponunt.

Postquàm autem in tantam superstitionis & Idololatriæ molem ex infinitâ fabularum congerie emergens excreverat apud gentes Religio, ut nihil unquam stultiùs aut ab omni Theologiâ naturali abhorentius excogitari potuerit, tandèm omnium rituum totiúsque Deorum cultûs, sapientissimum quemque ità pudere cœpit, ut præter naturæ contemplationem, atque recti & honesti observantiam, nihil amplius cum Diis communitatis habere voluerunt. Ità de *Socrate, Cicero Academ. Quæst. lib.* 1. *Socrates, inquit, mihi videtur Philosophiam ad vitam communem adduxisse, ut de virtutibus & vitiis omninóque de bonis rebus & malis quæreret. Cælestia autem vel procul esse à nostrâ cognitione censeret; vel si maximè cognita essent, nihil tamen ad bene vivendum conferre.*

Atque *Tacitus*, Annalium; sexto; *Mihi hæc ac talia audienti, in incerto judicium est, Fatóne res mortalium & necessitate immutabili, an fortè volvantur; quippe sapientissimos veterum, quique eorum sectam æmulantur diversos reperies, ac multis insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines diis curæ.*

Et *Seneca. Sic adorabimus, ut meminerimus cultum ejus magis ad morem quam ad rem pertinere.* Istis respondent verba illa in quibus libros suos doctissimos de *Naturâ* Deorum finit *Marcus Tullius. Hæc* inquit, *cum essent dicta, discessimus ut* Velleio, Cottæ *disputatio verior, mihi* Baldi *ad veritatis similitudinem videretur esse propensior.* Atque ita mentis suæ sententiam de rebus divinis omnibus in primi libri initio anteà exposuerat: *Non* inquit, *ii sumus quibus nihil verum esse videatur; sed ii qui omnibus veri falsa quædam adjuncta esse dicamus, tantâ similitudine ut in iis nulla insit certa judicandi & assentiendi nota.*

Ut ita fluctuarentur Sathanæ placuit; quia nihil certi habuit quod pro veris quæ abstulerat, reponeret. Vnde cùm Apollinem Pythium *Athenienses* consulerent quas potissimùm Religiones tenerent, oraculum editum est, eas quæ essent in more majorum, teste eodem *Cicerone* de leg: Atque ita tandem ab optimo quoque & sapienti in eam Religionem quam *Catoni, Lucanus* ascribit, consensum est:—

—*Hæc*

—Hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum finémque tenere
Naturámque sequi, patriæque impendere vitam,
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo;
Huic epulæ famem vicisse; magnique penates
Submovisse hyemem tecto; pretiosáque vestris
Hirtam membra super Romani more Quiritis
Induxisse togam; Venerísque huic maximus usus
Progenies; Urbi pater est, urbique maritus;
Justitiæ cultor, rigidi servator honesti;
In commune bonus. Lib.2.

Egregie etiam *Persius* pro eo rerum statu, eâque incertitudine qua agitabantur omnes.

Quid juvat hoc, Templis nostros immittere mores,
Et bona diis ex hâc scelerata ducere pulpâ?
Dicite Pontifices in sancto quid facit aurum;
Nempe hoc quod Veneri donata à virgine puppæ.
Quin damus id superis de magnâ quod dare lance
Non possit magni Messallæ lippa propago!
COMPOSITUM JUS, FASQUE ANIMO, SANCTOSQUE RECESSUS
MENTIS, ET INCOCTUM GENEROSO PECTUS HONESTO
Hæc cedò admoveant templis, & farre litabo, Satyr.2.

Tandem ideo fabularum pertæsi quacúnque arreptâ occasione in Deorum contemptum se effuderunt. Exemplo sit ipse religiosissimus Orator, pro Domo suâ ad pontifices, adversus Clodium. *Negas*, inquit, *esse ferenda quæ soleam de me prædicare, & homo facetus inducis etiam sermonem urbanum ac venustum, me dicere solere esse me Jovem, eundemque dictitare Minervam esse Sororem meam; non tam insolens sum qui Jovem me esse dicam; non tam ineruditus qui Minervam Jovis sororem, meam esse Sororem existumem; sed tamen egô mihi sororem virginem ascisco, tu sororem tuam virginem esse non sivisti. Sed vide ne tu te debeas Jovem dicere, quod tu jure eandem uxorem & Sororem appellare possis?*

Antonio

Antonio etiam temulento *Bacchum* ſe eſſe ſimulanti *Athenienſes Minervam* ſuam publicè ſolennibus ceremoniis deſponderunt, teſte *Dione lib. Hiſt.* 48. Neque in periculis conſtitutis ab illis opis aut Auxilii expectatio ulla. Unde Rex *Porus* ſuadentibus amicis ut flumini ſacrificaret nè *Macedonum* rates ſuſciperet, neque tranſitum *Alexandro* facilem præſtaret, reſpondit, οὐκ ἔστιν τῶν ὅπλα ἐχόντων τὸ καταπεφεῦθαι; *Non eſt arma habentium ſupplicare*; referentibus ſapientibus *Indis* apud *Philoſtratum* in vita *Apollon: lib.2.cap.* 10.

Qui *Neronem* inter homines numerandum ſentiunt, quemadmodùm Deos tractaverit videant apud *Suetonium*. Neque ſine cauſa vocem illam, quæ teſte propheta Iſa.44. Idolalatris omnibus congrueret ſatis, illi aſcripſit *Seneca*: *Tragad*: *Octav. A.2.*

Stultè verebor, ipſe cum faciam, Deos.

Neque aliter apud vatem maximum *Achilles*.

Ἔβλαψάς μ', ἑκάεργε, θεῶν ὀλοώτατε πάντων
Ἦ σ' ἂν τισαίμην εἴ μοι δύναμίς γε παρείη
At tu me Titan violaſti peſſime Divum
Tu mihi ſi vires adſint dabis improbe pœnas.

Et *Propertius*.

Mens bona ſi qua dea es, tua me ſacraria dono
Exciderant ſurdo tot mea vota Jovi.

Acutè autem, hoc eſt ſuo more impietatem hanc omnem in Apologiâ exagitat *Tertullianus*: *Domeſticos Deos*, inquit, *quos lares dicitis, Domeſticâ poteſtate tractatis, pignerando, venditando, demutando, aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in Trullam de Minerva, ut quiſque contritus & contuſus eſt; tam diu colitur, ut quiſque dominus ſanctiorem expertus eſt domeſticam neceſſitatem:*

§.12. Expoſitis Theologiæ gentilium incunabulis & progreſſu, verbo expianda venit ejus Cataſtrophe. Statuit quidèm Deus à jactis mundi fundamentis præſtituto tempore φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν mittere. Myſterium autem hoc placuit in ſeipſo tantiſpèr abſcondere, dùm gentes

tes omnes in viis suis incedere eoúsque permiserat, ut densissimis tenebris, omnique miseriâ coopertis, lumen illud salutare tandèm gratiùs effulgeret. Neque tamen consilium hoc voluntatis suæ in arcano infinitæ sapientiæ scrinio ità immensùm abdidit, ut non ex summâ humani generis misericordiâ, àc ergà falsos, inanes, nihili Deos, & Idola, irâ justissimâ sanctissimâque, cùm hujus gratiæ promissiones, tùm minæ horribiles prodierint. Etenim, *Jehovah Deus verus est, Deus vivus, & Rex sempiternus, à cujus fervore commovebitur terra, neque sustinere possunt gentes indignationem ejus. Sic* (inquit) *dicito te illis, Dii isti qui cœlos, & terram non fecerunt, perituri sunt è terrâ & è sub Cœlo ipsi, Jer.* 10. 10,11. Similitèr se omnes Deos terræ emaciaturum minatur, *Zeph.* 2. 11. Deos autèm illos fictitios & Idola quorum sub auspiciis, quorumque instigationi morem gerentia, (hoc est, in iis serpenti veteri) quatuor famosissima imperia bellum sibi populóque suo indixerant continuò, Deum hisce comminationibus intendisse constat. De iis verò omnibus jamdudum actum est. Excessère adytis: corruerunt eorum et cœlum, et Sol, montes & Insulæ, ipsi cum omni cultu, choragio ac cultoribus moti sunt è terrâ, & regionibus quæ sub Cœlo sunt. Ad primum sanè exorientis solis justitiæ jubar Deos suos nutâsse, imò horruisse, sensit ac doluit orbis Idololatricus.

—Delphis oracula cessant,
Et genus humanum damnat caligo futuri. Juven. Satyr.

Quàm in Oraculorum autem cessationis causis assignandis nullubi magis ineptiunt Gentilium sapientissimi. *Potest*, inquit *Cicero* de Divinat. lib. 1. *Vis illa terræ quæ mentem Pythiæ divino afflatu concitabat, evanuisse vetustate, ut quosdam amnes evanuisse, aut in alium cursum contortos & deflexos, vidimus.* Ei assentitur *Plutarchus.* Neque ullus est qui meliora adfert.

Gradatim autèm lumen suum salutare emittèns ità tandèm Deus vetera stabilivit oracula, ut nemo sit mortalium ubicunque gentium, qui Theologiâ illa Gentili utatur, aut idola illa antiqua, antiquis ritibus colat aut veneretur. Ità omnia illa quibus per tot annorum centurias, inenarrabilemque temporis seriem, ex astutiâ Sathanæ, & nativâ humanæ mentis cæcitate, vana, absurda, blasphema, Theologiam naturalē conspurcavit polluit atque *inutilem* reddidit, mundus ἐν τῷ πονηρῷ positus, è Dei Vindicantis sententiâ funditùs perierunt.

CAP. IX.

In evertendo Gentilismo Evangelii potentia & efficacia. Notæ Bellarminianæ veræ Ecclesiæ Gentilismo conveniunt omnes. Præjudiciorum quæ hominum mentibus inferunt, examen. Ultimus pro cultu suo Sathanæ conatus.

QUi veteris *Gentilismi* in genus humanum imperium, quas longâ seculorum serie in toto mundo egerit radices, quos fructus tulerit, atque ἀναστασιν totalem, attentiùs paulò perpenderit, non alienum forsan mentis suæ sensum à quæstionibus iis quibus apud Oratorem *Velleius Epicureus* rerum omnium originationem *Platonicam* exagitat, inveniet. *Quæ*, inquit, *molitio? qui ferramenta? qui vectes? qui ministri tanti operis fuerunt?* (Quæ tamen omnia referentibus *Maffeo* & *Ribadenira* Deus pater, *Ignatio* Jesuitarum patri, ostendit.) Animum, inquam, impossibile est quin subeat cogitare, quæ qualisve illa vis erat, aut arcana virtus, quam tantæ moli removendæ, quæ ab origine immemorabili creverat *occulto velut arbor ævo*, Deus adhibuerit. Ad tantum enim opus conficiendum, atque antiqua & Catholica pravæ superstitionis fundamenta dejicienda, Dei digito planè opus erat.

Id quo magis liqueat, ostendam paucis, quos retinendæ superstitionis suæ *Catholicæ* & antiquissimæ prætextus gens humana habuerit, quibusque præjudiciis atque ratiocinationibus nixa, veritati divinæ se opposuerit. Errori enim vires & robur dant præjudicia, undè mediantibus vanis ratiocinationibus, oriuntur prætextus, quibus in eo retinendo mentis aditus adversus veritatis lucem muniunt homines δοξασταί. Homines qui jam in cultu suo Deo placent *Ecclesia* dicuntur. Is enim cœtus, eáve hominum communitas, quæ Deo, in cultu quem ipse instituit celebrando placere studet, vera est Ecclesia, semperque fuit. Cœtum illum sive communitatem ab aliis omnibus qui falsò nomen illud sibi arrogare vellent, per *notas* quasdam dignosci posse, multorum virorum Doctorum est opinio. Earum præcipuas, numero *quindecim* esse statuit, atque iis incredibilem quandam vim ad fidem ei cœtui cui proprie conveniunt conciliandam inesse, Doctissimus *Bellarminus* pluribus ostendit. Qui ex illarum *notarum* indicio, se veram Ecclesiam invenisse arbitrantur, è vitâ citius, quam ex illius communione se dejici patientur. Verum enim vero omnes istæ notæ *Bellarminianæ*, plurimæ

rimæ saltem eæque longè præstantissimæ, *Ethnicismum* potius veræ Religionis titulo ornare aptæ natæ sunt, quam veritatem istam divinam, illiúsque professionem, quàm ipso Dei Filio docente didicimus, ejúsve professores indigitare. Si vero eorum qui *Christiani* dicuntur pars, uti de se gloriantur, longè maxima, *notis* iis eoúsque etiamnùm confidere se debere persuasa sit, ut rejectis certissimis veritatis divinæ τεκμηρίοις, illis solis in Religionis negotio credat, animasque in veritatem dirigendas committat, quanto satiùs *Ethnici* homines ei professioni cultus divini mordicùs adherescere deberent, quæ *notis* istis munita erat, cum iis penitùs ignota fuerint alia omnia veritatis cœlestis indicia.

Prima autèm *Bellarmino* Ecclesiæ veræ *nota*, est, *ipsum nomen Catholicum*; Ea scilicet quæ *Catholica* dicitur, vera Ecclesia est. *Notam* hanc sine dubio, cùm nihili pænè sit, tanquam levis armaturæ militem, pereundam præmisit vir Doctus. Ubi loci, quandóque *Jesu* discipuli primùm *Christiani* dicti sunt novimus; at nominis hujus, *Catholici*, incertissima est origo, æqueac *Nilus* fontium. In sacrâ Scripturâ non extat. *Irenæus Symbolum* fidei recitans, ejus mentionem nullam facit, *lib.* 1, *cap.* 2. neque *Tertullianus*; de *Præscript: Adver: Hæret.* Et, ὀνόματος προσωνυμία οὔτε ἀγαθὸν οὔτε κακὸν κρίνεται, ἄνευ τῶν ὑποπιπτουσῶν τῷ ὀνόματι πράξεων; ut rectè *Justinus* Apol. 2. Ecclesia quidem *Romana*, â seipsâ *Catholica* nuncupatur; non ita olim dicta viris sanctis. *Ignatio* erat Ecclesia, ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων; si modo ea Epistola sit *Ignatii*. *Clementi*, Ἐκκλησία παροικοῦσα Ῥώμην. Atque *Papa* Episcopus ἐν τῇ Ῥώμῃ, *Concilio* primo dicitur *Can.* 6. Quóque in loco tum ipse, tum Ecclesia *Romana* olim habebantur satis docet *Concilium Chalcedonense*. Christianis plurimis a multis seculis per totam orbem dispersis *Pontificia* est, *Papistica, Apostatica, Idololatrica, Romana.* De nomine ideò cum sit incertorum hominum εὕρημα, litem mittamus, spectemus rem ipsam.

Ex quo â nonnullis excogitatum fuit id nominis, *Ecclesia Catholica*, omnibus veræ Religionis cultoribus (quoniam non defuere qui Ecclesiam Christi intra hujus illiúsve Christianorum particulæ seu factionis limites ineptissimè concluderent) mirificè placere incepit; nec sane omnimodò prorsùs immeritò; cùm per vocabulum illud nihil nisi quod ipse servator noster fore prædixerat, exprimere voluerunt; nempe Evangelium prædicandum ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ *Matth.* 24. seu ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ

cap.26.13. vel εἰς ὅλον τὸν κόσμον *Marc.14.19.* Et non tantum *Judæis*. Vocabuli autem istius celebris illicò facti, indiès convaluit fama cum laude. Cum vero *Papa Romanus* in illud sæcularis potentiæ fastigium, per malas artes ascendisset, ut adulatores spe prædæ sibi allicere facile ei fuisset,id sibi,& factioni suæ,ex eorum assentationibus, (aliorum incuriæ & humilitatis etiam beneficio usus)trahere cognomen conatus est; ipse intereà haud illiberali manu, ista iis vicissim remetiens, quæ reverâ in ejus potestate unquam sita fuisse, nemo sobrius crederet. Ita olim factitatum apud *Horat.lib.2.Epist.2.*

Discedo Alcæus puncto illius: ille meo quis?
Quis nisi Callimachus? si plus adposcere visus,
Fit Mimnermus, & optivo cognomine crescit.

Eodem jure *Muhamedani*, *Musulmanni* sunt; Et *Simon*, olim, μεγάλη θεοῦ δύναμις. Atque *Diana*, magnum numen. Ubivis etiamnùm terrarum honestis titulis se ornant, qui plures sunt. Pauciorum scilicet, aut oppressæ partis, *factio* nomenclatura est. Videamus ergo etiam si non ipsi *Ethnici* nomina illa quæ tùm temporis apud homines optimæ notæ censebantur, sibi solis arrogaverint; dum veri Dei cultores probrosis nominibus passim insigniti fuêre. Ante omnia quidem se solos fidem & religionem coluisse,cæteros omnes *superstitiosos*, veterum Deorum ignaros,atque, ut ita dicam,*hereticos* & *schismaticos* fuisse, & constantèr gloriati sunt,& acerrimè contenderunt. Usque ad Domini nostri adventum apud solos Judæos veri Dei cultum viguisse novimus. De iis verò quid senserunt,testis est Author gravissimus, *Cornel:Tacit.* Hist. lib.5. *Moses* inquit, *quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque cæteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra: rursum concessa apud illos quæ nobis incesta*; hoc est; *Heretici* sunt & *Schismatici*, quoniam ritus â *Catholico* generis humani usu abhorrentes observare eos docuerit ὁ νομοθέτης. Eadem pænè habet *Plutarchus*. Et nemo ferè est Historicorum qui non memoriæ prodiderit eos *Asini caput* in templo veneratos fuisse. *Effigiem animalis*, inquit *Tacitus*(hoc est,ipso Authore, *Asini*) *quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere*; Et *Democritus* Historicus apud *Suidam* χρυσοῦν ὄνου κεφαλὴν προσεκύνουν, *Asini caput aureum adorabant.* Idem tradidisse *Possidonium*,& *Apollonium Molonem*,libro secundo contra *Appionem*, qui eandem insaniam insanivit, ostendit *Josephus*. Mitto alia mendaciorum portenta, quorum tamen cum iis quæ de *Albigensibus*,

Waldensibus,

Waldensibus, aliisque fidelibus Christi servis commenti sunt *Pontificii*, *Catholici* scilicet, non incommoda foret collatio. Uno ore omnes gentem illam *superstitionibus obnoxiam*, *Religioni adversam*, communi mortalium de cultu Dei sententiæ repugnantem, dixerunt.

Orti demum *Christiani*; ipsi etiam per aliquod tempus *Judæi* dicti. Neque inter utrumque populum distinxêre diu Gentiles; *Judæos impulsore Chresto, assiduè tumultuantes Româ expulit*; in *Claudio Suetonius*. Et *Arrianus* Epictet: lib. 2. Cap. 9. οὐχ ὁρᾷς πῶς ἕκαστος λέγεται Ἰουδαῖος; καὶ ὅταν τινὰ ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν, εἰώθαμεν λέγειν, οὐκ ἔστιν Ἰουδαῖος ἀλλ' ὑποκρίνεται. ὅταν δ' ἀναλάβῃ τὸ πάθος τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου, τότε καὶ ἔστι τῷ ὄντι, καὶ καλεῖται Ἰουδαῖος. *Nonne vides ut quisque dicatur Judæus; quod si quem alternantem viderimus, dicere solemus non esse Judæum sed hypocritam. Cum autem affectum tincti seu baptizati & ejus qui sectam eam profitetur adhibuerit, tum revera Judæus est & nominatur*; Quem locum frustrà quidam adducunt, ut probent *Judæos* ritu *Baptismi* uti solitos fuisse, cum apertissimè de *Christianis* loquatur Philosophus. Etiam *Apocal.* 3. 9. per *Judæos*, non alios quàm *Christianos* intelligit ipse Spiritus Sanctus. De hisce verò, terrarum orbis sententiam exponit idem *Tacitus*. Annal. lib. 15. *Pœnis affecit Nero quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat, repressáque in præsens exitiabilis superstitio, rursus erumpebat.* Et diversa omnia in moribus & sacris humano generi, *Christianis* objecta fuisse docet *Arnobius*. De nomine autem Religionis, & deorum cultus, usque adeò securi erant, ut ipsum nomen *Christianum*, satis criminis ad ultimum supplicium, seu hæreticidium infligendum continere statuerint. Undè etiam ipsius nominis Apologiam instituere necesse habuere *Tertullianus*, aliique. *Verpi*, *Apellæ*, *Judæi*, *Christiani*, *Hæretici*, apud Catholicos istos, scelerum nomina fuere. Pari gressu ideò, utérque populus *Idololatricus* iter incœptat. Si quid ideò vis aut efficaciæ honorificis nominibus insit ad veritatem indicandam, & animum in sententiâ quam ornant confirmandum, quod judicat *Cardinalis*, eo maximè usi sunt Gentilismi cultores.

Secundum locum apud *Bellarminum* occupat *Antiquitas*, non quidem absoluta illa quæ uni Deo sui originem refert, in quâ si controversia hæc sisteretur, actum planè esset de *notis* hisce *Bellarminianis*; sed dubia ista, & probabilis tantùm, quæ ex Historiis aliisque rerum præ-

teritarum monumentis, erui debet; atque ex iis dijudicari. Eodem etiam sive Argumento, sive præjudicio, totus olim innitebatur *Gentilismus*. Cùm primùm quidem ipse *Jesus Christus* veritatem cœlestem è sinu patris exponere egressus est, illum inprimis quæstione istâ adorti sunt *Pharisæi*; τίς ἡ διδαχὴ ἡ καινὴ αὕτη; *Quænam* nova *doctrina hæc* est. *Marc.* 1. 27.

Similitèr Apostolum *Paulum* eandem veritatem *Athenis* prædicantem, Philosophi adorti sunt. Δυνάμεθα, inquiunt, γνῶναι τίς ἡ καινὴ αὕτη ἡ ὑπὸ σοῦ λαλουμένη διδαχή; *Actor.* 17. 19. Atque in totâ illâ concertatione, quæ Evangelium inter & *Gentilium* superstitionem intererat, nihil pænè erat quod violentiùs in rabiem infidelium animos in veritatem excitavit, quam quod *nova* esset Religio *Christiana*, quod vetustate destituta, quod antiquos ritus, patriumque Dei cultum tollere conaretur. Quantum autem præjudicii, ea persuasio eorum mentibus indidit, ex ipsis *Pontificiis* errorum voluptate seu potiùs utilitate obduratis, facilè conjicere est. At in omnibus dubiam, in plerisque apertè falsam esse antiquitatem quam prætendunt *Romanenses*, plurimi ostenderunt. Palàm autem erat, iis solis rerum monumentis exceptis, quæ (quia *Judæis*, hæreticis, & schismaticis, ἐκκλησία) jure contemnere sibi visi sunt, nullam planè post homines natos, rerum Religionúmve extasse memoriam, quæ eorum cultus originem antecederet; ita ut nulli dubitarunt, quin æterna esset quam profiterentur Religio. Eo Argumento utitur *Symmachus* Episto: ad *Theodosium*; *si longa* inquit *ætas autoritatem Religionibus conciliat, servanda est tot seculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos. Romam nunc putemus assistere atque suis vobiscum agere sermonibus. Optimi principes, Patres patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, ut utar ceremoniis avitis*; & *Cæcilius* apud *Minutium Felicem*. *Quanto venerabiliùs & meliùs Antistites veritatis majorum excipere disciplinam, Religiones traditas colere, Deos quos à parentibus ante imbutus es timere; quam cognosse familiariùs, adorare; nec de numinibus ferre sententiam, sed prioribus cedere.* Unde scitè *Augustinus*, *Hic est mos diabolicus, ut per antiquitatis traducem commendetur fallacia.* Imò ipsi *Indi Americani* teste *Xavereio Jesuita* lib. 4. Epistol. 1. de Religionis suæ antiquitate adversus Evangelii *novitatem* gloriari soliti sunt. Non id nunc ago, ut ostendam *Bellarminum* Gentilium armis adversus veritatem *Evangelicam* pugnare; sed quantæ molitionis erat *Ethnicismum* superare, & abolere, cum iis rationibus essent muniti ejus professores, quas

tantam

tantam vim ad hominum animos in opinionibus quas ſemel ſuſceperunt retinendos, vir iſte Doctiſſimus ſenſerit, oſtendo.

Præclarum quid ſine dubio ſe feciſſe putavit *Edmundus Campianus*, cum rationibus iſtis quibus Religionem Pontificiam imperitis perſuadere conatus eſt, colophonis loco addidit; *Teſtes Academiæ, Teſtes legum tabulæ, teſtes vernaculi mores hominum, Teſtes electio Cæſarum & inauguratio; teſtes Regum ritus & inunctio, teſtes equitum ordines, ipſæque chlamydes, teſtes feneſtræ, teſtes numi, teſtes urbani portus, domuſque civicæ, teſtes avorum fructus & vita, teſtes res omnes & reculæ, nullam in orbe religionem niſi noſtram imis unquam radicibus inſediſſe.* Quamvis autem hæc leviſſima ſint, tamen eam religionem è non minimo temporis ſpatio, ſe longè latèque diffudiſſe, atque plurimorum occupaſſe animos, corrupiſſe mores, luculentèr oſtendunt. At verò quantâ majori cum pompâ, atque Argumentationis ſpecie, hæc omnia de *Gentiliſmo* dici poterant, tunc cum ei cum veritate *Evangelicâ* bellum erat, nemo eſt qui ignorat. *Ethnicorum* enim ſuperſtitio, non unam *Europam*, aut partes ejus aliquot celebriores ſolùm, ficùt illa *Pontificiorum*, invaſerat, ſed totum mundum ex ſeculis antiquiſſimis, ultrà omnem Hiſtoriæ fidem, & hominum memoriam ita occupaverat, ut nihil omninò per totum terrarum orbem extiterit quod dominationi ejus teſtimonium non perhibuerit. Nota ſunt, quæ huic vetuſtatis prætextui oppoſuerunt, *Clemens, Juſtinus, Origenes, Tertullianus, Auguſtinus, Ambroſius* aliique. Si ideo dubia illa antiquitas, quæ ex rerum actionumque inter homines monumentis inveſtigari poſſit, veritatis ſit præſumptio, illam ſanè mortalium nulli, ullo ſeculo, ullâve in causâ majori cum evidentia, & teſtimoniorum multitudine producere potuerunt, quam *Ethniciſmi* Patroni. Sine dubio non magis perſuaſi fuere plurimi, ſe homines fuiſſe, aut vivere, quàm ab initio rerum gentium nationumque eorum cultum religioſum viguiſſe, ſi modo res omnes initium habuerint, æternum, vero fuiſſe, ſi ipſæ æternæ. Nibil ideo magis clamitabant, quam quod *ubique*, quod *ſemper*, quod *omnes*. Hinc *Rochardus Phriſiorum* Rex cum baptizandus eſſet, & pedem unum aqua intinxiſſet quæſivit, *ubinam major pars ſuorum anteceſſorum conſtituta eſſet, in inferno, an in Paradiſo*; cum diceretur plures eſſe in inferno, mox reſiliens, *rectius eſt, inquit, plures quam pauciores ſequi.*

Deinde, *Durationem diuturnam, neque unquam interruptam*, tertio in loco ponit *Cardinalis*; ſi tempora præterita intelligat, *nota* hæc

revera

revera ab illa quæ præcessit haud differt; nisi in eo discrimen sit, quod hîc, *nunquam interrupta,* diuturna ista seu ex antiqui temporibus diducta duratio, dicatur. Sin de temporibus futuris loquatur, *nota* ista non nisi viri docti conjectura est; quamvis ego sanè crediderim duraturam *Ecclesiam Romanam,* donèc ille advenerit, qui eam destruet *spiritu oris sui.* Sed & *Ethnici* perennem durationem cultui suo votis destinabant, & prædictionibus firmabant. Nomen sibi se parasse æternum ostensurus *Poeta,* ait —

— Usque ego posterâ
Crescam laude recens dum Capitolium
Scandet cum tacitâ virgine Pontifex.

Sive Historicum agere velit, cum *Gentilibus* minimè est conferendus. Superstitionis Idololatricæ initia in hunc usque diem planè ignorantur. Abs ortu autem ejus ad prædicatum in orbe Evangelium duo minimum millia annorum fluxisse, non dubitatur; neque unquàm interrupta fuit ejus professio. Nota res est; neque probationum eget. Tantas autem radices in eorum animis egerat præjudicium hoc ab *Antiquitate* & *duratione diuturnâ* oriundum, cultûs istius Religiosi quem observabant, ut non mirum esse debeat, si vix ullo modo â sententiâ perniciosissimâ eo munitâ se divelli passi sint.

Quarto in loco *multitudinem & credentium varietatem enumerat Cardinalis*; Ut hanc *notam* Ecclesiæ suæ assignaret, magno sine dubio emerent quotquot ubivis sunt *Sectarii,* cùm directè incurrat in *notam* illam veræ Ecclesiæ quam ipse Christus edidit, si modo Grex Christi vera Ecclesia sit. Sed quoniam *Papa* eam *notam* esse velit; nota esto. Qui *multitudinem* veræ Ecclesiæ notam non esse, si modo verbo Dei lis hæc dirimenda committi debeat, quique *Romanam* factionem neque absolutè, neque comparatè magnam multamvè dici debere contenderet, is quidem meo judicio causam facilem præ manibus haberet. Sed id nos nunc non agimus. Sapientes, doctique sunt *Pontificiorum* plurimi, atque rerum usu exercitatissimi. Quænam illa sint, quæ apta & idonea sunt ad animos mortalium in sententiam aliquam in Religione vel suscipiendam allicere, vel ei mordicùs & pertinacitèr ut adhærerent, persuadere, adprimè norunt. Quanta ideo in hâc causâ multitudinis vis sit iis probè perspectum est. Imò pænè dudum est ex quo omnis causæ spes non in aliâ ullâ re illis sita esse videatur, quam quod multi sint; ideóque missis aliis omnibus Argumentis, ubivis

ubivis terrarum negotium Religionis ferro decernere diù est quod constituerint. Intereà *notam* hanc propriissimè *Gentilismo* convenisse novimus. Plurimi, omnes, totus mundus fuere. Altissimos montes nihil impedire quo minus terrarum orbis perfectè rotundus dici posset, affirmant *Mathematicorum* filii. Multò minùs cultorum Dei veri perpusillus grex nè totus mundus in *malo Gentilismi* positus fuisse dicatur, obstare posse videatur. Quicquid enim pænè uspiam erat humani generis, concordiâ singulari in *Polytheismum* consenserat: Atque Deus bone! qui viri, qualesque, Imperatores, Reges, Duces, Philosophi, Sapientes, Boni, Justi, temperantes, fortes, patriæ amantissimi, æqui boníque retinentissimi suprà quod fingi potest; illine ut abs horum Religione, hoc est omnium omnino hominum, optimorum præsertim, se divelli & separari paterentur? quid abs omni ratione abhorentius dici aut fingi potest, quam ut paucorum hominum suasu fascinati, totius orbis terrarum per tot secula persuasioni nuntium mitterent? Vide sis lector hunc mundi angulum, in quo Deo ita gratiosè disponente ætatem agimus; Quotus quisque est qui non summæ insaniæ loco duceret à sententiâ plurimorum receptissimâ recedere; præsertìm cùm eorum malorum nonnullis quæ confertìm in primos evangelizantes irruebant exposita sit ista discessio. Et tamen nos omnes non multitudini, non antiquitati, sed uni Christi dicto nos audientes esse debere profitemur. Amplitudini vero *Gentilismi* se nunquam, *non si se ruperit*, æquabit *Pontificiorum Catholicismus*.

Succedit apud *Bellarminum*, *Episcoporum in Ecclesiâ Romanâ successio*; Eadem etiam ratio apud *Muhammedanos*, *Caliphatus* est. Habuit itidem vetus *Roma Pontifices* suos maximos, quorum titulum, nomen, locum, officium, spiritum invasit, arripuit, possidetque Episcopus iste *Bellarminianus*: Apocal. 13. 11, 12, 13. Eorum Pontificum à primis consulibus ad *Tiberium Cæsarem*, sub cujus imperio nomen *Christianum* inotescere cœpit successio, Fastis recensebatur. Horum verò summam Authoritatem divinitùs constitutam fuisse crediderunt. Ita Orator, ad *Pontifices pro domo suâ*: *cum multa* (inquit) *divinitùs, Pontifices à majoribus nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil præclarius, quam quòd vos eosdem & religionibus deorum immortalium, & summæ Reipublicæ praeesse voluerunt.* In quâ quidem sententia persistunt adhuc *Romanenses* omnes. Illicò etiam ea profert, quæ etiamnum in disputationibus *Pontificiorum* de Ecclesia utrámque faciunt paginam. *Quid est enim*, inquit, *tam arrogans, quam de Religione, de rebus divinis, ceremoniis*

moniis ſacris, Pontificum collegium docere conari; aut tam ſtultum quam ſi quis quid in veſtris libris invenerit, id narrare vobis; aut tam curioſum, quam ea ſcire velle de quibus majores noſtri vos ſolos conſuli, & ſcire voluerunt? Neque horum Pontificum quiſquam aut *fœmina* fuit, aut *magus*, aut homicida, aut inceſtus, aut ſacrilegus, quòd ſcimus ex eorum temporum monumentis. Abs hiſce vero diverſam in Religionis negotio opinionem ſuſcipere, non niſi extremæ dementiæ viſum eſt.

Imò tantæ fuere authoritatis ſummi iſti Pontifices, ut vìx impunè magis ab eorum ſententiâ in religione diſſentiri cuiquam licuerit, quam nunc temporis ab ipſius *Papæ*. Eorum enim Authoritatem ita deſcribit Hiſtoricus, ut vìx ſcire poſſis, utrum de veteri an de nova *Româ* loquatur. Ποντίφικες inquit, ex inſtitutione ſcilicet Numæ, *τὴν μεγίστην παρὰ Ῥωμαίοις ἐξουσίαν ἔχουσι—εἰσὶ καὶ τῶν μεγίστων πραγμάτων κύριοι. καὶ γὰρ δικάζουσιν οὗτοι τὰς ἱερὰς δίκας ἁπάσας, ἰδιώταις τε καὶ ἄρχουσι καὶ λειτουργοῖς θεῶν:* (quæ ſolennis adhuc eſt Romanæ Eccleſiæ in varia membrorum genera diſtributio) *καὶ νομοθετοῦσιν ὅσα τῶν ἱερῶν ἄγραφα ὄντα καὶ ἀνέθιστα, κρίνοντες ἃ ἂν ἐπιτήδεια τυγχάνειν αὐτοῖς φανείη νόμων τε καὶ ἐθισμῶν. τὰς δὲ ἀρχὰς ἁπάσας ὅσαις θυσία τις καὶ θεραπεία θεῶν ἀνάκειται, καὶ τοὺς ἱερεῖς ἅπαντας ἐξετάζουσι. ὑπηρέτας τε αὐτῶν καὶ λειτουργοὺς οἷς χρῶνται πρὸς τὰ ἱερά, οὗτοι φυλάττουσι μηδὲν ἐξαμαρτάνειν παρὰ τοὺς ἱεροὺς νόμους. τοῖς τε ἰδιώταις ὁπόσοι μὴ ἴσασι τοὺς περὶ τὰ θεῖα ἢ δαιμόνια σεβασμοὺς ἐξηγηταὶ γίνονται καὶ προφῆται. κἂν εἴ τινας αἴσθωνται μὴ πειθομένους ταῖς ἐπιταγαῖς αὐτῶν, ζημιοῦσι πρὸς ἕκαστον χρῆμα ὁρῶντες. εἰσί τε ἀνυπεύθυνοι πάσης δίκης τε καὶ ζημίας, οὔτε βουλῇ λόγον ἀποδιδόντες οὔτε δήμῳ. ἐκλιπόντος δέ τινος αὐτῶν τὸν βίον, ἕτερος εἰς τὸν ἐκείνου καθίσταται τόπον, οὐχ ὑπὸ τοῦ δήμου αἱρεθείς, ἀλλ' ὑπὸ αὐτῶν ἐκείνων.* Dionyſ. Halicarnaſ: Antiquit. Rom. li. 2. An accuratiorem Pontificiæ authoritatis deſcriptionem exhibere potuerit, ſi jam nunc (uti olim) Romæ viveret Dionyſius, meritò dubitari poſſit. *Summâ* (inquit) *Pontifices authoritate præditi ſunt, maximiſque in rebus dominantur. Nam omnes lites ſacras judicant inter idiotas, magiſtratus, ac ſacrorum miniſtros.* (In quâ parte Authoritatis ſuæ exequendâ, nulla non regna Chriſtiana turbavit pontifex Romanus, quædam etiam peſſundedit & evertit.) *Sed leges etiam ferunt de ſacris quæ nondum ſcripta ſunt, nec uſu recepta, ſi digna videantur quæ legibus & conſuetudinibus ſarciantur* (h.e. ipſi ſoli judices fuerunt traditionum non ſcriptarum; ità ut quaſcunque vellent, & quandocunque, legibus & canonibus obſervanda ſanxerint; quæ arx eſt præſentis Pontificiæ poteſtatis munitiſſima.) *In omnes item magiſtratus quibus ſacrificia & Deorum cultus eſt commiſſus, & in omnes ſacerdotes inquirunt, miniſtros*

ministros quoque sacrorum in officio continent, ne quid contra sacras leges delinquant. (Soli scilicet totius cleri Domini, ordinis & potestatis omnis Ecclesiasticæ fons & origo.) *Idiotis etiam deorum & divorum seu geniorum cultum præmonstrant & interpretantur.* (Idiotis autem istis satis est, si fide implicitâ ea quæ ipsi in cultu divorum præcipiunt reverenter colant & amplectantur) *quod si quem animadvertant præscripta sua contemnere eum mulctant pro delicti magnitudine* (at pœnas istas capitales fuisse, præterquam in virgines Vestales non legimus. Sed nulla pæne in totâ Europâ Regio est, quam funestis cædibus, sanguine, flamma, variorum generum mortibus ob neglecta præscripta sua non macularunt, secundi ordinis pontifices Romani.) *Ipsi judiciis at mulcta sunt immunes, nec tenentur vel senatui, vel populo rationem reddere:* (h: e. pontifex omnes judicat, a nomine judicatur. Et dulce quidem auribus pontificiis sonat ἀνυπεύθυνος. Sed velint nolint, rationem tandem reddent omnium Judici.) *Si quis autem è vita excesserit in defuncti locum alius solet subrogari, non populi suffragiis, sed qui collegio videtur maxime idoneus.* Prout etiamnùm Romæ fit. Cognoscat autem hinc Lector, cujus successor, cujusque vicarius sit pontifex Romanus.

Conspirationem in doctrinâ cum *Ecclesiâ antiquâ* proximo loco proponit. Cùm autèm abs Ecclesiâ istâ antiquâ Apostolos eorumque scripta excludat, nihil aliud intelligit, quam eam esse veram Ecclesiam quæ de rebus sacris ita docet, quemadmodum eorum ex quibus constat antecessores docuerint. Atqui totius *Gentilismi* hæc arx erat munitissima. Nihil stultius, nihil vituperio dignius censebant quàm ritus πατροπαραδότους rejicere. Ea erat superstitio, quæ *veterum ignara Deorum. Socrates* non ob aliam causam morti adjudicatus est, quam quod eos Deos non esse senserit, quos ab antiquo urbs Deos esse crediderit. In Christianos præcipuè quod avitæ & patriæ Religionis essent desertores tanto-perè sævitum est. Quantum negotii Evangelii professoribus hoc Argumento facesserunt Idololatræ, testes sunt, *Origenes*, *Justinus*, *Tertullianus*, *Arnobius*, *Lactantius*, *Augustinus*, *Clemens Alexandrinus*, atque ad unum omnes, qui adversus eorum sophismata veritatis patrocinium susceperunt. Itàque neque abs hoc præjudicio adversus Evangelium immunes fuere.

Septima nota *Bellarminiana* est, *unio membrorum inter se, & cum capite Episcopo Romano.* Pudet gloriationis insolentis; unio illa quæ inter *Romanenses* viget, maximum est Christiani nominis opprobrium. Et nisi ea ratio quæ pro utilitate facit inter plurimos potissima esset,

jamdudum pænè nulla fuisset. Absit, vis, tyrannis sævissima, vivicomburium, ignorantia, avaritia, typhus secularis, mundi præsentis amor, dilutior statim apparebit, quam ut subsisteret, ista unio. Qualis autem sit testantur bella, latrocinia, lanienæ, cædes, urbium vastationes, agrorum depopulationes, quæ inter illius Ecclesiæ membra, frustra reclamante *Pontifice Romano*, quotidiè perpetrantur fiuntque. Nisi stupidi, cæci, aut mortalium essent impudentissimi, juxta ac veritatis Evangelicæ ignarissimi, insanissimæ hujus gloriationis dudùm eos puduisset. Mallem ego Ecclesiam in mille particulas divisam, quam *papisticè* unitam. Dissidia, dissensiones, schismata, politica, ecclesiastica, animorum, opinionum, scriptorum quæ in eâ hominum conspiratione, quæ seEcclesiam dici vult, vigent, novit terrarum orbis; in eo tantùm obvarias rationes, politicas, seculares, *Sathanicas*, consentire videntur astuti homines, & rebus seculi fascinati, quo veritati Evangelicæ, & Christianorum per ipsum Christum partæ libertati strenue adversarentur. Neque tamen assererem nullam apud *pontificios* omnino unitatem haberi; cum de *Papâ* prædixerit Spiritus, quod *faceret omnes pusillos & magnos, divites & pauperes, liberos & servos, habere characterem in dextrâ manu sua*: Apocal. 13.16. Inter Ethnicos plurima aliter se habuere. Fortis ille armatus totam domum, orbem, in pace & unione continuit. Diversitas quædam in cultu erat, non ei absimilis quæ apud ordines religiosos, quorum uni, divus hic, alii magis alius placet, conspicitur. Summam rei quod attinet, pacem inter se conjunctissime sub capite suo *Sathanâ*, ejusque vicario *Pontifice summo Romano* coluerunt veteres Idololatræ; præsertìm postquàm orbis urbi discesserit. Varias religiones inferre, alios quam quos ipse coleret Deos adorari prædicari, ne sineret, *Augusto* persuasit apud *Dionem*, *Mecœnas*, prout dudum alibi ostendimus: peregrinos etiam deos inducere, *duodecim tabularum* lege vetitum. *Romanis* mores in sacris ab iis urbis alienos suscipere, nefas fuisse & illicitum, adversus doctrinam *Pauli* arguunt Actor. 26.21. Sola pæne *Egyptus* hæresium postulata. In opprimendâ veritate dissensio nulla. *Pagani*, inquit *Augustinus*, Sermone de Jejunio, *colentes multos* Deos *diversos*, *imo litigantes*, *atque inter se hostili odio ardescentes*, *tenent tamen in iis qualemcunque unitatem*, *cum pariter eant ad eorum templa*, *diis ipsis iratis*, *ipsi concordes sunt*. Atque concordiæ hujus opinione elati, *Christianis* dissentiones exprobrare soliti fuerunt; teste eodem *Augustino*, *lib. de ovibus*, cap. 15. Et *Clemente Alexandrino* Stromat. lib. 7.

Cum

Cum *Cardinale* pergamus. *Sanctitatem doctrinæ cum ejusdem efficaciâ atque authorum ejus sanctitate*, octavo & nono loco memorat. Procul omni dubio doctrina sanctissima verissima est. Nam ipsum Evangelium *veritas est* secundum *pietatem*, teste Apostolo ad *Titum* cap. 1. v. 1. Eademque maximè efficax; cùm verbum Dei *vivum sit & efficax*, Heb. 4. 12. *imò potentia Dei credentibus ad salutem*; Rom. 1. 16. Eo regenerantur *quotquot ex Deo nati sunt*; 1 Pet. 1. 23. Authorque ejus sanctus; cum non nisi sanctissimus Dei filius fuerit; *Heb.* 1. 1. *Joh.* 1. 18. Quid autem *sanctitas* sit, quid verum falsúmve, nos nisi ex eo verbo edocti, scire non possumus. Ea autem sanctitas quæ videri potest, fingi potest; ea quæ fingi non potest, videri non potest. Sanctitatem autem *Romanæ Ecclesiæ* testantur plurimi omnium ordinum in ea homines, fere omnes: *clerus* præcipue; Testantur *Paparum* vitæ, mores, mortes, *Ethnicis* detestandæ; Episcoporum fastus, superbia, avaritia, ignorantia, ignavia, crudelitas, rapina; religiosorum uti vocantur, astus, fraudes, impuritas, hypocrisis, peccatáque innominanda: omnium Idololatria; Jesuitarum præcipuè fraudes, imposturæ, mendacia, proditiones, hommicidia, libidines, perjuria, atque omnibus omnium ordinum hominum peccatis extenuandis solertia. Eousque autem ejus Ecclesiæ sanctitas demum progressa est, ut ob eam apud *Indos Americanos*, ubi vel maxime in honorem Christi et Evangelii excolere eam debuerant; plane invisum & abominandum redditum sit ipsum nomen Christianum: ita ut quidquid tandem de iis statuatur, commune aliquid cum Christianis, eorumve religione habere obstinate & præfracte renuant. Tandem eò rem deductam esse, conqueritur *Ludovicus Granatensis*, *ut apud gentes barbaras adeo sit Christianum nomen execrabile, ut si quando ad eos Monachi mittantur, ne illos simili odio detestentur, necesse sit dicere illos quidem non Christianos, sed patres esse, qui ad eorum salutem curandam venerint; eâ enim crudelitate Hispanos erga illos fuisse usos, ut sanctissimum Christiani nomen, non pietatis & religionis, sed crudelitatis & immanitatis nomen habitum sit.* Sanctissimus Dominus *Jesus* præstituto suo tempore *Sanctitatis* hujus pœnas repetet. Sancte etiam fecerunt *patres societatis*, cùm in prædicatione Evangelii apud *Chinenses*, studiose Jesum Christum crucifixum fuisse occuluerint; atque ita in alium nescio quem Iesum, ut fidem ponerent persuaserint; quod demum *Romæ* prohibitum. Mirum autem est *Bellarminum* hunc locum attingere ausum fuisse, cum probe sciret facillimum factu esse, ex probatis historiis, suæ Ecclesiæ Scriptoribus, exemplis quotidianis ingentia volumina execrandorum scelerum,

 libidinum,

libidinum, impietatum, præcipuorum patrum iſtius Eccleſiæ, pleniſſima, conficere. Sed hoc penſum noſtrum non eſt. Si de *ſanctitate* in hominum oculos incurrente loquatur *Vir Doctiſſimus*, eam omnes ſecundum regulam aliquam vel divinitùs datam, vel quovis modo receptam, menſurari debere confitentur. Ea autem erat quorundam Philoſophorum apud *Ethnicos* doctrina, ut eam Chriſtianos multos adhuc non pudeat *ſanctiſſimam* appellare. Ejus efficaciam ad mutandos hominum mores plurima exempla probant: & quanta fuerit apud *Ethnicos* ſecundum Philoſophiæ præcepta vitæ ſanctitas, notum eſt. Vnam præter fidem, & veri Dei in Chriſto cognitionem, quæ ſola vita æterna eſt, eorum quæ in oculos incurrunt, nihil pænè illorum aliquot defuiſſe videtur.

Deinde, *miracula quæ in ſua Eccleſia fieri, alibi non* item, *contendit*, recenſet. Neque ullubi magnificentius ſe gerunt Scriptores nonnulli *Pontificii* quàm cùm ad miracula deventum eſt. Virum hic, ſi ſe ullubi oſtendit *Valerianus magnus* in *Capucinorum* fratrum miraculis recenſendis; conſulat eum lector, cui *Aurea Legenda Jacobi à Voragine* ſatis non facit; atque in miraculorum iſtorum hiſtoriam *Valerianam*, animadverſiones *V*iri Doctiſſimi *Johannis Commenii*. Si quis præſtigiis, nugis, figmentis, mendaciis, vanis, inutilibus, portentoſis, diabolicis, ridiculis, & blaſphemis delectetur, adeat Legendas, vitarum *Sanctorum* Scriptores, monachorum archiva, Sanctorum Papalium canonizationes, annalium etiam Eccleſiaſticorum poſt quartum ſeculum conſarcinatores, atque quidquid uſpiam id generis corradi aut fingi poſſit, ei affatìm ſuppeditabunt. Unum tantum de mille quo de reliquis judicari poſſit hic repetendum duxi; memoriæ autem traditur in libro *conformitatum*. Cum *Franciſcus*, inquit Author, *aliquando concionaretur, & aſinus in populo tumultuabatur*, *Franciſus ei dixit*; *Frater Aſine eſto tranquillus donec concionem abſolvero. Confeſtim aſinus dicto audiens, ſe intra Franciſci pedes compoſito geſtu reponit.* Mirum, ſi in toto mundo aſinus ſuperſit, qui illico ſe in ejus Eccleſiæ poteſtatem dedere nolit, in quâ tota hæc miracula perpetrandi efficacia locum obtinet.

Intereà autem ut vera miracula immediatâ Dei potentiâ ad confirmandam veritatem cœleſtem edita, qualia fuere illa Domini noſtri Ieſu Chriſti, atque Apoſtolorum, magnam vim & efficaciam habuiſſe, ad excitandos hominum animos, ut ipſi veritati auſcultarent, atque ei crederent, omnes norunt; ita certiſſimum eſt portenta *diabolica*, atque miranda

miranda, quorum causæ investigari non possunt, & figmenta pro veris miraculis venditata & credita, validissima esse ad vulgus credulitate superstitiosâ illaquendum, atque ad dogmata pertinaci reverentiâ amplectendum, quæ per illa confirmari videntur. Atqui istiusmodi miracula inter Ethnicos frequentissima fuere. Nemo pænè est inter Historicos probatiores, *Græcos*, aut *Latinos*, qui eorum plurima scriptis non tradiderit. Nota sunt quæ de *Pythagorâ Porphyrius*, de *Apollonio Philostratus* scripsere; usque adeo ut *Tyaneum* istum magum ipsi Christo in miraculorum claritudine conferendum impiè contenderit *Hierocles*; cujus sceleratam audaciam libro singulari retundit *Eusebius*. Sed hoc quidem nihil ad Pontificios, quibus solenne est jurare hunc aut illum fratrem plura miracula edidisse, quam ipse Christus atque omnes Apostoli. Innumera sunt hujus generis miranda, quæ *Diodorus*, *Livius*, *Polybius*, *Plutarchus*, *Cicero*, *Plinius*, *Suetonius*, *Tacitus*, *Cæsar*, *Pausanias*; *Dionysius Halicar*: sparsim recensent. Eorum aliquot collegit *Valerius Maximus lib.* 1. *cap.*6. singularibus insistere, iisve cum miraculis Pontificiorum conferendis nolo. De *Delphici* Templi â *Gallorum* sacrilegio liberatione, Historiam decantissimam innuisse sufficiat. Inter alios refert *Pausanias* in *Phocicis*. Sathanam thronum suum inter homines præcipuum apud *Delphos* per aliquot secula posuisse, omnes norunt. Nullubi terrarum se pro Deo hujus mundi impudentiùs venditavit. Templum *Apollinis* in iis extructum, omnium pænè gentium populorúmque *Anathematis* locupletatum, *Galli*, duce *Brenno*, in *Græciam* irrumpentes spoliare agressi sunt. Cùm autem superatis *Thermopolis*, rectà *Delphos Brennus* contendisset, oppidani metu perculsi ad oraculum confugerunt; illos statim bono animo esse, nihilque formidare jussit *Deus*; Φυλάξειν δὲ αὐτὸς ἐπηγγέλλετο τὰ ἑαυτοῦ; *se sua defensurum pollicitus*; illicò omnia prodigiorum plena. Τοῖς βαρβάροις ἀντεσήμαινε τὰ ἐκ τοῦ θεοῦ ταχύ τε καὶ ὧν ἴσμεν φανερώτατα. *Prodigia repentina & omnium quæ unquam audiverimus, evidentissima, in barbaros divinitùs extitere.* Ἥ τε γὰρ γῆ πᾶσα ὅσην ἐπεῖχεν τῶν Γαλατῶν στρατεία, βιαίως καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἐσείετο τῆς ἡμέρας. *Primum terra quantum ejus Gallorum acies occupaverat ingenti motu per totum ferme diem contremuit.* Deinde; Βρονταί τε καὶ κεραυνοὶ συνεχεῖς ἐγίνοντο, καὶ οἱ μὲν ἐξέπληττόν τε τοὺς Κελτοὺς καὶ δέχεσθαι τοῖς ὠσὶ τὰ παραγγελλόμενα ἐκώλυον. *Tonitrua & fulmina non solum Gallos exterruerunt, sed ad exaudienda quæ dabantur â ducibus signa hebetato sensu attonitos reddiderunt*; Τὰ τῶν ἡρώων τηνικαῦτα σφίσιν ἐφάνη φάσματα; ὁ Ὑπέροχος καὶ Λαόδοκος, τε καὶ Πύῤῥος; *visa præterea in eos consurgere*

gere heroum species, Hyperochus, Laodacus, & Pyrrhus; aliique. Τοι-ούτοις μὲν οἱ βάρβαροι παρὰ πᾶσαν τὴν ἡμέραν παθήμασί τε καὶ ἐκπλήξει συνείχοντο. Τὰ δὲ τῇ νυκτὶ πολλῷ σφᾶς ἔμελλεν ἀλγεινότερα ἐπιλήψεσθαι. *Atque hujusmodi quidem per totum diem terroribus & cladibus perculsi Galli fuere; nocte autem, funestioribus casibus territi & percussi.* Id quomodo factum sequentia docent. ῥῖγος, inquit, τε γὰρ ἰσχυρὸν καὶ νιφετὸς ἦν ὁμοῦ τῷ ῥίγει. πέτραι τε ἀπολισθάνουσαι τοῦ Παρνασσοῦ μεγάλαι καὶ κρημνοὶ καταρρηγνύμενοι σκοπὸν τοὺς βαρβάρους εἶχον καὶ αὐτοῖς οὐ κατὰ ἕνα ἢ δύο, ἀλλὰ κατὰ τριάκοντα καὶ ἔτι πλείοσιν, ὡς ἕκαστοι ἐν τῷ αὐτῷ φρουροῦντες, ἢ καὶ ἀναπαυόμενοι τύχοιεν ἀθρόοις ἡ ἀπώλεια ἐγίνετο ὑπὸ τῆς ἐμβολῆς τῶν κρημνῶν. *Ea nocte accerrimum frigus cum nive eos vehementer afflixit; saxa præterea ingentia & montis crepidines è Parnasso sponte avulsæ, in barbaros, quasi signum propositum corruerunt. Neque singuli aut bini opprimebantur, sed triceni & eo plures uti fortè simul aut in præsidio constitissent, aut una quiescerent, ab ingruentibus rupibus collidebantur.* In hunc modum autem territi, fracti, dissipati, ad unum omnes internecione deleti sunt. Ita Deo placuit sceleratam humani generis impietatem, atque â sui cognitione & cultu defectionem ulcisci. Quoniam enim iis visum non fuit Deum in notitia retinere, tradidit eos Deus in potestatem principis tenebrarum, eique permisit, ut ad majorem obdurationem, in δεισιδαιμονίας arcis defensione, tot tantàque prodigiosa miracula ederet. Ad eundem modum cum Antichristi sectatoribus se acturum prædixit, atque egit. Propterea enim quod amorem veritatis non receperunt ut salvi fierent, *misit iis Deus efficaciam erroris, ut crederent mendacio, atque ei deludendos tradidit, cujus adventus est ex illa vi efficaci Satanæ, cum omni potentia & signis & prodigiis mendacibus*; prout nos docet Apostolus, 2 ad Thess. 2. 9, 10, 11. Hoc tamen interest inter utriusque efficaciæ gradus, quod *Antichristus Papalis*, nunquàm nusquàm adhùc tot miracula & prodigia perpetravit, quot quantáque in Idololatriæ Ethnicæ patrocinium edidit Sathanas. Quamvis enim hujusmodi portentorum prodigiorumque myriades adversus unicum Sacræ Scripturæ testimonium ne flocci quidem sint faciendæ, tamen si quæ talia in sacrorum Pontificiorum defensione unquàm usquàm accidissent, quæ qualiáque apud *Delphos* extitere, facile conjici potest quàm avidè in rem suam illa arriperent Papicolæ, quáque insolenti gloriatione se ubivis efferrent. Hoc ideo etiam, scilicet miraculorum, freti præjudicio se ab errorum tenebris divelli facile non patiebantur. Quid enim? an Deos potentes, propitios, præsentes, quibus se, cultúmque suum, curæ, cordi fuisse, tam illustria habuere documenta, quorum numen

potestas,

potestas,summa vis, ac beneficia,tot mirandis prodigiis manifesta facta sunt, ad novæ & in mundo anteà inauditæ Religionis prædicationem, cui operi incubuerunt pauci, ignoti, superstitiosi,nihili homines, deserent? id quidem ab omni sapientiâ, constantiâ, fide, virtute, alienum satis fuisse visum est. Deumnè ignotum, Liberatorem crucifixum, Religionem *Judaicam*, relictis diis patriis, postquam per innumerabilem annorum seriem, iis bello paceque usi fuissent, recipere æquum censeri debeat? mori satius esset, quam summum hoc scelus aut dedecus in se admittere: ut verò præjudiciorum horum montes superaverit Evangelium, notum est.

Lumen propheticum nota est *Bellarmini* duodecima; non illud quidem quod in divinis veteris noviquè Testamenti Scriptoribus inerat; non illud Jesu Christi, atque Apostolorum ejus cui innititur omnis fides Christiana; sed futurorum quoddam prædicendi donum, quod nonnullos in *Romanâ Ecclesiâ* habuisse dicit, intendit *Cardinalis*. Pseudoprophetas omni ævo tàm intrà quàm extrà Dei populum extitisse omnes norunt; nihilque est in quo Sathanas hominum mentes magis fascinavit, sibique obnoxias magis reddidit, quàm rerum futurarum prædictionibus. Inter Gentiles vixere *Sybillæ*, gentilesque fuere; quarum oracula celeberrima atque omnia Idololatriæ fœdidissimæ confirmationi servientia, proùt apparet ex omnibus *vaticiniis*, ex libris eorum desumptis quæ apud *Livium, Ciceronem*, aliosque extant. Oraculum *Delphicum*, aliaque totus orbis veneratus est. Quousque Sathanas possit,quousque Deus ei permittere velit,ut futura *prædicat* non nunc disputamus. Id certum est, inter Gentiles persuasissimum fuisse, *lumen propheticum* apud se solos residisse; Deosque suos, futurorum solos fuisse præscios, atque prænuntios; donumque illud futura prænoscendi cum multis communicasse; hoc itàque etiam præjudicio occupati, veritati bellum indixerunt pertinacitèr.

In decimâ tertia notâ suâ,quæ est *Adversariorum confessio*, infælicitèr se expedit *Cardinalis*; nisi numerum *quindecim notarum* complere antea constituisset procul omni dubio, hanc ineptissimam è trivio non arripuisset. Sed utinam nulli fuissent inter *Patres* antiquos, *Scholasticos, aliosve*,qui eatenus confessione suâ Gentilismo astipulati fuerint, ut eos, si modo κατὰ λόγον viverent,in istâ superstitione salvos fieri potuisse affirmarent; neque unquam luculentiùs Testimonium ex ore ullorum adversariorum Ecclesiæ suæ, extorquebit *Cardinalis*.

Infelix eorum exitus qui se Ecclesiæ opposuerunt, decimam quartam notam constituit. Hanc etiam sibi adsciverunt Idololatræ. *Gallorum* sacrilegorum πανωλεθρίαν memoravimus. *Aurum Tholosanum,* in proverbium abiit. Eorum qui neglectis aut spretis religionibus negotium quodcunque aggressi sunt, infœlices exitus, tradunt historici omnes. Ex eo autem conjici possit, quantum fiduciæ in notâ hâc posuere Ethnici; quod cum primum Evangelium innotescere cœperit, eò secularis fœlicitatis per varios successus prosperosque rerum eventus, succrevisset omnis superstitionis metropolis, ut quo altius ascenderet non habuit. Atque inde omnes rerum eventus infaustos, bellorum exitus infœlices, malaque omnia quibus ullatenus affligebatur humanum genus, Christianis eorumque religioni imputanda esse constantèr affirmarunt. Unde *Tertullianus; prætexunt ad odii defensionem illam quoque vanitatem quod existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leones acclamatur:* Similia habet *Cyprian.* ad *Demetr.* *Augustin.* lib. 3. de Civitat. Dei, Cap. 30. & lib. 5. cap. 22. & quæstionis centesimæ vicesimæ sextæ ad Orthodoxos, posterior pars hæc est. Πῶς δὲ ὁ Ἑλληνισμὸς ὡς δείκνυται ἀσθενέστερος, ὅτι ἕως μὲν ἐκεῖνος κατεῖχε τὰς πόλεις, πᾶσαι αἱ πόλεις καὶ οἱ ἀγροὶ εὐπραγίαν καὶ εὐθηνίαν ἐκέκτηντο καὶ ταῦτα συχνότερον πολεμούμεναι· ἀφ᾽ οὗ δὲ αὐτὰς τὸ χριστιανικὸν κατέλαβε κήρυγμα, καὶ ἔτι νῦν, καὶ οἰκοῦνται καὶ τῆς λοιπῆς εὐθηνίας κατέστησαν ἔρημοι; καὶ μόλις τὰ λείψανα τῶν πάλαι ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων γεγενημένων κτισμάτων κατέχουσαι τὸ ποτὲ πόλεις γεγενῆσθαι δεικνύουσι τῆς παλαιᾶς εὐθηνίας καὶ τῆς νέας ἐρημίας ἑκατέρας τὰς θρησκείας αἰτίας ἀμφοτέρων προσάπτουσαι. Certissimum itaque est *Bellarminum* hîc non nisi *Gentilium* armis pugnare. Videantur scripta Apologetica Christianorum veterum; *Justini, Tertulliani, Arnobii, Augustini, Orosii,* quid de hâc notâ statuerint Ethnici, quid reverâ statuendum sit, ostendunt luculentèr.

Felicitas temporalis divinitus concessa, ultima nota veræ Ecclesiæ Bellarminiana est. Si ad perdendam Ecclesiam *sobrius* accessisset *notam* hanc vix adhibuisset. *Ethnica* est, *Muhammedica,* verbo Dei imprimis adversa. Eâ quidem adversus Prophetam *Jeremiam* contendit turba Idololatrica *Judæorum* in *Ægypto*, Jer. 44. 15. *Responderunt Jeremiæ omnes viri illi qui sciebant uxores suas adolere diis alienis, & omnes fœminæ ipsæ quæ adstabant congregatione magna; totus denique populus habitantium in terra Ægypti in Pathroso, dicendo; In verbo quod indixisti nobis nomine*

nomine Jehova, minime sumus auscultaturi tibi; Sed omnino facturi quodcunque verbum prodierit ex ore nostro adolendo reginæ cœli & libando ei libamina, quemadmodum fecimus nos, majoresque nostri, Reges nostri ac Principes nostri in civitatibus Judæ & in plateis Jerusalem; nam satiabamur cibo & eramus hilares, ac malum non experiebamur; ex quo verò desiimus adolere reginæ cœli, & libare ei libamina, eguimus omnibus, & gladio ac fame absumpti sumus. Eat nunc Cardinalis & doceat nos quid inter suam hancque Judæorum notam distet. Ex utraque parte accerrimè disputant, & felicitatem ex una divinitùs concessam, ex quâ cœlestium cultui se dederunt, ex altera miseriam summam ob ejus neglectam se retulisse, affirmant. Sed quid ista sunt quæso, panis, scilicet, cibus, hilaritas, si ad ea quæ Orator Ethnicus in hujus *notæ* Assertione profert, conferantur. *Quàm volumus*, inquit, P.C. *ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso ejus Gentis & terræ domestico nativoque sensu Italos ipsos ac Latinos, sed pietate & Religione atque hac una sapientia quod Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique prospeximus, omnes gentes nationesque superavimus*; Cicer. Orat. de Haruspic. Responsio. Si virum *Consularem* gravissime de Romanorum rebus gestis, victoriis, successibus prodigiosis differentem audiret *Cardinalis*, omnibusque hisce in vanissimæ superstionis confirmationem abutentem, quid quæso haberet quod reponeret? veræ Ecclesiæ, adeoque Religionis, & cultus veri, notam hæc præbere non iret inficias; manus daret necne incertum; quo se ac veritatem tueretur difficile admodum est conjicere. Ita *Dionysius Halicarn.* Antiquitat. Rom. lib. 2. affirmat se sacra Romana exposuisse, ἵνα τοῖς ἀγνοοῦσι τὴν Ῥωμαίων εὐσέβειαν ἣν οἱ ἄνδρες ἐπιτήδευον, μὴ παράδοξον φανῇ τὸ πάντα αὐτοῖς τὸ κάλλιστον λαβεῖν τέλος τοὺς πολέμους· πλεῖστον ἀπολαύσαι· τῶν γὰρ αὐτῶν τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ὑποθέσεις εὐσεβεστάτας φανήσονται ποιησάμενοι, καὶ διὰ τοῦτο μάλιστα τοὺς θεοὺς ἐσχηκότες ἐν τοῖς κινδύνοις συνεργούς. h. e. *ut quibus hactenus ignota fuit Romanorũ pietas, mirari desinant, semper eis felices contigisse bellorum exitus; omnia enim illa religiosissime ac justissimis de causis auspicati esse comperientur, ideoque deos in periculis habuisse maximè propitios.*

Atque hæc omnia in eum finem dicuntur, ut vis illa divina & efficacia Evangelii, seu de cruce Christi sermonis, qua de omni cultu Idololatrico intra breve temporis spatium insignia trophæa constituit, magis elucescat: eâ solâ freti, atque Christi in eâ præsentiâ, potentiâque,

paucissimi homines innumeros, totum mundum; pauperes rerum dominos; insipientes sapientissimos; indocti doctissimos; præjudiciis, rationibus, traditionibus antiquissimis, miraculis, argumentis iis quæ *Christiani* saltem nomine tenus irrefragabilia etiamnum censent munitos, adorti, non destitere donec per mille pericula, mortes, cruciatus, discrimina innumera totum mundum Deo atque Christo subegissent.

Cùm primum autem lumen Evangelii eluscere cœperit, dominatus sui Catholici, & antiquissimi ruinam ex multis indiciis Sathanas præsentiscere visus est. Ne tamen satiscere, aut in extremis sibi deesse videretur, nullum non movit lapidem, quo se suosque adversus veritatem cœlestem muniret, illamque opprimeret. Præterquàm enim quod immani crudelitate mancipia sua in Evangelii Professores sævire coegerit, ut si fieri potuerit, veritatem in illorum qui eam coluerunt sanguine suffocaret, etiam superstitionem illam quâ ipse unus omnia erat, varie instaurare, atque ei novas vires, novumque nitorem addere conatus est. Cum enim duæ *Gentilismi* partes fuerint; vanæ scilicet de Deo rebusque divinis opinationes, atque cultus Idololatricus; plurima fuere in utraque parte inter omnes homines receptissima, à quibus ipsa ratio humana cum illa ad examen revocaret, necesse habuit abhorrere. Ne ideo ex iis primò dubitandi de totâ illâ vanissimâ superstitione quâ illaqueati fuerunt, ansam ulli arriperent, atque proinde veritatem investigandi, statim ac Evangelii fama in mundo percrebuit, viros magnos doctosque excitavit, qui salvâ ejus αὐτοκρατορεία opiniones de Deo rebusque divinis spirituales magis, atque à rectâ ratione minus abhorrentes excogitarent, defenderentque, atque cultus celebrandi rationes minus saltem ineptas ridiculasque iis quæ vulgo in usu fuere, statuerent. In prima operis parte, *Amelius*, *Eumenius*, *Plotinus*, *Proclus*, *Hierocles*, *Celsus*, aliique sedulam ei navârunt operam. Isti enim quamvis Idololatriæ essent retinentissimi, opiniones tamen de Deo sobrias magis quam philosophorum vulgus antea tradiderat sedulò exposuerunt; atque vanas, falsas, noxias de numine sententias exploserunt. Hoc autem conatu illos ejus veritatis quam odio habuerunt beneficio, quæ jam sensim sui radios in hominum mentes immiserat usos esse certissimum est. Eorum qui cultum nefarium, atque mysteria ejus sceleratissima fuco delinire satagerunt, principes fuere, *Apollonius*,


Porphyrius,

Porphyrius, *Jamblichus*, & *Julianus*; atque in hisce constitit ultimus ruentis *Hellenismi* conatus. Præpotuit autem Dei verbum & Spiritus; donec invalescente hominum malitiâ & impietate à vero puroque Dei cultu, totus pænè terrarum orbis denuò turpiter defecerit.

Finis Libri primi.







LIBER SECUNDUS.

De Theologiæ post lapsum & ingressum peccati instauratione, & corruptione denuo.

SEU DE

Theologia Adamica sublapsaria Antediluviana.

CAPUT PRIMUM.

Theologia gradatim corrupta, gradatim instaurata. Theologia in abstracto, doctrina divina. Revelationum gradus. Theologiæ supernaturalis ortus. Primus in promissione seminis mulieris gradus. In ea promissione fœdus novum datum, initum, stabilitum. Vis vocis ברית. *Natura fœderis Deum inter & homines,* Gen. 3. 15. *explicatur. Christus mediator promissus. Agnus mactatus. Novæ Theologiæ capita præcipua. Quæ in* Gen. 3. 15. *adducunt Targumistæ. Et Paulus Epist.* Heb. 2. 14. *Dies novissimi qui. Christus mulieris semen. Recentiorum Judæorum malitia. Socinianorum* Ἀπολογία. *Vulgati interpretis Hallucinatio notissima. Commentatorum nonnullorum blasphemia. Fabritii Boderiani insania. Adami pœnitentia & gratiarū actio. Nova Theologiæ præcepta quæ et qualia. Sacrificiorum institutio. Circa eorum ortum Pontificiorum, Socinianorum, Episcopii nugæ. Smalcii sententia refutata. Porphyrii examinatur. Theologiæ Adamicæ post lapsum summa.*



QVÆ ad generales *Theologiæ* notiones pertinent Libro superiore exposuimus. Ostendimus etiam Theologiæ ἐμφύτου seu originariæ, ortum, usum, & ἀφανισμὸν. De succedaneæ alîus Theologiæ ὑπαλλακτικῆς institutione porrò agendum. Cæterum cum neque naturalis ista corrupta penitus, neque nova ista quam aggredimur instaurata ἀσινὴς, & μονοειδῶς fuerit, sed πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, illa corruptionem

corruptionem passa sit, hæc autem perfectionem suam obtinuerit, utriusque gradus celebriores, paucis exponendos duxi.

Theologiam, aut in *Abstracto* (uti loquuntur) pro doctrinâ divinâ, aut in *concreto* pro habitu mentis in Theologis, seu ἕξιν φρενὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, *Heb*. 5.14. sumi posse, antea docuimus. Ita de Astrologiâ, *Aristoteles*. *Astrologia dicitur & ipsa de rebus cœlestibus disciplina, & nautarum de iis rebus peritia.* Ἀστρολόγος enim idem antiquitùs, qui & ἀστρονόμος. Qui nescio quos siderum effectus prædicit, nunc ita nominatur. Omnis autem veri nominis Theologia *postlapsaria* ejusdem generis est. Variis revelationum gradibus objectivè tantùm aliquoties innovata. Habitus ideò iste mentis, quo doctrina illa comprehenditur & percipitur, idem prorsus est in omnibus omnium seculorum Theologis. Cùm autem multus de eo sermo nobis erit in Theologiæ propriè sic dictæ *Christianæ* consideratione, omnem ejus doctrinam eo remittendam duximus. De variis revelationis supernaturalis, seu novæ Theologiæ gradibus & progressu, primo in loco paucis agemus. Hanc autem doctrinam omnem innuit Apostolus ad *Heb.c.*1. v.1. Et quoniam iis pares penè corruptionis Theologia primigenia sortita est, illi etiam dicendi sunt.

Post ingressum peccati, atque Theologiæ naturalis ἀπωλείας & ἀφανισμὸν inde subsequentem, ex infinitâ gratiæ sapientiæ & φιλανθρωπίας divinæ abysso, prodiit Theologia *Adamica* antediluviana, seu *promissum Evangelicum* πάμφωτον. Hìc *Theologia* supernaturalis, primum vestigium firmavit, hîc ortus & primus ejus gradus erat. Hæc ergo mentis & gratiæ Dei Revelatio primò enarranda est; utque progressum ejus susceperit *Theologorum* corruptio, deinde ἀποστασία *Catholica*, atque πανωλεθρία horrenda. Veram omnem Theologiam fœderi alicui divino niti anteà ostendimus. Quamvis autem ברית nudum promissum aliquoties significet, atque in eo sensu primùm usurpetur in scripturis, Gen. 6. 18. Exod. 34.10. Isa.59. 21. tamen cum istiusmodi promissum bonum aliquod exhibeat, quod officiorum restipulationem seu συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεὸν exigat *Jerem*. 31. com. 33. omne fœdus divinum præcepta & promissa sua habere, pronuntiare possumus. Cùm ideo Deum fœdus novum cum *Adamo* lapso injisse dicimus, novam obedientiæ præscriptionem promissionibus gratiosis munitam intelligimus. Ad fœdus Deum inter & homines constituendum firmandumque nihil præter requiritur. Fœdus autem illud gratiæ fuisse dicimus, quia

quia in alio, seu mediatore gratuito fundatum. Quodcunque enim fœdus immediatè cum hominibus iniri potuerit, quamvis obedientiam κατ᾽ ἐπιείκειαν & sine rigore exegerit, operum futurum esset. Fœdus ideo hoc novum, gratiæ erat, quia in alio fundatum, qui conditiones ejus omnes præstare tenebatur. Istius autem fœderis promissis & præceptis constitit nova hæc Theologia.

Fœderis autem hujus fundamentum & naturam in celeberrimâ ista seminis victricis promissione contemplari licet. Gen. 3. 15. ואיבה אשית בינך ובין האשה ובין זרעך ובין זרעה הוא ישופך ראש ואתה תשופנו עקב *& inimicitiam ponam inter te, & inter mulierem; & inter semen tuum, & inter semen ejus; ipse conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.* Heic primo Christus promissus est; unde ὁ λόγος postea dictus; hoc est, is de quo *sermo* ille Dei salutaris, seu verbum promissionis factum est. *Verbum* enim sæpenumero absolute pro promisso usurpatur; ut *Anglicè* dicimus; **I will give you my word for it; and, I will make good my word; that is my promise;** quod observatum doctissimo *Cartwrighto* in *Hermon. Evang.* In hoc etiam promisso, *Agnus* is erat *mactatus*; mactandus quidem respectu eventus realis, mactatus respectu effectus salutiferi; statim scilicet *à jactis mundi fundamentis.* Hæc inquam novæ Theologiæ summa est. Hic vero Paradisi fluvius (ut ita loquar) in quatuor capita se diffindit; nempe, justitiam, atque vi ejus acceptationem gratiosam, haud amplius domi, & in obedientia nativis viribus præstanda petendam, sed ab alio, qui mortis æternæ periculum esset propulsaturus gratis accipiendam esse, hîc primo revelatur. De morte, merito peccati, peccatorum coram Deo justificatione, jam tum Deum inter & πρωτοπλάστους agebatur. Ad causam dicendam *Adamum v. nono* vocat; *undecimo* peccati postulat, & reum peragit; mortem sonti pronuntiat, v. *decimo octavo*; fœdus enim operum illum irritum penitùs fecisse, gravissima ista expostulatione, *num comedisti de arbore, de quâ præcepi tibi ne comederes*, ostendit; adeoque omnem sibi cum Deo communionem ademisse. De Renovatione communitatis ideo per alium hic agitur. Sibi enim in se homini peccatori spem nullam sitam esse, clarissimè docuerat. Deinde, sospitatorem hunc, seu illum alterum per quem omnimoda salus in posterum expectanda foret, in mundum inducendum per ἐνανθρώπησιν, *faciendum nempe à muliere*, Galat. 4. 4. unde hîc dicitur *semen mulieris*; quam inductionem Apostolus εἰσαγωγὴν τοῦ πρωτοτόκου εἰς τὴν οἰκουμένην vocat *Heb.* 1. 6. quaque iste dicitur εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον. *Heb.* 10. 5. Prout itaque

suasore

ſuaſore & impulſore ſerpente peccatum per *mulierem* in mundum intraverit, per eam etiam remedium proventurum Deus promittit. *Tertio* ut perfectus Liberator exiſteret, debere eum & pati, & vincere ſerpentem; *morſus* enim *calcanei* per ſerpentem, plagam infert lethalem. Mortem ideò pro peccato & peccatoribus, Liberatorem ex ſemine mulieris guſtaturum prænuntiat, *Heb.* 2. 9. Cumque Sathanas victoriam quam ex humano genere recens reportaverat, ad æternam omnium internecionem perſequi & excercere voluerit, *ſemen* illud non tantum ei victoriam è manibus erepturum, ſpoliaque cum forti iſto diviſurum, *Iſa.* 53. 12 ſed & ipſum Sathanam debellaturum, operaque ejus everſurum Deus promittit. Ultimo in loco, Servatorem hunc optimum, atque victorem ſummum, cum æternâ iſtâ juſtitiâ, ſeu צדק עלמים *Dan.* 9. 24 quam eſſet reducturus, fide apprehendendum eſſe; Id & natura rei, & modus Revelationis poſtulat. Cum enim perditis & maledictis peccatoribus, omnimoda ſalus ab alio quopiam expetenda & expectanda annuntiatur, quàm ut ei confidant, inque eo ſpem totam ſeipſos abnegantes collocent, quo ſalutis iſtius participes fiant, abſolutè nihil amplius requiritur. Revelationis modus in promiſſione conſiſtit; qui etiam fidem exigit; intelligi enim non poteſt quomodo quis promiſſæ rei obtinendæ ſe accingat, niſi fidem adhibendo ipſi promiſſioni. Hiſce autem capitibus omnem de *Mediatoris* Perſona, & Officio, de Iuſtificatione gratuita, de Reſipiſcentia, de Morte æterna, Vita & præmio, de Reſurrectione carnis, doctrinam (utut obſcuriùs) contineri, facilè eſſet probare.

Promiſſionem autem hanc *Meſſiam* reſpexiſſe, antiquiores *Iudæi* agnoverunt, recentiores negant. Targ. *Ion. Ben. Uzziel. medicinam adhibebunt calcaneo.* ביומי מלכא משיחא *in diebus Regis Meſſiæ.* Targ. Hieruſal. *incolumitatem præſtent in calcaneo* בסוף עקב יומיא ביומוי דמלכא משיחא *in fine extremitatis, diebus ejus Regis Meſſiæ;* & inquit, *erit memor tibi*, aut *tui*, eſt vox minantis, ut *angliè* dicimus, re-member this, quo talionem minamur. Vulnus autem ſerpentis inſanabile fore docet uterque *paraphraſtes*. In eundem ſenſum *Paulus* cum *Iudæis* agens, ex communi eorum tunc temporis fide, promiſſum hoc enarrat, *Heb.* 2. 14. Ἐπεὶ οὖν τὰ παιδία κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, καὶ αὐτὸς παραπλησίως μετέσχε τῶν αὐτῶν, ἵνα διὰ τοῦ θανάτου καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι τὸν διάβολον. v. 15. καὶ ἀπαλλάξῃ τούτους ὅσοι φόβῳ θανάτου διὰ παντὸς τοῦ ζῆν ἔνοχοι ἦσαν δουλείας. Quæ verba quid aliud ſonant, quàm *medicinam*, ſeu *remedium* paratum eſſe morſui ſerpentis

per *Messiam*. Hoc vero factum fore ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, hoc est, בסיף עקב יומיא Dies *Messiæ*, dies novissimos esse, etiam alibi asserit Apostolus, scil. Cap. 1. v. 2. Porro *medicinam serpenti paratam* haud esse, quod utrumque Targum disertè affirmat, docet idem Apostolus, Cap. 2. v. 16. οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. Ita etiam in *Midrash Tehillim*, ad Psal. 1. הכלמתרפאים לעתיד לבא חוץ מן הנחש *omnia sanabuntur in futuro seculo præter serpentem*. Apostolus autem ex principiis inter *Judæos* olim concessis, in Epistolâ ad *Hebræos* disputare, commentariis nostris ad eam Epistolam (σὺν θεῷ) ostendemus. *Judæi* recentiores odio Christi in aliâ sunt sententiâ; rectè *Fagius*; *hinc videamus majorem sinceritatem fuisse apud veteres Hebræos in interpretatione scripturarum, quam sit hodie apud recentiores Judæorum scriptores, qui sæpe data operâ, clarissimos eosque præcipuos scripturæ locos depravant, & in suum sensum malignè detorquent.* *Josephus* olim verborum cortici hæsit. lib. 1. cap. 3. ἀρχαι. Nescio quas *Allegorias* fingit *Philo*. *Sociniani* negant ullum hic haberi de Christo promissum. *Si negemus ibi promissionem esse, sed maledictionem, eamque sicut aliæ omnes sunt, temporalem, quæ inimicitias hominum & serpentum significet, cum anteà nulla esset, quid quæso adferet Carolius quo λόγον ibi promissum confirmet? Johan. Sommerus* adv. *Petrum Carolium*. Lib 2. cap 3. Fol. 73. Hinc in expositione graduum Revelationis voluntatis divinæ, locum hunc perpetuo silentiò prætereunt *Volkel.* de ver. Relig. lib. 2. cap. 8. p. 13, 14. & qui ejus vestigiis inhæret, Simon. Episcop. lib. 2. Instit. Theol. cap. 11. Expressè *Valentinus Smalcius*, Refutat. Thes. Frantzii disputat. 4. p. 94. *Evangelium* (inquit) *mox in* Paradiso *constitutionis suæ primordia sumpsisse, verba sunt Franzii, nullâ sacrarum literarum Authoritate, nulla ratione confirmata. Si dicat verba illa*, semen mulieris conteret caput serpentis, *posse ad Christum & ad victoriam quam de sathana reportavit intelligi, quod solum est quod ab omnibus urgetur & quod ex his verbis elici potest, respondeo nihil id ad propositum facere. Multa enim dicta extant in sacris literis de rebus aliis prolata, quæ postea sub novo fœdere ad Christum & ad ea quæ ad fœdus novum pertinent referri possunt. Habere autem illa pro vaticiniis & promissis, eorum est qui non habent, unde apertè suas probent opiniones. Et certè si Evangelii primordia cœpissent in Paradiso, vix credibile videtur, fieri potuisse, ut aliquis sacrorum scriptorum novi fœderis, semel saltem, illud vaticinium non allegasset, quod tamen nusquam factum esse ipsâ luce clarius est.* Vidimus quæ sit hujus hominis de vaticinio & promisso hoc Euangelico sententia. Ad Christum illud directè pertinere negat; idque

idque audactèr; aut ejus in novo Testamento mentionem ullam fieri. Sed non omnium eadem est sententia. Christum, *semen illud mulieris, in Paradiso lapsis hominibus à Deo promissum, contriturum caput serpentis infernalis*, vocat *Jeremias Felbengerus*; *Demonstrat. Evangel.* p. 17. Mentionem autem promissi hujus in novo fœdere fieri impudentèr nimis negat *Smalcius*. Serpens est *Diabolus*, 2 Cor. 11.3. Apocal. 12 9,14. cap. 20. 2. impii sunt γεννήματα ἐχιδνῶν, Mat. 3. 7. ἐκ πατρὸς διαβόλου, *Joh.* 8. 44. qui ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς, & ἀπ' ἀρχῆς ἁμαρτάνει, 1 *Joh.* 3 8. per seductionem communium hominum parentum, quâ omnes occidit. Deinde *semen mulieris* Christus est, *Heb.* 2. 14. *Gal.* 4. 4. *Gal.* 3. 16. Ipsum autem contrivisse caput istius serpentis non negabunt opinor *Sociniani*; vid. *Ioh.* 14. 30. *Luk.* 10. 18. *Ioh.* 12. 31. 1 *Cor.* 15. 54. *Heb.* 2. 14. 1 *Ioh.* 3. 8. sed de hisce alibi. *Vulgatus interpres* habet, *ipsa conteret*; & nescio quid inde blasphemum de *beatâ virgine*, blaterant Commentatores, stupore plane asinino. זרע generis est *masculini*, ei respondet Pronomen הוא *ipse*. Ideo quamvis seniores reddant זרע per σπέρμα, & non per σπόρος, tamen loco τοῦ הוא habent αὐτός, ad rem ipsam non verba attendentes; more veterum; ita *Comicus*; *ubi scelus, qui me perdidit?* Eadem loquendi formula in novo testamento haud insolens; μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτούς. *Mat.* 28. 19. & formâ adversa, ὃ (nempe σπόρος) ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδὸν καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατέφαγεν αὐτό. *Luk.* 8. 5. & πάλιν ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν, ὅ ἐστιν ἀληθὲς ἐν αὐτῷ, καὶ ἐν ὑμῖν. 1 *Joh.* 2,8. & *Apoc.* 17. 16. Καὶ τὰ δέκα κέρατα ἃ εἶδες ἐπὶ τὸ θηρίον οὗτοι μισήσουσι τὴν πόρνην: quare? quia κέρατα illa revera fuere βασιλεῖς. Masc. gen. lectionem illam rejicit *Hieronymus*, tanquam veritati Hebraicæ contrariam. Trad. Heb. in Gen Detestanda ideo audacia *Guidonis Fabritii Boderiani*, viri sane docti, sed superstitionibus obnoxii, qui in Editione *interlineari Platinianâ* pro הוא, היא substituere aggressus est. Variæ lectionis vestigium hic nullum esse apparet, apud solertissimum istiusmodi varietatum indagatorem *Lud. Capell. Critic. Sac.* Lib. 5 cap. 11. sect. 4. pro היא autem, vel curâ, ut falsi crimen innotesceret, vel incuriâ impressorum irrepsit הית quæ vox *hebræa* non est. Accepto autem hoc promisso *Adamum* pœnitentiam egisse atque a peccato fuisse liberatum ostendit *Author* libri, cui titulum fecit *Sapient. Solomonis*, cap. 10. Αὕτη (sapientia, scilicet) πρωτόπλαστον πατέρα κόσμου μόνον κτισθέντα διεφύλαξε καὶ ἐξείλατο αὐτὸν ἐκ παραπτώματος ἰδίου. Et *Targ.* in *Cantic. Cantic.* cap. 1. v. 1. ex traditione *Judaica*, *Adamum* post remissionem peccati sui, die Sabbati *Canticum* præstans Deo dixisse, affirmat. Per novam hanc Gratiæ, Redemptionis, & Remissionis

peccatorum morte Mediatoris obtinendæ Revelationem immutata prorsus est tota *Theologia* hominum peccatorũ natura specialis, Mansit quidem finis ultimus omni *Theologiæ* communis, qui est fruitio Dei æterna. Non tantum autem Doctrinis, sed & principiis & mediis innovationem factam esse, ostendet plenior *Evangelicæ* Theologiæ enarratio.

Præcepta ad novam hanc *Theologiam* pertinentia duûm generum fuere. Primò enim omnia præcepta moralia, quibus magnam partem constitit Theologia ἔμφυτος, in novæ hujusce usum translata sunt. Lumen illud nativum moralium operationum directivum, quod menti primi hominis in ipsa creatione Deus indidit, ex gratiosa ipsius οἰκονομίᾳ etiam post lapsum corruptum licet & debilitatum, ἐκ μέρους in omnibus posteris ejus mansisse, superiùs fusiùs demonstravimus. Illud autem in iis qui novam hanc Revelationem fide sunt amplexi, per spiritum suum indies fovere Deus non destitit. Hinc quamvis adhuc verbo προφορικῷ, ea præcepta nondum signata erant, perfecta tamen evasere obedientiæ regula: fide eis novum usum, & Theologis novum lumen suppeditante.

Alia præcepta nulla Adamo data fuerunt in vivendi normam, præter luminis naturalis honestum à turpe discernentis reliquias. Illæ fide excitatæ & directæ, ei fini suffecerunt. Et exempla obedientiæ secundum legem hanc præstitæ *ante-diluviana* plurima extant. Gen. 4.4,6,7. & cap.6.1.& 2. De septem præceptis, quæ nonnulli *Adamo*, alii *Noacho*, tradita fuisse affirmant, postea agendum. Illud certissimum, omne officium humanum præceptis Dei niti.

Et quidem lumen illud ἔμφυτον, seu Theologia ἀδιάθετος, ad omnia *decalogi* præcepta se extendit. Prout autem Deo visum fuit, *præceptum secundum*, quo ipsius voluntas, de modo cultus omnis, æternum stabilitur, in ipso statu integritatis per mandatum arbitrarium de non comedendo fructu *arboris scientiæ boni & mali*, ad statum istum accommodum, explanare & firmare; ita etiam post ingressum peccati, atque peccatorum per *semen mulieris* reparationis promissionem idem præceptum novo mandato, ad statum istum accommodum, per cujus nempe obedientiam, & fidem promissioni exhibitam, & novum usum legis ἐμφύτου exprimere poterant, stabilire ei placuit. Hæc erat *sacrificiorum* institutio, quæ totam *Theologiam Adamicam postlapsariam* absolvit.

Sacri-

Sacrificiorum quidem ortum lumini naturali adjudicant *Pontificii*, atque hunc ritum Deum colendi in statu innocentiæ locum & usum habiturum fuisse contendunt. Gregor. de Valent. de Sacrific. Miss. lib. 1. cap. 4. Bellar. lib. 1. de Miss. cap. 24. Lessius de Iustit. & jur. l. 2. Suarez. in 3. p. Th. distin. 71. § 8. Hoc figmento, aliisque plurimis *missa* opus est; ipsa figmentum portentosissimum. Ex rectâ ratione, qua concludit homo Deum cum optimis quæ ei sunt in peculio, se colere debere, ritum hunc originem traxisse suspicantur *Sociniani*; ac *Arminianus Episcopius*. *Abel* (inquit) *fide solâ, nullo præcepto divino adductus, id est, rationis rectæ solius instinctu, Deum judicavit colendum esse rebus quas habebat in peculo suo optimis; id est, sacrificiis de primogeniis pecudum suarum, & de eorum adipe.* Instit. Theol. lib. 1. c. 8. ſ. 3. κῆϕο·. Quasi quis aliquid ex fide agere posit nullo præcepto divino adductus? vel idem esset *ex fide* agere, & *ex rectâ ratione*, sine præcepto ullo; vel ulla fides esset, quæ non respiceret & præceptum, & promissum; aut Deus novos modos cultus sui inveniendi copiam indulserit arbitrio creaturarum; vel tota hæc fuisset ratio sacrificii *Abelis*, quod Deum colendum esse rebus quas in peculio suo optimas habuit statuerit? quæ omnia planè ἀϑεόλογα. Idem *Episcopius* alibi etiam hujus ritus ortum investigans iterum sententiam hanc audactèr reponit. *Sine periculo* (inquit) *credi potest, ritum istum sacrificandi inductum fuisse ab ipso mundi primordio ex ingente quodam zelo atque affectu Deum demerendi & honorandi isto singulari actu & officiò, quo optima charissima & pretiosissima quæque honori Dei impendebantur; atque ita publicitum demonstrabatur ista omnia majori jure Deo deberi quam hominibus; quorum usui atque esui adeoque voluntati quotidie serviebant: Deum autem ritum istum etiamsi fortè optimus non videretur (neque enim credibile est Deum sanguine & cæde innocentium animalium delectari; quæ ratio fortè etiam sufficit ut credamus ritum hunc ab ipso Deo imperatum non fuisse) tamen quia ex tam religioso animo proveniebat, gratum habere voluisse, & ut porro semper usitaretur pro benignitate sua permisisse; adeoque postea tandem etiam charissimo populo suo injunxisse atque præscripsisse, nihil vetat*; nihil vetat inquis *Episcopi?* Imo quicquid de Deo cognosci potest naturaliter, quicquid de se aut voluntate suâ in Scripturis ipse revelavit, *vetat*, ne huic absurdissimæ fabulæ fidem habeamus. Quid enim? an sapientiam & voluntatem Dei ita sapientiæ & voluntatis miserorum peccatorum pedissequas statuere æquum est, ut quod isti in cultu ejus invenerint, quamvis neque optimum quod inveniri potuerit, nec ipsi gratum, tamen

non tantum gratiosè permitteret, acceptaret, & sed severissimè sub pœna mortis & excidii toti Ecclesiæ suæ per annos bis mille observandum injungeret? Hoccine nos credere permittet τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, quod nil nisi summè perfectum Deo ascribendum clamat? hoccine scriptura, ubi toties Deus ipse, omnia inventa humana, in cultu suo, rejicit, damnat? Nihilne erat in antiquis sacrificiis, præter affectum *optimorum carissimorum* Deo impendendi? Nihilne hæc ad Christum ejusque sacrificium? Nullum divinæ sapientiæ & bonitatis in iis specimem, nisi quod mortalibus viis suis insistere permisit, quod non nisi magnæ maledictionis loco facit? Nihil instructionis divinæ, nullum fidei in *Messiam* venturum fulcrum in illis constitutum? Sed pudet istiusmodi næniis immorari.

Scimus quid sit humanum genus, ac quales sint è quibus constat; neque quid actum esset de cultu divino, si modo minima ejus particula indulta esset humano arbitrio, difficile est conjicere. Neque solennem istum ritum quo totum de filii sui unigeniti morte atque merito mysterium exponere Deo placuit, ab alio fonte, quam à proprio suæ voluntatis consilio originem duxisse fas est judicare. Fœdere novo inito, facta est *peccatorum remissio*. Eam vero χωρὶς αἱματεκχυσίας fieri non posse docet *Apostolus*, Heb. 9, 22. Sanguine ideo *sacrificali* (forsan pecudum ex quarum pellibus Deus tunicas *protoplastis* concinnavit) fœdus illud ex Dei institutione sancitum est.

Solus est inter philosophos *Porphyrius*, qui datâ opera Sacrificiorum primordia investigare aggressus est. Illius ideo sententiam præsertim cum nonnulla contineat, quorum notitia lucem aliquam locis quibusdam sacræ Scripturæ affere potest, ὡς ἐν παρόδῳ, enarrare placet. Libro secundo περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, seu de *Abstinentiâ ab Animalibus necandis* opus aggreditur. Primò ideò Sacrificiorum omnium originem grato hominum animo adjudicat, & proposito Deum colendi optimis quæ haberent in peculio. Τῶν εὐεργεσιῶν, inquit, τὰς ἀμοιβὰς καὶ τὰς χάριτας ἄλλοις μὲν ἄλλως ἀποδοτέον κατὰ τὴν ἀξίαν τῆς εὐποιΐας, τοῖς δὲ εἰς τὰ μέγιστα ἡμᾶς εὐπεποιηκόσιν, τὰς μεγίστας, καὶ ἀπὸ τῶν τιμιωτέρων. καὶ μάλιστα εἰ αὐτοὶ εἶεν τούτων παρέσχοι, κάλλιστα δὲ καὶ τιμιώτατα ὧν ἡμᾶς οἱ θεοὶ εὐποιοῦσιν οἱ καρποὶ —— ὥστε ἀπὸ τούτων αὐτοὺς τιμητέον. *Benefacta compensare & gratias aliis quidem aliter pro beneficii dignitate reddere oportet; & maximas quidem, nec non ex optimis illis qui optimè de nobis meriti sunt. Idque præcipuè si illi ipsi optimorum istorum sint nobis Authores. Optima verò & pretiosissima*

ſima quibus nos dii afficiunt ſunt terræ fructus ; ex his igitur Deos colere oportet, Vera autem ſunt quæ affirmat, & ſacræ Scripturæ ſatis congrua. Vid. *Proverb.* 3. & v. 9. Hunc autem ortum, ritum ſacrificandi habuiſſe, multis ibidem perficere aggreditur. Etenim inquit καθάπερ τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν οὕτω κἀκείνοις ἡγούμεθα δεῖν ποιεῖσθαι τὰς ἀπαρχὰς, *ſicut viris bonis, ita & illis* (hoc eſt Diis) *rerum noſtrarum primitias ſolvere æquum eſſe exiſtimamus. Ægyptos* morem hanc ab immenſo tempore uſurpaſſe docet ; alibi autem alios quoſvis ἀπ' ἀρχῆς idem feciſſe. Sec. 5. Cultum autem hanc religioſam rectam rationem, & ex eâ debitam erga Benefactorem optimum obſervantiam poſtulaſſe affirmat ; juxta quam ſententiam Chriſtianos quoſdam ſentiri oſtenſum eſt. Porrò Πυλησιῶν ἀποθέσει de *carnibus non comedendis* in *Caini* partes delatus, ſolos terræ fructus in ſacrificia adhibendos contendit. Sacrificia enim ab initio rerum nationumque ex herbis, frumento & floribus, non *myrrhâ*, aut *Caſia*, aut Thuris croco miſtis, ſed puris, prout ea terra protulit, facta fuiſſe narrat ; nec niſi multis poſt ſeculis, errore per gradus ingraveſcente, ex aliis rebus quibuſcunque oblata fuiſſe. Gens antiquiſſima, inquit *Ægyptiaca* ἤρξατο πρῶτον ἀφ' ἑστίας τοῖς οὐρανίοις θεοῖς θύειν, οὐ σμύρνης οὐδὲ κασσίας καὶ λιβανωτοῦ κρόκῳ μιχθέντων ἀπαρχὰς, οὐ τούτων ἔθυον πρότερον ; ἀλλὰ χλόης ὡς ἄν τινα τοῖς γονίμοις φύσεως χνοῦν ταῖς χερσὶν ἀράμενοι. Sec. 5. Atque ſententiam iſtam per maximam iſtius libri partem enarrat firmatque. Animalium vero ſeu ſanguinis in ſacrificiis oblationem non niſi ſerò admodum invaleſcentibus nequitiâ, impietate & ſuperſtitione inductam fuiſſe in uſum contendit, idque plurimis cultum iſtum oraculis improbantibus, & non niſi multâ adhibitâ cautione tandem permittentibus. Επισκόπῳ inquit, ὃς ἦν ἔκγονος θεοπρόπων βουληθέντι προβάτων τινὰ ἀπάρξασθαι, ἐπιτρέψαι μὲν φασὶ τὸ λόγιον, σὺν πολλῇ δ' εὐλαβείᾳ, ἔχει γὰρ οὕτως,

Οὔ σε θέμις κτείνειν οἴων γένος ἐστὶ βιαίως
Ἔγγονε θειοπρόπων. ὃ δ' ἑκούσιον ἂν κατανεύσῃ
Χέρνιβ' ἔπι θύειν τὸ δ' ἐπίσκοπε, φημὶ δικαίως.

Sacrorum inſpectori qui ex vatum erat familiâ, volenti ex ovibus primitias dare, veniam aiunt oraculum conceſſiſſe, ſed cum multa cautione, ejus enim hæc ſunt verba.

Vi tibi non fas eſt pecudes mactare, oriunde
Vatibus, at mortem ſiqua ſponte annuat, illam
In ſacris, manibus lotis, occidere poſſis.

Atque

Atque illa cautio institutis divinis planè contraria, quibus omnia quæ sponte moriebantur, impura prorsus fuere. Porrò instituto insistens, supremum aliquod numen esse docet, quòd bonum & sanctum cum sit, nil nisi quod bonum, & hominibus gratum & utile agit, aut agere potest. Hoc ei scilicet naturale esse arbitratus est, à quo ut discedat impossibile. Τούτους ἀδύνατον ἐστὶν inquit, Sec. 38. καὶ τὰς ὠφελείας ἐκπορίζειν, καὶ πάλιν αὖ βλάβης ἐν τοῖς αὐτοῖς, αἰτίους γίνεσθαι. *Hos* (bonos scilicet Deos) *impossibile est, & commoda suppeditare & rursus damnorum autores esse.* His adnumerat bonos Genios seu Angelos, διαγγέλλοντας τὰ παρ' ἀνθρώπων θεοῖς, καὶ τὰ παρὰ θεῶν ἀνθρώποις, τὰς μὲν παρ' ἡμῶν εὐχὰς ὡς πρὸς δικαστὰς ἀναφέροντας τοῖς θεοῖς; τὰς δὲ κλ: *apud deos & homines internuntios, preces nostras ad Deos tanquam ad Judices ferentes.* Numinis autem Optimi Maximi, 'seu Deorum bonorum cultum, non sacrificiis, sed affectionum depositione, mentis à rebus corporeis abstractione, cœlestium contemplatione, eorumque amore & prosequutione, quæ ratio, non quæ phantasia dictitat, peragendum esse, disputat. Esse præterea malos & noxios spiritus seu dæmones, qui aerem terræ proximum incolentes malorum omnium, morborum scilicet, famis, pestium, terræ motuum, bellorum Autores sunt & causæ. Hos autem mendaces & superbos esse statuit, Dei optimi maximi vicem & locum apud humanum genus occupare gestientes. τὸ ψεῦδος, inquit, τούτοις οἰκεῖον βούλονται γὰρ εἶναι θεοὶ, καὶ ἡ προεστῶσα αὐτῶν δύναμις δοκεῖν θεὸς εἶναι ὁ μέγιστος; *Mentiri ipsis proprium est, cupiunt enim omnes pro diis haberi, & potestas illa quæ cæteris præest, pro Deo maximo censeri vellet.* Quæ ipse ex libris sacris hausit; quos veterum Philosophorum nemo diligentiùs, aut animo malitia magis occupato evolvit. Illud nempe τὸ ψεῦδος τούτοις οἰκεῖον planissimè refert verba illa Domini nostri Jesu Christi, Johan. 8. ver. 44. ὅταν λαλῇ, diabolus scilicet, τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, ὅτι ψεύστης ἐστὶ καὶ πατὴρ αὐτοῦ. Reliqua ex eodem fonte derivata in lacunas *Platonicas* divertuntur. Dæmonibus autem istis necesse habere sacrificia offerre, docet, qui rebus corporeis & terrenis addicti, quarum ipsi potentes sunt, atque pravis affectionibus dediti. ὡς γὰρ φασιν οἱ θεολόγοι τοῖς δεομένοις ἀπὸ τῶν ἐκτὸς, καὶ μηδέπω κρατοῦσιν τῶν παθῶν, ἀναγκαῖον ἀποτρέπειν καὶ ταύτην τὴν δύναμιν, εἰ δὲ μὴ πόνων οὐ λήξουσιν. *Uti enim,* inquit, *aiunt Theologi, illis qui rebus externis illigantur, nec possint affectus suos coercere, necessarium est, horum Geniorum vim seu invidiam amoliri; aliter nunquam molestiis vacabunt.* Istis autem & nemini prætereà animalium sacrificia oblata esse, quorum fumo & nidore quod in eis æthereum est, & ad substantiam corpoream proximè accedit, saginatur, pluribus contendit. Ὁ εὐσεβείας

φροντίζων,

φροντίζων, ὡς θεοῖς μὲν οὐ θύσει ἔμψυχον οὐδὲν, δαίμοσι δὲ καὶ ἄλλοις ἤτοι ἀγαθοῖς ἢ καὶ φαύλοις. h. e. *Pietatis studiosus, nihil animatum sacrificat diis, sed demonibus, & aliis numinibus sive bonis sive malis.* Ubi confitentem habemus reum; Gentes scilicet non Deum sed Dæmonas sacrificiis coluisse; quod nefas iisdem pænè verbis anteà eis exprobraverat Apostolus Paulus, 1 Cor. cap. 10. ver. 20. ἃ θύει, inquit, τὰ ἔθνη, δαιμονίοις θύει καὶ οὐ θεῷ. Itaque Testimonio hoc adversus gentes utuntur; *Euseb.* præpar. Evangel. lib. 3. *Augustin.* de Civitat. Dei. lib. 10. *Theodoret. Therapeut.* Serm. 3. Adeò ut non immerito pronuntiaverit in vita *Porphyr:* Lucas Holstenius, *Nullum omnino* τῶν ἔξω *plura aut fortiora tela Doctoribus Ecclesiæ suppeditasse, quibus multiplicem Gentilium errorem jugularent quam iste Porphyrius.* Ea vis veritatis est, undique sibi constantis, & per omnes errorum anfractus sui particulas inserentis, ut invitis sæpe excidat.

Atque hæc summa erat *Theologia Adamicæ postlapsariæ.* Tribus istis partibus, quas exposuimus, consistit omnis Theologia peccatorum. Graduum tantum erat subsequens variatio. Fundamentum totius in promissione ponitur, quam, per varia lucis incrementa in Ecclesiæ usum diductam, exhibuit tandem & plenè exposuit *Evangelium.* Deo obediendi normam, seu legem ἔμφυτον, expressit tempore constituto *Decalogus*; cujus naturam & usum exposuerunt Prophetæ. Cultus Externi seu Cæremonialis, & beneplaciti Divini, exemplar in *Sacrificiorum* institutione firmatum est; in omnem autem posteritatem θεοπρόπον sanctè consecratum; CVLTVM NVLLVM DEO ACCEPTVM NISI AB IPSO INSTITVTVM.

CAPUT SECUNDUM.

Novæ Ecclesiæ ad normam Theologiæ post-lapsariæ institutio. Adami in ejus ædificatione studium & officium. Quamdiu pura duravit. Defectio in Caino Apostatâ. Defectionis illius natura, gradus & modus. Respexit Jehovah super Abel & munus ejus. Veterum nonnullorum παρεξήγησις. Translationis τῶν LXX obscuritas. Sacrificium Cainiticum quare à Deo rejectum. De verbis Mosis, & dixit Cain ad Habel fratrem suum. Gen. 4. 5. *τῶν Targumim fabulæ. Cainus Ecclesiâ motus, eam fugit, promissioni misericordiæ diffisus. Ecclesiæ in ejectione & Maledictione Caini Reformatio.*

AD normam Theologiæ quam exposuimus prima peccatorum Ecclesia in Familia *Adami* instituta est. Is erat finis ejus proximus; ut cœtus Deum in Mediatore colentium constitueretur. Ejus operis cura *Adamo* incubuit. Cum enim totius generis humani esset Pater Familias, & promissionem Seminis victricis, posteris omnibus prædicandam acceperit, illius officii nexu, & Naturæ, & positivi præcepti juris, virtute tenebatur. Officio isti eum non defuisse, plurima sunt, quæ suadent. Munere enim mandato ut sedulò fungeretur, effecerunt sine dubio, beneficium à Deo maximum recens acceptum, sui generis Amor & misericordia, atque in quem statum per peccatum redegisset miseros posteros, sensus tenerrimus. Tota itaque illius Familia, ipso curante & regente, hoc est totum in universum humanum genus, nemine excepto, Dei erat Ecclesia, in quâ fides, observantia, & cultus religiosus viguerunt. Eo rerum statu erat Ecclesia absolutè *Catholica*. Quantum autem temporis spatium in Theologiæ novæ professione irreprehensibilis duravit, haud planè indubium: primam defectionis labem in *Caini* Apostasia admisit. Ea ideo cùm primum Ecclesiæ peccatorum cultum Dei in Mediatore profitentium defectionis specimen ediderit, paucis enarranda est.

Tres fuisse Theologiæ hujus partes anteà ostendimus. Adversus eas omnes peccavit Apostata. Fundamentum totius erat promissum Mediatoris. Ab infidelitate autem, *Caini* defectionem incepisse, *Abelis* fidem celebrans ostendit Apostolus. *Heb. cap.* 11. *ver.* 4. Neque à Deo admonitus peccatum agnovit, quæ ἀμετανοησία ab eadem radice pullulavit.

vit. Dein cultum institutum secus quam oportuit, præstitit; atque heic primò se exeruit intus diu latens ἀπιστία; postremo à fide deficientem in fratricidium protrusit ira & invidia; quo rectæ rationis dictamen seu legem ἔμφυτον transgressus est. Ita in totum fœdus divinum, & partes ejus singulas, peccator extitit & rebellis. Hinc Hypocritarum primus, reliquorum omnium ad finem seculi dux factus est & τύπος, 1 *Johan. cap.* 3. *ver.* 12.

Deum acceptationem Sacrificii *Abelis*, igne è cœlo qui illud devoraret immisso, testatum fuisse, nonnulli olim arbitrati sunt. Ita verba illa, *Gen. cap.* 4. *ver.* 4. וישע יהוה אל הבל ואל מנחתו transtulit *Theodotion*; καὶ ἐνεπύρισεν, *& inflammavit Dominus super Habel.* Eam expositionem laudat *Hieronymus, Tradit. Heb.* in *Gen.* Mira est seniorum in *Gen. cap.* 4. *ver.* 6,7. παράφρασις, quæ in peccati *Cainitici* expositione veterum multos in devia coegit. Verba sunt: καὶ εἶπε κύριος ὁ θεὸς τῷ Κάϊν, ἵνα τί περίλυπος ἐγένου; καὶ ἵνα τί συνέπεσε τὸ πρόσωπόν σου; οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς ἥμαρτες, ἡσύχασον, πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ. Quid sibi velint verba ista, *si rectè obtuleris, non autem rectè diviseris* planè incertum. Ad Textum sacrum haud pertinent. Insignes sunt eorum occasione, *Augustini, de Civit. Dei*, lib. 15. cap. 7. *Chrysostomi*, in cap. 4. Gen: Homil: 18. *Cyrilli* ad Julian: aliorûmque hallucinationes, & παρεργίαι. *Hieronymus* Tradit: Heb: in Gen: 4. παρόραμα hoc τῶν ὁ perstringit acritèr; nec tamen fine lapsu μνημονικῷ. חטאה *Peccatum*, inquit, *apud Hebræos generis est masculini, sed in Græco sermone fœminini.* Nam certum est חטאת generis esse fœminini. Fefellit Hieronymum, quod heic loci cum רבץ participio generis masculini jungatur. Sed illud apud Hebræos haud insolens; & hujus loci tollunt ἀνωμαλίαν, חטא & און idem ac חטאת utrúmque significans, in genere masculino. Fontem lapsus detegit in locum, doctissimus Mercerus. Dicam brevi quod res est. Repudiatum est *Caini* Sacrificium, neque propter materiam, neque ob quotam possessionum suarum partem malè sacratam, neque ob defectum ullius ritus externi, sed ob peccatum & infidelitatem sacrificantis.

Objurgatus à Deo *Cainus* invidiam & iram adversus fratrem ad tempus occuluit. Id verbis istis significari videtur ויאמר קין אל־הבל אחיו *Et dixit Cain ad Habel fratrem suum.* Quæ verba ita reddunt nostrates, **And Cain talked with his brother Abel.** Addunt codex Samaritanus & versio τῶν LXX; *transeamus in Campum.* Vulgatus; *egrediamur foras*; ex Targum Hierosolymitano sine dubio. In Bibliis Masorethicis post אחיו unius lineolæ lacuna est. Textum Hebræum corruptum

esse *clamant*, *Lindanus*, *Morinus*, aliique. Assumentum rejicit *Hieronimus*; *Dixit* (inquit) *Cain ad fratrem suum*, *subauditur*, *ea quæ locutus est Dominus*; *superfluum ideo est quod in Samaritanorum & nostro volumine invenitur*: Tradit: Heb: in Genes. Videas etiam quanti fecerit Samaritanum illum codicem, quem Hebraico nonnulli præferunt. Hieronymum in sensu supplendo sequitur *Aben Ezra* in loc. *Videtur* (inquit) *mihi dixisse seu narrasse illi quibus objurgationibus acceptus fuisset à Deo.* Onkelos Textui verbis adhæret. *Jonathan*, ut etiam Targum quod Hierosolymitanum dicitur, longam enarrat fratrum disceptationem. *Et dixit* (inquit) *Cain ad Habel fratrem suum, veni, exeamus ambo nos in agrum*; *fuitque cum exiissent ambo ipsi in agrum*, *respondit Cain*, *& dixit Habeli*; *intelligo ego quod per miserationes creatus est mundus* (aliter Hierosolymitanum, quod per miserationem non creatus est mundus) *sed non secundum fructum bonorum operum gubernatur*, *& est acceptio personarum in Judicio*; *propter quod accepta est oblatio tua, oblatio vero mea non accepta est cum beneplacito. Respondit Habel & dixit Caino in miserationibus creatus est mundus, & secundum fructus bonorum operum gubernatur, & acceptio facierum non est in judicio, & propterea quod sunt fructus meorum operum meliores tuis, recepta est cum beneplacito oblatio mea. Respondit Cain & dixit fratri, non est judicium nec Judex, nec seculum aliud, nec dabitur merces bona justis nec ultio sumetur de improbis. Respondit Habel & dixit Caino*; *est Judicium, & est Judex, & est seculum aliud, & dabitur merces bona justis, & ultio sumetur de improbis*; *& propter harum rerum causam contendebant super facies agri.* Hæc *B. Uzziel*; suo more, hoc est inepte.

Nam nunc non erat his locus.——

Philo Judæus Cainum σοφιστὴν fuisse dicit, ac *fratrem ad disputandum provocasse*; inde forsan quod cum Deo ipso captiosè egerit, *Gen.* 4. 9. Sed res patet; & sensum verborum versione sua egregie innuunt nostrates: **And Cain talked with his Brother**: Hoc est, postquam in animo suo statutum habuit fratrem è medio tollere, capitale odium quod ex invidia medullitus fovit, alto corde premens, & amorem vultu simulans, amicè & fraternè eo cum collocutus est. Is verborum sensus; Is eorum qui aliorum sanguini inhiant mos. Ita posteà *Joabus Abnerum*, *Absolomus Amnonem* simulata amoris redintegratione proditoriè sustulerunt. Eo prætextu allectus, insidiis occubuit primus Martyr.

Hujus

Hujus autem cædis patrandæ *Caino* ſpeciali modo Author erat Diabolus. Itáque non tantum ob ipſam hanc cædem *Cainus* ἐκ τοῦ πονηροῦ fuiſſe dicitur, 1 *Joh: cap.* 3. *ver.* 12. ſed etiam & Diabolus ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς *Joh: cap.* 8. *ver.* 44. Non enim is ideò tantum ibi loci Homicida vocatur, quia primos homines in peccatum illexit, unde mors erat inſecutura; ſed etiam quod reapſe cædem hanc perpetrari procuraverit, quomodo ſcilicet eo inſtigante Phariſæi tum temporis Dominum Jeſum occidere voluerunt. Id vetus Poeta, cujus verſiculi extant apud Epiphanium, ita eleganter expreſſit.

Ὦ πᾶσιν ἀρχὴ καὶ πέρας κακῶν Ὄφις
Ἥ τ' αὖ βαρὺν τίκτουσα θησαυρὸν κακῶν
Πλάνη τυφλοῦ ποδηγὸς ἀγνοίας, βίον
Χαίρουσα θρήνοις, καὶ στενάγμασι βροτῶν
Ὑμεῖς θεσμοὺς εἰς ὕβρεις ὁμοσπόρων
Τὰς μισαδέλφους ὁπλίσαντες ὠλένας
Κάϊν μολῦναι φοινίῳ πρῶτον λύθρῳ
Ἐπέστατ' ὀργὴν κἀξ ἀκηρά των τόπων
Αἰωνίων τε πρωτόπλαστον ἐς χθόνα
Ὑμεῖς ἐπεκτήνασθε——

O prima origo cladium & meta ultima
Coluber, malorum tuque Theſauri Pater
Anteambulo cacæ Error ignorantiæ,
Cui pabulum hominum lacrymæ & ſuſpiria
Dum ſuſcitatas odio inexpiabili
Armatis in ſe fratricidas dexteras
Ut primus iram ſanguine inficeret Kaïn
Vos impuliſtis. Vos ut æterno à ſtatu
Terrena ad ima primus excideret Homo
Cauſſa extitiſtis.

Poſtquam autem infidelitas & hypocriſis Caini in hunc modum palam ſe aperuiſſent, ita ut diutius in Eccleſia tolerari non debuerit, Deus, qui teneri gregis curam adhuc geſſit immediatam, ne impii Apoſtatæ eorumque qui illi in ſceleribus adhæſerunt (quorum numerus haud parvus fuiſſe videtur, cum eorum ope ad urbem extruendam ſe accinxerit) conſortio inficeretur, ipſum è finibus Eccleſiæ maledictione onuſtum exterminavit. Is eorum verborum ſenſus, Gen. 4. 12. נע ונד תהיה בארץ *vagus*

gus & profugus eris in terra; h: e: exi in faciem terrarum orbis, tui causa recens maledicti, utpote nova ab imperio meo defectione cumulati; in eo erres quocunque demùm voles, terrena sapias, cum cultu meo, Ecclesia mea, nihil commune deinceps habiturus.

Hanc partẽ pœnæ suæ ipse repetit; *ver.* 14. והייתי נע ונד בארץ *vagus & profugus ero in terra* (non στένων ϰ τρέμων, gemens & tremens ut LXX) & מפניך אסתר *a facie tua me abscondam.* Faciem Dei gratiosam in promisso semine anteà contempserat; Gratiæ iterum cum Deo ineundæ spem aliis verbis abjicit; גדול עוני מנשא *major*, inquit, *est iniquitas mea quam ut ei parcatur*; vel quam cui sim ferendo. Ea verba *reprehendenda esse quasi quidquam mali in se continerent*, negat Jonas Schlictingius *de Trinitat: ad: Meisner: p.* 119 quasi ex *recta ratione* prodiissent. Sed certum est ex fide illa non provenisse, adeoque fuisse desperationis plena. Deinde providentiam Dei se latere potuisse, nec spem habuit, nec metum agnoscit ideo se à communione sanctorum, & præsentia Dei in cultu solenni exclusum. Fugatus autem ab Ecclesia, & illam fugit, *Gen. cap.* 4. *ver.* 16.

Nono autẽ supra centesimũ & vicesimũ anno, post fundatam in promissiõe liberatoris Ecclesiã, accidit hæc *Caini* defectio. Probabile enim est proximo post mortem Habelis anno, *Hevam* peperisse *Sethum*. Is erat annus vitæ *Adami* centesimus & tricesimus, *Gen. cap* 5. *ver.* 3. Eo temporis spatio, in numerum & multitudinem crevit sine dubio humanum genus; adeoque Ecclesia ipsa, quæ adhuc absolutè erat Catholica, totum genus istud amplectens. Duravit ideo inculpata prima ista peccatorum fidem in Mediatore profitentium Ecclesia, Centum & triginta annos, aut eo circitèr, secundum normam Theologiæ redintegratæ, sanctè & inculpatè coram Deo incedens.

Cainus itaque annos natus centum & viginti in Apostasiam irruit. Ineptum enim est quod ex Sententia cujusdam Theodosii refert *Gregorius Abulpharajius* Chronologus Arabs, cujus Historiæ initium non ita pridẽ edidit Cl: *Pocockius*; nempe *Adamum non nisi triginta annis exactis ab expulsione sua è Paradiso, Cainum genuisse*; *Habelem autem centum annos luxisse, antequam ad uxorem reversus Sethum genuerit*; Sed deliria hæc ἐν τοῖς rejicit Textus Sacer: *Gen.* 5. 3. & tamen nescio unde ortus rumor ineptissimus, totum orientem peragravit, & plurimorum scripta maculavit.

Pro-

Progressa itaque Hypocrisis, ab infidelitate adversus Deum, ad Sanctorum persecutionem, occasionem Reformationis Ecclesiæ, etiam & necessitatem intulit; cujus in ejectione & maledictione *Caïni* primum habemus divinitus constitutum specimen & exemplar.

CAPUT TERTIUM.

Reformatio Ecclesiæ Ante-Diluvianæ secunda, Gen. 4. ult. הוחל. *nonnullorum σφάλματα ὀνοματολογικὰ notata. Idololatria Enoshiana, Maimonidis Sententia, Seldeni, Cyrilli. Ecclesiæ reformatæ defectio totalis. Ejus defectionis initium, occasio, modus,* Gen. 5. 1, 2, 3, 4, 5. *Filii Dei, ac filiæ hominum. Judæorum nugæ. Et veterum Christianorum quorundam. Idololatria Ante-diluviana nulla. παιδολαθεῖαι diluvianæ causæ; & inter gentes Traditio. Ecclesiæ Ante-diluvianæ exitus. In eo futurarum Typus.*

EJecto ex Ecclesiæ finibus *Caino* Theologiæ *Adamicæ* ante-diluvianæ corruptorum Antesignano, viguit ejus vis & ἐνέργεια, atque purus Dei cultus ei innixus ad ætatem usque *Enosh*. Nova uti videtur corruptio, eáque latè serpens, tum temporis invaserat Ecclesiam; quam nova Reformatio excipiens delevit. *Tum enim cœptum est invocare nomen Domini,* Gen. 4. 26. De quo loco nonnulla adjicienda sunt.

Verba sunt, אז הוחל לקרא בשם יהוה Sunt qui Ecclesiæ Reformationē; sunt qui ejus in Idololatriam lapsū, in eis denotari arbitrantur. LXX ita reddunt; οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ. הוחל scilicet non à חלל, sed à יחל deduxerunt. Hinc ortum duxit nonnullorum innocens error. Notationem nominis τοῦ *Enosh* ea verba exprimere suspicati sunt. *Chrysostomi* in locum interpretatio ei hallucinationi solùm innititur. *Enosh* enim *speravit*, significare arbitratus, multa de pia parentum illius *spe* commentatur.

Et sanè in nominum Hebraicarum ratione reddenda, nullubi non ineptiunt Græci. Ita *Georgius Cedrenus*, p. 172. τὸν πρωτότοκον ὠνόμασε Καΐν, ὅ ἐστι ζῆλος· ὁ καὶ ζηλώσας ἀνεῖλε τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ἄβελ, ὃ ἑρμηνεύεται πένθος, ἐπ' αὐτῷ γὰρ πρώτῳ φονευθέντι ἐπένθησαν οἱ γονεῖς; ineptè, & adversus ὀνοματολογίας rationem in ipso Textu assignatam, *Gen.* 4. 1. Ast color haud deest; nam קנאה est invidia, atque אבל luctus; Etiam & *Zonaras*;

Ἄβελ

Ἄβελ ϗ ὁ δεύτερος, δηλοῖς δὲ πένθος ἢ κλαῦσιν. אז vero, seu tunc, ad totum tempus vitæ *Enoshianæ* referendum arbitror. In diebus *Enosh* quem *Seth* genuit hæc acta sunt. Miseram quidem fuisse jam tum cum nasceretur *Enosh* Ecclesiæ conditionem facile concederem. Inde piis parentibus ὀνοματοθεσίας occasio. אנוש miser homo est; ab אנש lethaliter ægrotavit, calamitosus fuit. *Psal.* 9. 21. Sed ad tempus nativitatis ejus quæ hîc memorantur astringere, ratio nulla cogit. Acciderunt enim hæc forsan annis trecentis aut eo circitèr à Reformatione prima Ecclesiæ per ejectionem *Caini*; cum nativitas *Enoshi* incidat in annum post illius fugam centesimum & sextum. Quamvis enim illius operis quodcunque tandem fuerit, cujus heic mentionem facit Spiritus Sanctus, initia forsan posita fuere in ipsa nativitate *Enoshi*, haud tamen ad effectum perductum credo, donec ipse *Enosh* qui signanter notatur, aliquandiu extiterat paterfamilias, atque in ea sententia sunt Judæi penè omnes.

Idololatriæ in mundum ingressum verbis hisce notari, asserit Targum *Jonathani* ascriptum. הוא דרא דביומוהין שריאו ועבדו להון טעון ומכנין לטעותהון בשום מימרא דיי *Illa ætas* (inquit) *in cujus diebus incœperunt errare, & fecerunt sibi Idola, & cogn:minabant Idola sua nomine sermonis Domini.* Hoc est Idola sua Deos vocabant: Ita etiam Arabs interpres ex editione Erpenii: *tunc inceperunt homines recedere ab obedi: ntia Dei*; Alitèr quam habet codex in Bibliis Polyglottis *Londinensibus* editus. Targum Onkelosi duo sunt exemplaria; unum expressit *Arias Montanus* in Editione Bibliorum Regia, aliud *Buxtorfius* in sua *Basiliensi*; quorum hoc *supersedisse homines ab invocando*, *cœpisse invocare nomen Domini* illud affirmat. *Maimonides* omnis Idololatriæ initium hinc arcessit; initio Libri de cultu stell: אנמדש inquit, מיב' טעו בני האדם טעות גדולה ונבערה עצת חכמי אותו הדור ואנוש עצמו מן הטועים היה וזו היתה טעותם: אמרו הואיל והאל ברא כוכבים אלו וגלגלים להנהיג את העולם ונתנם במרום וחלק להם כבוד והם שמשים המשמשים לפניו ראויים הם לשבחם ולפארם ולחלוק להם כבוד: hoc est; *In diebus Enosh magnum errorem errarunt filii hominum; & obstupuerunt animi sapientum illius generationis, etiam ipse Enosh ex errantibus erat, atque hic fuit error eorum, dicebant cum Deus ipse creavit stellas & sphæras ad regendum mundum, easque in alto collocavit, & gloriam eis dedit, & illis ministris utitur, meritò profectò celebremus eas, & extollamus, & gloriam eis impertiamur.*

Respicit

Respexit vir doctus ad verba illa *Mosis*, Gen. cap. 1. ver. 16. ויעש אלהים את שני המארת הגדלים את המאור הגדל לממשלת היום ואת המאור הקטן לממשלת הלילה ואת הכוכבים Ab iis degeneres Patriarcharum filios occasionem sentit arripuisse, adorandi Solem, Lunam, totumque ornatum cœlorum, quibus commissum erat in dies noctesque, adeoque in totum terrarum orbem imperium. In eadem Sententia est *R. D.* Kimchi. *In Diebus*, inquit, *Enosh*, *erraverunt post Idololatriam, & invocatio nominis Dei tunc profanata fuit; sunt autem qui verbum* הוחל *per incipere exponunt hoc modo; tunc inceperunt homines vocare nomina simulachrorum & idolorum nomine Dei.* Maymonidem sequitur *Seldenus* Prolog: 3. ad syntag: de Diis Syris.

Josephus vero hisce omnibus antiquior veri & unius Dei cultum ad septimum usque sæculum durasse asserit; Ἀρχαιολ: lib. 1. Ei astipulatur in *Maase-Beresith.* cap. 22, *R*: *Eliezer*; & probat Idololatriæ nullam heic mentionem fieri; *quia rerum aliarum quas colerent*, hoc est, solis & stellarum nulla facta est. Hisce consentiunt veteres Christiani plerique. Οἱ μὲν οὖν ἐξ Ἀδὰμ, inquit *Cyrillus* ad: Julian: καὶ μέχρι τοῦ Νῶε γεγονότες ἄνθρωποι, Θεὸν ἕνα τὸν φύσει καὶ ἀληθῶς τῶν ὅλων δημιουργὸν τετιμήκασι; μετὰ δὲ κατακλυσμὸν καὶ τοῦ πύργου κατασκευὴν ἀσύμβατον ἐσχήκασι περὶ θεοῦ δόξαν; οἱ μὲν οὐρανὸν ὑποτόπασαν εἶναι θεὸν, ἥλιον δὲ καὶ σελήνην ἕτεροι. Atque hæc sententia verissima est, in qua est etiam Epiphanius. lib. 1. cap 1. §. 4. *Beda* in Chro: הלל principaliter, *incipere* significat; & in Pihel *profanare*, in Hiphil aut Hophal rarissime; inde התחלה *principium*: & הלל *publicè aliquid* ordiri. Atque hanc interpretationem amplectitur Hieronymus. Neque tum primum *inceperunt homines profanare nomen* Domini, in diebus scilicet *Enosh*; cum id ab impiis Cainitis longè ante natum *Enoshum* factum sit. Nulla ideo causa est cur signanter diceretur tum *incepisse homines profanare* nomen Dei; peculiari modo *invocare*, maxima.

Non ideo corruptio cultus Religiosi, sed Reformatio Ecclesiæ verbis hisce indicatur. Novum quid & insolitum significare notat particula præposita. Cum autem Ecclesia intra unius familiæ limites sisteretur, haud difficilis erat ejus Reformatio, per ejectionem scilicet contumacium. Verùm aucto in immensum humano genere, & dilatis Ecclesiæ pomæriis, alia erat via ineunda. Multitudo enim peccantium impunitatem & licentiam peccandi parit; Duo ideo hæc verba denotant. Primo segreges cœtus ad Dei cultum solennem peragendum pios constituisse. Deinde nomen suscepisse peculiare cultorum seu Filiorum Dei, quo ad aliam usque defectionem usi sunt. Ita separatim Dei nomen solenniter invocabant; & Dei nomine vocati sunt; hoc est cultores, seu

Filii Dei. Utrumque sensum probant nostrates interpretes; nam ut in Textu legunt, **Then began men to call upon the name of the Lord;** ita addunt in Margine, **To call themselves by the name of the Lord.** Atque hæc sola via reformandæ Ecclesiæ erat reliqua. Eam ingredi cum plurimi verum Dei cultum corrumpunt, & pertinacitèr in sceleratis moribus persistunt, qui erat istis temporibus Ecclesiæ status, & rei ipsius natura, & recta ratio postulat. Quid enim agerent, qui Deo conscientias suas illibatas & puras sistere in cultu Religioso cuperent? An se Apostatarum turbæ misci, atque corrumpi paterentur? Id eorum officii non esse videtur: An Apostatas foras ejicerent, & exterminarent è finibus Ecclesiæ? Id vero in plures à paucioribus fieri nequit. Restitit ideo piorum seperatio, & in cœtus segreges collectio. Illud nunc factum esse verba hæc memorant. Non enim tum primum *profanatum* est nomen Domini, quod ab impiis *Cainitis* longè antè factum est; neque tum primum absolutè loquendo homines inceperunt *nomen Domini invocare*, cum cultui ejus a jactis mundi fundamentis pii omnes vacarent; at vero tum primum, nonnulli separatione visibili à reliquo mundo facta, solennitèr inter se cultum Religiosum peragebant.

Atque hæc secunda erat Ecclesiæ Ante-diluvianæ Reformatio. Prima defectio singularis erat in persona *Caini*. Illius ejectione constitit prima Reformatio. *Enoshi* tempore latiùs serperat, pluresque infecerat Hypocrisis. Ut à labe communi immunes se sisterent, & cultum Dei in Mediatore promisso purum conservarent, ab Apostatarum turba secedentes pii *Sethitæ*, & segreges cœtus instituentes, *Filii Dei* dicti sunt. Atque heic primum Ecclesia à mundo visibiliter & sponte separata extitit.

Hujus Reformationis virtute effloruit Theologia pura, atque vi ejus Ecclesia visibilitèr separata, ad annos mille aut eo circitèr. Eo temporis curriculo insigne obedientiæ exemplar, Theologiæ veræ τεκμήριον, & vitæ æternæ pignus, in *Enochi* translatione Deus edidit, *Gen. cap.5. v.24.* Rerum vero processu, impii *Cainitæ*, atque *Sethitæ* isti à quibus tempore Reformationis *Enoshianæ* pii secesserant, pacem uti videtur communitèr colendam prætendentes, per connubia & alia vitæ politicæ vincula in piorum consortium admissi, omnia divina humanáque Catholicè pænè pessundederunt. Is est fatalis plerumque post Reformationem corruptionis denuò in Ecclesiam admissæ exitus.

Maxima autem Apostatarum impiorum catervâ, in piorum consortiū admissa, cnm hi neque per illorū ejectionē autoritativam, uti loquuntur, nec per secessionem voluntariam se amplius liberare potuerint, defectio illicò Catholica, & tota Ecclesia corrupta evasit. Deus ideo dispensa-

tioni isti, ac Theologiæ Adamicæ sublapsariæ in Theologorum Apostatarum παγκακοδεία diluviana finem imposuit.

Defectionis autem hujus ultimæ, Ecclesiæ Ante-diluvianæ, ortum, progressum & finem memoriæ prodidit ipse ejus ultor justissimus, *Gen. cap. 5. ver.* 1,2,3,4,5. Ortum *v.* 1 & 2. enarrant. *Evenit autem cum cœpissent homines multiplicari in Terra, & filiæ genitæ erant illis, ut videntes filii Dei filias hominum bonâ formâ esse, acciperent sibi à quibusvis mulieres quas eligebant.*

Quinam sint hi *Dei filii*, quænam *Hominum filiæ* ambigitur. De Angelis bonis, malis, nescio quid nugantur *Iudæi*. Etiam ante Rabbinos natos *Philo*, & *Iosephus*. Author etiam librorum *Enoch*, quorum fragmenta quædam extant, apud *Iosephum Scaligerum* in animadversionibus *Eusebianis*, & Kircherum Oed: Ægypt: Tom: 2. cap. 2. Ei delirio favent Patrum antiquorum plurimi; Justin: *Apol*: 2. Clem: *Strom*: lib. 3. Tertull: de habitu mulier. Lactan: Institut: lib. 2. cap. 15. Eufeb. *præpar. Euangel*: lib. 5. Ambrof: de Virgi: veland: Zozimus panopolites apud Photium Cod: 191. Sed neque Angelorum natura aut conditio, *Matth.* 22. *ver.* 3. neque narrationis *Mosaicæ* series suspicionem istam patitur. בני האלהים seu *Filii Dei* per בני רברביא seu *Filii potentum*, reddit Onkelos, & בנות האדם filiæ hominum per בנת אנשא seu *filiæ pauperum*: Aquila, Filii Deorum. Filii τῶν δυναστευόντων Symmachus, teste Hieronymo. Atque hi omnes, summam omnium ordinum confusionem in statu politico, ac communi vivendi genere intelligunt; quasi nullo graduum respectu, aut dignitatum honore habito, inter se more pecudum coïssent homines. In ea sententia est Rambam, more Nebuch: p. 1. cap. 14. אדם *significat*, inquit, *etiam communem plebem, & multitudinem hominum*; *ut*, etiam, *filii Adam, etiam filii viri*; Psal. 49. 3. *& in hoc significatu dictum est, & viderunt filii Dei filias Adam.*

Sed res per se satis patet. *Filii* Dei fuere, qui à Diebus *Enosh*, cœtus segreges pro vero Dei cultu celebrando instituerunt, ἐθελοθρησκείαν professi. Eo nomine impio mundo, odio fuere & ludibrio. Neque enim unquam erat, eritvè sui dissimilis hac in re mundus. Ii per aliquot forsan annorum centurias se à communione malorum, quæ semper defectionis Ecclesiasticæ causa extitit præcipua, segregarunt. Temporum processu illi etiam aucti fuere probè improba, penes quam mansit tantum μόρφωσις. Ea effreni libidine percita, Apostatarum filias sibi connubiis junxit. Atque eæ *Filiæ hominum* fuere. Ad illud usque tempus pios *Sethitas* omnia jura, cùm divina tùm humana, separatim habuisse à *Kainitis*, etiam loca laté distantia, sine ullo vitæ aut seculi commercio incoluisse,

vetus est Iudæorum traditio; quam quia veri speciem habeat, haud temerè rejicerem. Eam fabulis interpolatam refert *Abil-Pharajius Pocockianus. Seth*, inquit, *Filius Adam. Fertur illum primum scribendi Authorem fuisse; & progeniei suæ vitæ beatæ quæ parentibus suis in Paradiso fuerat desiderium ingessisse; adeo ut in montem Hermon secesserint, cultui Dei, pietati, & continentiæ dediti, neutiquam ad mulieres accedentes, unde vocati sunt Bani Elohim. Anno vero Jaredis quadragesimo descendentes de monte Hermonis, cum de reditu in Paradisum desperarent* (hoc est, cum vitæ Sanctimonia, & à mundo separatio eis tædio esse cœperunt) *fæminas concupiverunt; cúmque uxores illis dare recusarent propinquitate ipsis juncti, despicatui illos habentes*, Kainitæ *eos ad Matrimonium invitarunt, ultro illis filias suas præbentes, quibuscum congressi, pepererunt Gigantes, bellis & incursionibus hostilibus præstantes.*

Atque hæc ille ex libro Apocrypho Enochi περὶ τῶν Ἐγρηγόρων hausit; excepto quod quæ is Sethitis ascribit, ille alter, nugator Iudæus, Angelis in montem Hermonis descendentibus assignat. Illorum autem Librorum περὶ τῶν Ἐγρηγόρων, & περὶ Ἀποκαλύψεως Μωϋσέως, quæ adhuc extant fragmenta istiusmodi fabulas cuivis eas sitienti affatim suppeditabunt. Angeli autem antiquis ἐγρήγοροι dicti. Ansam eripuerunt è *Daniel cap.* 4. *v.* 10. עיר seu *Vigil* è cœlo respexisse dicitur. Vulgati codices Textus Græci habent εἰρ voce Hebraica retenta. MS. quidam ἐγρήγορος.

Ex hoc fonte prodiit omnium in omnibus ἀθέμιτος μίξις. Tandem uterque cœtus ita in unum cojerunt, ut sola familia Noachi excepta, vix supererat inter mundum & Ecclesiam distinctio. Id ostendit Spiritus Sanctus, ubi affirmat *omnem carnem viam suam corrupisse*, Gen. cap. 6. ver. 12. Hæc, inquam, origo erat defectionis Catholicæ Ecclesiæ *Enoshianæ*, seu Adamicæ, Ante-diluvianæ secũda vice reformatæ, qua illustre omnis Catholicæ Apostasiæ ortus exemplar habemus. Malorum enim consortium illud semper erat, quod Ecclesiam pessundedit.

Videamus porrò defectionis hujus progressum. Eum *v.* 11. & 12. Spiritus Sanctus exponit. *Corrupta erat terra coram Deo ipso, & impleta erat violentia; & aspiciens Deus terram, ecce corrupta erat, quia corruperat omnis caro viam suam.* Eousque scilicet progressa est, ut se extenderit ad omnem carnem; *Noacho* tantùm excepto, *Cap.* 4. *ver.* 1. Is autem *præco erat justitiæ*, 2 Pet. cap. 2. ver. 5. in cujus ministerio Spiritus Christi *disceptabat cum rebellibus*, 1 Pet. cap. 3. v. 19. centum & viginti annis, Gen. cap. 6. ver. 3. Ita locum illum exponit Targum Ben Uzzielis, qui tamen more solito, nescio quid nugatur de Schamchazai & Vzziel, qui tum temporis ex cœlo cadentes, gigantes genuerunt.

Naturam hujus Apostasiæ in Idololatriâ præcipuè constitisse contendit Maimonides. In ejus sententiam abiit Seldenus. Deorum nomina quos coluerunt præbet nobis in Alcorano Muhammetes; Azoar: 81. Wadda, Sawahia, Jagowth, Ialowh & Nasera. Hisce uti videtur Schamchazai, & Vzziel operam dederunt. Sed nugas mittamus. Quæ de Idololatria Ante-diluviana dicuntur omni probabilitate destituta sunt. Etenim nullam ejus mentionem facit Spiritus Sanctus, minimè prætermissurus, utpotè peccatum gravissimum, & ad vindicias justitiæ divinæ in mundo perdendo peragendas efficacissimum Argumentum. *Magnum* proculdubio *futuri Judicii prajudicium* ut loquitur Tertullianus, & sola cruce Christi minus, in prisci mundi exterminatione diluviana Deus exhibere voluit; An ideo in tantæ cladis, pœnæque sola æterna minoris causis exponendis, maximum omnium peccatum silentio præterire censeri possit? præsertim cum crimina alia & scelera eam commerentia accuraté recenseat? Malitia enim cordis hominum, corruptio vitæ universalis, violentia & rapina, connubia etiam illicita exsertè memorantur, *Cap. 6. ver.* 2, 5, 11, 12, 13. cæterum seculi vitia, & scelera haud inepte enarrat apud Annium Viterbiensem Berosus; sicut & Ovidius Metamor. 1. *Hi,* inquit, *Gigantes vastitate corporis & robore confisi irruentes armis omnes opprimebant, libidinique inservientes invenerunt papiliones & instrumenta musica, & omnes delitias; manducabant homines — & nibil erat quod non admittebant contemptores Religionis & Deorum.* Verum autem Berosum, Diluvium historiâ suâ memoriæ etiam consecrâsse, testis est *Iosephus* Αρχαιολ: lib. 1. cap. 4.

Finis seu exitus hujus Apostasiæ Catholicæ, erat Apostatarum πανωλεθρία diluviana; nempe, ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο. 2 Pet. 3. 6. Hanc diluvii causam Gentes traditione accepisse, testis est inter alios plurimos *Lucianus,* περὶ τ' Συρίης θεῦ; ἡ γενεὴ (inquit) οἱ νῦν ἄνθρωποι ἐν πρῶτοι ἐγένοντο, ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἡ γενεὴ πάντες ὤλοντο· οὗτοι δὲ γένεος τοῦ δευτέρου εἰσὶ· τὸ αὖθις ἐκ Δευκαλίωνος ἐς πλῆθος ἀπίκετο. ἐκείνων δὲ πέρι τῶν ἀνθρώπων τάδε μυθέονται. ὑβρισταὶ κάρτα ἐόντες, ἀθέμιστα ἔργα ἔπρασσον. οὔτε γὰρ ὅρκια ἐφύλασσον, οὔτε ξείνους ἐδέκοντο, οὔτε ἱκετέων ἠνείχοντο, ἀντ' ὧν σφίσιν ἡ μεγάλη συμφορὴ ἀπίκετο. αὐτίκα ἡ γῆ πολλὸν ὕδωρ ἐκδιδοῖ καὶ ὄμβροι μεγάλοι ἐγένοντο, καὶ οἱ ποταμοὶ κατέβησαν μέζονες, καὶ ἡ θάλασσα ἐπὶ πολλὸν ἀνέβη ἐς ὃ πάντα ὕδωρ ἐγένοντο, καὶ πάντες ὤλοντο. Δευκαλίων δὲ μοῦνος ἀνθρώπων ἐλίπετο ἐς γενεὴν δευτέραν, εὐβουλίης τε καὶ τοῦ εὐσεβέος εἵνεκα· ἡ δέ οἱ σωτηρίη ἥδε ἐγένετο· λάρνακα μεγάλην τὴν αὐτὸς εἶχε, ἐς ταύτην ἐσβιβάσας παῖδάς τε καὶ γυναῖκας ἑωυτοῦ ἐσέβη. ἐσβαίνοντι δὲ οἱ ἀπίκοντο σύες καὶ ἵπποι καὶ λεόντων γένεα καὶ ὄφιες καὶ ἄλλα, ὁκόσα ἐν γῇ νέμονται πάντα ἐς ζεύγεα· ὁ δὲ πάντα ἐδέχετο· καὶ

μιν

μὲν οὐκ ἐγίνοντο, ἀλλὰ σφίσι μεγάλη διόθεν φιλίη ἐγένετο· καὶ ἐν μιῇ λάρνακι πάντες ἐπλεῦσαν ἔστε τὸ ὕδωρ ἐπεκράτεε· τὰ μὲν Δευκαλίωνος πέρι, Ἕλληνες ἱστορέουσι, i. e. *Hæc hominum generatio, quæ nunc est, ab initio haud quaquam fuit, sed ea, quæ tùm fuit, tota interiit. Hi autem homines, qui nunc sunt, secundi generis sunt, ejus scilicet, quod rursus à Deucalione in tantam multitudinem excrevit: De illis autem hominibus hujusmodi quædā traduntur, cùm contumeliosi admodum essent nefaria opera eos perpetrasse: neque enim jusjurandum observasse, neque hospites recepisse, neque supplicum misertos esse; ob quam rem maximam calamitatem ipsos mox consecutam esse; statim enim & tellus multam aquam effudit, & imbres magni fuerunt, & flumina solito majora decurrerunt, & mare quoque in multum ascendit, eousque dùm omnia aquis inundarentur, atque omnes perierunt. Deucalion autem solus hominum relictus fuit in secundam generationem prudentiæ simul, & pietatis gratia. Servatus autem fuit hoc pacto. Arcam quandam magnam, quam ipse habebat, impositis in eam & liberis & uxore sua conscendit. Cæterum cùm ipse ingrederetur, venerunt eodem & apri & equi, & Leonum genera, & serpentes aliáque quecunque tellure pascuntur bina ex unoquóque genere cuncta. Ille autem recepit ad se omnia, atque ea ipsum haud quaquam lædebant, sed magna inter eos à Deo concordia erat, unâque in arca omnes navigabant, quamdiu Aqua superabat, atque hæc quidem de Deucalione Græci tradunt*: Hæc ille quæ omnia à sacro textu desumpta esse nemo non videt: ea etiā in re ludit *Horatius*,

Terruit gentes, grave ne rediret
Seculum Pyrrhæ nova monstra questæ
Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montes.
Piscium & summa genus hæsit ulmo,
Nota quæ sedes fuerat Columbis:
Et superjecto pavidæ natârunt
Æquore damæ. Od: 2da.

Similia ex Hieronymo Ægyptio, Beroso, Mnaseo, Nicolao Damasceno refert Iosephus, Antiquit: lib. 1. cap. 4. ex Abydeno & Alexandro Polyhist. Eusebius in Chronic.

Sed Diluvium Catholicum cum τοπικῷ Deucalionis, vel, quod illud longe antecessit, Ogygiano, plerique confundunt. De eis omnibus rectè Scriptor antiquissimus apud Cedrenum. ὅτι δύο κατακλυσμοὶ κατὰ τὴν Ἑλλάδα γῆν διαβεβλημένοι γεγόνασι· πρῶτος μὲν ἐπὶ Ὠγύγου ἐν τῇ Ἀττικῇ (plurimi autem

autem Ogygen non Atticæ sed Thebarum Regem fuisse aiunt) χώραις δὲ ὕστερον σημ ἐν Θετταλίᾳ (hoc est quæ postea ita dicta est, nam neque Homero id nomen innotuit) ἐπὶ Δευκαλίωνος, βασιλεύοντος Ἀθήνησι δευτέρου Κραναοῦ αὐτόχθονος. τούτου τοῦ κατακλυσμοῦ τοῦ ἐπὶ Δευκαλίωνος δηλονότι, δοκοῦσι μεμνῆσθαι καὶ Αἰγύπτιοι, φάσκοντες τὴν χώραν αὐτῶν μὴ κατακεκλύσθαι· καὶ δικαίως φιλονεικοῦσι μὴ κατακεκλύσθαι ποτὲ τὴν Αἴγυπτον· τόπικος γὰρ γέγονεν οὗτος ὁ κατακλυσμός· τὸν γὰρ πρότερον ἤτοι τὸν καθολικὸν κατακλυσμὸν οὐδὲ γινώσκουσιν· οὔπω γὰρ ἦν ὁ πατριάρχης αὐτῶν γεννηθείς. Χὰμ δὲ ὁ υἱὸς Νῶε πατὴρ Μεσρὲμ, ἀφ' οὗ Αἰγύπτιοι. At nulli dubium est quin primi μυθογράφοι ita Diluvii Catholici famam cum particularium historia miscuerint, ut nec hæc, neque illud intellexerint posteriores. Qui plura volet de Diluviis hisce consulat Augustin: de Civit. Dei. lib. 18. cap. 9. Nonnum lib. 3. Orosi: lib. 1. cap. 9.

Atque hunc finem consequuta est Ecclesia Apostatica Antediluviana. Novæ defectionis post Reformationem crimine se alligans, irreformabilis evasit. Hanc solennem Theologia supernaturalis primæ Revelationis sortita est periodum. Omnium autem Ecclesiarum futuris temporibus instituendarum & lapsarum reformandarum typus & exemplar ut; videbimus, in ea constituta sunt. Omen vero pro infinita sua misericordia, ab Ecclesiis Christianis reformatis Deus avertat.

Libri Secundi Finis.



LIBER



LIBER TERTIUS.

DE
Theologia Noachicha Post-diluviana.

CAPUT PRIMUM.

2 Ep. Pet. 3. 5, 6, 7. *Cœlum novum, & Terra nova. Mundus vetus qualis. Mundus novus.* Isa. 5. 15, 16. Cap. 55. 17. Cap. 66. 22. *Seculum venturum. Mundus futurus. Noachus vir justus. Fidem habuit Ante-diluvianus. Theologia post diluvium in ejus familia restaurata & aucta. Prima fœderis divini expressa mentio. Ad fœderis naturam pertinent promissio & restipulatio. Quo respectu promissio fœdus dicitur.* ברית *unde. Promissionem nudam sæpe significat,* 2 Sam. 25. 25. Jerem. 31. 31, 32. διαθήκη. συνθήκη. *Fœdus unde. Fœdera quomodo olim sancita,* Jerem. 34. 18. *De signo fœderis. Arcus in nube. Signum fœderis cur fœdus dicitur. Natura fœderis Noachici. Præcepta Theologiæ addita.* Gen. 9. 5, 6. *Præcepti primi Post-diluviani de sanguine non fundendo expositio. Modus vindictæ per Magistratum sumendæ, in eo constitutus. Onkelosi sententia. Talionis origo. Præcepti secundi de non comedenda carne cum sanguine expositio,* Gen. 9. 2, 3. *Septem præcepta Noachidis data. Quid per ea intelligant Hebræi. Noachi apud Inghiramium ad filios oratio ficta. Ecclesiæ Noachicæ defectio. Reformatio. Chami peccatum. Judæorum nugæ. Fabulæ Saturni resecti ortus. Canaan cur maledictus. Ecclesiæ reformatæ novæ promissiones datæ. Illius nova defectio. Defectionis occasio.*

ORtum & progressum *mixtæ* istius Theologiæ, quæ partim *lege naturali* seu rationis rectæ dictamine, aut Theologiæ ἐνδιαθέτου reliquiis,

quiis, partim *Revelatione Adamo* post ingressum peccati factâ constitit, superiore dissertatione exposuimus. Varios etiam ἀποστασίας illius gradus, quæ totalem â Deo totius penè mundi defectionem tandem intulit, atque Theologorum Apostatarum pœnam horrendam & πανωλεθρίαν, paucis ibidem ostendimus. Ejus Theologiæ Instaurationi, Incremento, Progressui & Eventibus à *Diluvio* ad vocationem *Abrahami* usque exponendis, jam proximo in loco incumbimus. Totam autem hanc οἰκονομίαν divinam ita proponit B *Petrus*. Οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι, καὶ ἡ γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ· δι' ὧν ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο· οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ τῷ αὐτοῦ λόγῳ τεθησαυρισμένοι εἰσὶ, πυρὶ τηρούμενοι εἰς ἡμέραν κρίσεως καὶ ἀπωλείας τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων. 2 Epist. cap. 3. v 5, 6, 7.

Duplicis hîc *mundi* meminit Apostolus; *veteris* illius qui per aquam perierat, atque tum temporis præsentis per *ignem* consumendi; post cujus interitum, *tertii* ingressum prænuntiat versu *decimo tertio*.

Καινοὺς δὲ οὐρανοὺς καὶ γῆν καινὴν κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ προσδοκῶμεν ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ. De aspectabili Cœlo, Terrâve, respectu substantiæ, neutro in loco agit Apostolus. Mundo enim veteri per aquam destructo, mansit nihilominus cœlorum terrarumque compages. *Mundus* ideò iste, fuerunt homines in *mundo* degentes. Eis per diluvium deletis, *mundus* alius ad Dei cultum ritè peragendum erigi debuit. Hujus autem Mundi fundamenta posuit Deus in familiâ *Noachi*, totam fabricam perfecit *Ecclesiæ Iudaicæ* erectio atque ornatus. Atque is mundus erat quem illicò igne dissolvendum prædixit B. *Petrus*; stylo nempe *Prophetico*. Itá legimus apud *Isaiam*, *Capite quinquagesimo* primo, versibus decimo quinto & decimo sexto. *Ego dominus Deus tuus, scindens mare, & personent fluctus ejus, dominus exercituum nomen ejus, & posui verba mea in ore tuo, & in umbrâ manus meæ protexi te: ad plantandum cœlos & fundendum terram, & ad dicendum ad Sion populus meus tu.*

§. 11. Quo tempore ideò Deus, *dividens mare, & educens populum suum* ex *Ægypto*, verbum seu legem cum solenni cultûs sui præscriptione ei concredidit, in Ecclesiam eum sibi formans, *novum hunc mundum*, *cœlum* illud & *terras* instituit & absolvit. Eo tempore quo *Petrus* scripsit, *Mundus* hic, hoc est, *Ecclesia Judaica* jam Apostatica in exitium *ignis* festinavit; Non alitèr quam Mundus ille vetus in *diluvium* se præcipitavit. Incendio Templi & urbis, dissoluta est istius mundi compages. Alium autem mundum, quoniam nondum adesset τοῦ αἰῶνος συντέλεια, novos cœlos, novamque terram secundum Dei promissum

 fideles

fideles expectare jubet Apostolus. Promissum illud extat *Isaiæ* capite *sexagesimo quinto* commate *decimo septimo*; atque iisdem verbis capite *sexagesimo sexto* commate *vicesimo secundo. Ecce*, inquit, *ego creaturus sum cœlos novos & terram novam, neque commemorabuntur hæc priora, neque venient in animum*; Ecclesiæ statum post adventum Christi Propheta in locis hisce depingit; nempe quo tēpore Deus assumpturus esset ex gentilibus in *Sacerdotes & Levitas*, uti verba se habent, commate *vicesimo primo* capitis ultimi; hoc est, instituturus esset ministerium Evangelicum. Indè is status Ecclesiæ ante mundi istius secundi conflagrationem, *sæculum venturum*, & *mundus futurus* indigitabatur; uti nos docet *Paulus* in *Epistolâ* ad *Ebræos capite secundo*, & versu quinto. Atque etiam capitis sexti versu quinto. Periit itaque per aquæ diluvium *primus* ille seu vetus mundus; *secundum*, tum temporis præsentem, per ignem periturum prænuntiat Apostolus, *futurum* autem, ad *consummationem usque sæculi* duraturum confirmat: sed è diverticulo in viam redeamus.

Noachum ipsum, de quo nobis sermo est, constat hominem justum fuisse, Deo gratum & acceptum, ex multiplici spiritus sancti Testimonio. *Geneseos* sexto. *Noach vir* Justus, *integer in generationibus suis, & secundum Deum indesinenter ambulabat*: versu etiam *primo* capitis septimi. *Te perspexi justum coram me in ætate hâc*. Honorifica præterea & Testimonio huic conformis, cùm in veteri tùm in novo Testamento (quod rarum & penè singulare) ejus mentio facta est. *Ezek.* 14. 14. 1 *Pet.* 3. 10. 2 *Pet.* 2. 5 Justitiam autem eum per fidem obtinuisse probat *Apostolus* undecimo capite ad *Hebræos*. Fides omnis salutaris respicit promissum semen: Hanc verò fidem habuit *Ante-diluvianus*; tunc enim Testimonio justitiæ per Deum ornatus est. Justus ideò erat & Deo gratus, coram eo ambulans integer, vi Theologiæ istius *Adamicæ* Anti-diluvianæ, quam superiori dissertatione tradidimus. At verò in gratiam ipsius *Noachi*, & Ecclesiæ in familiâ ejus instaurandæ, variis luminis gradibus statim à diluvio aucta est ea Theologia; quos strictim percurram.

Theologiam peccatorum *Anti-diluvianam* in tres partes superiùs dispescuimus; promissionem gratiæ, legē naturæ scilicet, & cultus instituti præscriptionem. Novâ ad *Noachum* Revelatione factâ, Prima ulteriùs aucta, Secunda pleniùs exposita est, Tertia stabilita. Etenim nunc primum fœderis Deus mentionem expressam facit. *Geneseos nono Capite, versuque nono*. ואני הנני מקים ברותי אתכם *Et ego, ecce ego, statuo fœdus meum vobiscum*. Pactum gratiosum beneficia spiritualia exhibens

hibens in Mediatore, Deum cum *Adamo* in promisso illo seminis celeberrimo sanxisse, anteà probavimus. Ad solennitatem quidem fœderis divini, requiritur promissio vitæ omniumque mediorum ad eam gratiosè obtinendam necessariorum, cum obedientiæ exactione atque restipulatione expressâ. Omnia hæc verò simul exprimi ubicunque de fœdere solùm agitur, necesse non est.

Promissio semper includit obedientiæ requisitionem. Est enim obedientia, nihil aliud, quàm *mediorum ad vitam promissam obtinendam institutorum, debita observantia.* Ubi autèm ea Obedientia quæ in fœdere requiritur *Moralis* solummodò est, atque ideò fundamentum generale alibi habet quàm in ipso fœdere, nempè in lege naturæ, atque per fœdus tantũ acceptũ & Deo gratũ redditur, cùm promissio sit puræ revelatiõis, nomẽ fœderis promissioni peculiaritèr ascribitur. Atq; ità fit hoc in locos promissio *fœdus* dicitur. Sed & alias ob rationes promissio, & fœdus idẽ sonant; eas enarrandi hic locus non est: de ipsâ voce pauca addi possint. ברית à ברה seu ברת, *succidere* aut *excidere* dici nonnullis placet. Ità *Grotius* Annotat. ad initium Evangelii secundum *Matthæum*, quià in fœderibus victimæ *cædebantur*. Alii ad ברא quod *deligere* etiam & disponere significat; atque ea nominis ratio *Coccio* viro docto pióque placet; de fœd: Dei. Cap. primo. A ברך *eligere, purificare, Mercerus* in radice ברה; undè undè ortum ducat, sæpe nudam *promissionem* significat: 2 *Sam.* 23. 5. *Jerem.* 31. 31, 32. Etiam *donationem* gratuitam irrevocabilem. *Numerorum* 18, 19. Atque *statutum* seu decretum Dei. *Jerem.* 33. 21. Et sæpissimè adhibetur ubi solennis partium conventio aut pactio locum nullum habet. In Novo Testamento per διαθήκην redditur, quæ vox æquè latè patet, ac ברית. De legibus, sponsionibus testamentis utitur, Teste *Grotio*. Vox συνθήκη quæ propriè *fœdus* significat, ad explicationem ברית non adhibetur in Novo Testamento. Seniores LXX perpetuò eam vocem per διαθήκη reddunt; alitèr Aquila & Symmachus, qui etiam συνθήκη utuntur. Ballius nostras tractatu de fœdere divino cap. 1. affirmat LXX ברית per συνθήκη reddere, *Isa.* 28. 15. Sed fallitur vir doctus; nam vox illa quam ibi loci per συνθήκη transferunt חזה est, quæ propriè *visionem* significat; versus autem initio more solito, loco ברית, διαθήκη ponunt.

Ejus rei rationem optimè reddit idem *Grotius*. συνθῆκαι, inquit, *ex consentienti duarum voluntatum Testimonio vinculi potestatem accipiunt; at quod Moses aliique* ברית *vocant, plerumque est ejusmodi ut nullum partis alterius consensum requirat, cum obligandi vis ei adsit solo Dei jussu & imperio.* Ita est, non suspenditur Dei fœdus à voluntate nostrâ, ullisvè

 condi-

conditionibus à nobis præstandis; ab Authoritate, gratiâ, & fidelitate ipsius Dei virtutem omnem habet & effectum. Absoluta enim est promissio gratiæ, neque ulla est fœderis conditio quæ in ipsâ promissione non continetur. Ineptè ideo agunt & præposterè qui ex naturâ *fœderis* inter homines sanciri soliti naturam τ͂ ברית divinæ exponere conantur. Neque *fœdus* apud Latinos semper solennem *partium* conventionem denotat; sed aliquando legem seu constitutionem: sic apud *Virgilium*, Æneid. 1.

Regemque dedit qui fœdere certo
Et premere & laxas sciret dare jussus habenas.

Fatemur autem promissionem hanc veram naturam fœderis habuisse; atque ideo in hunc locum τὴν διαθήκην τ͂ LXX, per συνθήκας interpretatur Chrysostom: *Homil.* 28. *in Gen.*

Cæterum *fœdus*, à *feriendo* dicitur; Nominis ortus ex fœdâ superstitione. Fœderum ineundorum morem, unde nominis origo, inter alios narrat *Polybius*; *fæcialis* (inquit) *sumpto in manibus lapide, postquam de fœdere inter partes convenerat hæc verba dixit; si rectè ac sine dolo malo hoc fœdus atque hoc jusjurandum facio, dii mihi cuncta fælicia præstent; sin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus salvis, in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulchris, solus ego peream, ut hic lapis de manibus meis decidet.* Alii aliter fœdera inita fuisse memorant atque hiscè verbis usum *fæcialem. Ita fœdè me percutiat magnus Jupiter, ut fœdè hunc porcum macto, si pactum fœderis non servavero:* atque ità porcum feriens ictu saxi occidit. Ità pœnè *Livius. Audi Jupiter, Audi pater patrate, ut illa palam prima postrema ex illis tabulis recitata sunt sine dolo malo, atque ea hîc hodie rectissimè intellecta sunt, illis legibus Populus Romanus prior non deficiet, si defecerit publico consilio, dolo malo, tu ille Diespiter* Populum *Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque.* Id ubi dixit, porcum saxo, silice percussit. In eundem sensum Poeta.

Armati, Jovis ante aram paterasque tenentes
Stabant & cæsâ jungebant fœdera porcâ. Æneid. lib. 8.
Atque —— purâque in veste sacerdos
Setigeræ fœtum suis attulit;——

Pro-

Probabile est Emanâsse hunc morem fœdera sanciendi non sine pravæ superstitionis interventu, ab antiquâ illâ consuetudine, stata & solennia pacta per sacrificia ineundi, ac hostiæ immolandæ in duas partes distributione, quas inter fœderaturis transeundum erat. Morem istum latè persequitur Homerus Iliad. γ. in fœdere quod Paridis & Menelai, μονομαχίαν precessit. ἵνα ὅρκια πιστὰ τάμωμεν· in quæ verba Eustathius. — τὸ τάμνειν δὲ ὅρκια παρ' Ομήρῳ καὶ Ηροδότῳ τὸ θύειν τὰ ἐπὶ ὅρκῳ σφάγια δηλοῖ· τάμνειν enim pro θύειν Ionice dicitur. Isto modo stabilitum erat inter principes *Jehudæ*, & regem *Babylonis* fœdus, quod ob invocationem nominis sui, Deus *suum* vocat, *Jerem.* 34. *v.* 18. *tradam homines istos qui transgressi sunt fœdus meum, qui non præstiterunt verba fœderis, quod pepigerant coram me, quum transiverunt inter dimidiatas partes vituli ejus quem dissecuerunt in duo. Et iterum*, ver. 19. *qui transiverunt inter dimidiatas partes vituli illius.* Inter hostiæ partes transeuntes, execratione se onerabant fœderati, istius modi dissectioni se devoventes, nisi statis pactis steterint. Ita *Agamemnon* Deos precatur.

— Ὅτις καὶ ἐπίορκον ὀμόσσῃ
Ὑμεῖς μάρτυροι ἔστε, φυλάσσετε δ' ὅρκια πιστά.

— *Quicunque perjurè juraverit,*
Vos testes sitis, & conservate fœdera fida.

Post quæ addit,
Ἦ, καὶ ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέϊ χαλκῷ.
Dixit, & jugulos agnorum incidit duro ferro.

Morti simili perjuros devovens, Nehem. 10. 29. *Pepigimus fœdus & juramentum, nos ambulaturos in lege Dei*: Inde forsan ista adversus servum infidelem comminatio. Διχοτομήσει αὐτὸν: scil. Dominus, *Mat.* 24. 51. ob neglectum fœdus, in *partes dividet*. Atque ab istâ hostiæ sectione, *secare* apud *Hebræos* est *fœdus ferire*, 2 *Paralip. cap.*7.*v.*18. & suscitabo solium regni tui quemadmodum כרתי *David* patri tuo; ὡς διέθηκα reddunt LXX. *Pollicitus* sum; vulgatus interpres. **As I have Covenanted**, translatio nostra vernacula. Ad verbum, *excidi, secavi.* Eodem modo idem verbum usurpatur in secundo capite Prophetæ *Haggai*, & versu quinto. Sed ad simplicem ברית hæc non pertinent.

Atque hic progressus Theologiæ Postlapsariæ primus gradus erat. Revelatione enim hâc *Noacho* facta, Communio ista quæ Deum inter & peccatores

peccatores in Mediatore intercedit, primùm fœdus expressè dicitur. Id nomen consolationis plenissimum, Amorem & Fidelitatem divinam perspicuè enuntians, novæ Ecclesiæ in familia *Noachi* erigendæ substernitur.

Porrò; signum fœderis visibile Deus nunc primum constituit, nempe *Arcum in nube*, Gen. 9. 11, 12. Non quidem nunc primùm *Arcum, in nube* constituit, sed nunc primùm *Arcum in nube*, in signum fœderis constituit. Eo modo Novi Testamenti Sacramenta אתות ברית seu *signa fœderis* appellari posse videntur. Hujus etiam signi gratiâ, promissio *fœdus* dicitur. Promissio enim cum signo visibili, propriam habet fœderis naturam. Undè ipsum signum aliquoties fœdus dicitur. τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη, *Luc.* 22. 20. Verum est τῶν βιωτικῶν solùm expressam hic mentionem fieri,& ipsum fœderis signum directè temporale beneficium respicit. Nihilominus gratia spiritualis, seu Amor Dei gratuitus ergà fideles maximè intenditur. Ea enim erat institutionum Religiosarum ante Christum in carne exhibitum, οἰκονομία. Sed hæc omnia σκία τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, *Heb.* 10. 1. quorum Christus ἀρχιερεὺς, *Heb.* 9. 11. habuerunt. Atque hæc ברית עלם seu æternum fœdus non nisi in Christo erat. Temporale quidem beneficium in omnes hinc emanavit; at spiritualis gratia fœderis in Christo sanciti, ad electos tantum pertinet.

Atque in hunc modum Theologia *Adamica. Ante-diluviana*, & nova Revelatione, & fœderis appellatione, & signo visibili aucta est. Inde fides & spes Theologorum confirmatæ. Pertinet autem *Arci in nube* in signum fœderis designatio, ad cultum institutum. Promissioni itaque accessit fœderis nomen; cultui instituto, novum Sacramentum, quibus duæ priores partes istius Theologiæ ampliatæ fuerunt.

Porrò ad ampliandam hanc Theologiam præcepta etiam ei addita sunt, ut ex omni parte post casum illustrem clarior assurgeret. De *Homicidio*, seu sanguine humano non fundendo, primum erat. Vitæ nempe prima atque ultima cura est; reliqua ei subserviunt. Extat præceptum, *Gen. cap.* 9. *ver.* 5, 6. *Quinetiam Sanguinem vestrum, animarum vestrarum reposcam, ab omni bestia reposcam illum; adeoque de manu ipsius hominis de manu cujusque fratris ipsius reposcam animam hominis. Qui effundit sanguinem, hominis, per hominem sanguis illius effunditor.*

Violentæ fusionis sanguinis humani, solennis heic instituitur vindicatio. Ipsa effusio lege naturali erat prohibita. Id docet & crimen & pœna *Caini*. Imo omnis adversus alios violentia, usque adeò contra

rectæ

rectæ rationis dictamen insurgit, ut effrænata illa rabies quâ quasi impetu facto se mutuo opprimebant peccatores Ante-diluviani, ipsius Diluvii causa gravissima extiterit. Verùm modus violentiam puniendi per Magistratum solennis, qui ultra privatarum familiarum pomœria se extenderet, per mutuum plurimorum consensum, nondum constitutus erat. Deus ideò orbem terrarum habitabilem Filiis *Noachi* concedens, conditione hâc universos oneravit, nempe quòd societatis politicæ & publicæ inter omnes pacis tuendæ ergô, Magistratum inter se constituerent. Inde Magistratus ἀνθρωπίνη κτίσις; non autem nisi stabili fundamento, Dei scil: jussu, erectus.

Verba itaque ista ritè exponit Paraphrastes Onkelos. *Quicunque effuderit sanguinem hominis, per testes ex sententia Judicum sanguis ejus fundetur.* Per באדם *in homine,* testes idoneos inter homines intelligit. Nec alitèr *Jonathan. Qui fuderit sanguinem hominis, per testes Iudices condemnabunt ipsum ad mortem; qui vero fuderit absque testibus, Dominus mundi de eo ultionem faciet in die judicii magni.* Naturale *jus Talionis* heic innui existimat *Grotius; quia Iudicia publica nondum constituta erant.* At naturale jus Talionis, non nunc demum ortum est. Et quamvis Judicia publica nondum essent constituta, tamen ut aucto humano genere, ne scilicet rediret grave seculum Ante-diluvianum violentiâ effrænata refertissimum, ut constituerentur heic cautum est. *Magistratus* ideo à *Deo instituitur & gladius ei in manus datur,* ut rectè *Munsterus* in locum.

Huic præcepto & illud additum est, *de non comedenda carne cum sanguine,* qui anima carnis est. Ejus rei disquisitionem cum magis operis habeat quam utilitatis, paucis in illius explicationem adhibitis, missam faciamus.

Hominibus Ante-diluvium *carnes* comedere permissum non esse plerique affirmāt. Quicquid enim est in esu carnium privilegii, demū concedi videtur, *Gen.* 9. 3. כל־רמש אשר הוא חי לכם יהיה לאכלה כירק עשב
Quæ verba adnectuntur iis quibus dominiū homini in כתתי לכם את כל
omnia animalia largitur, *v.* 2. Locus hic cum illo altero collatus, quo Deus victum Ante-diluvianis concessit, plane ostendit carnibus eos non usos fuisse. Inde abstinentiæ ab animalibus fama ad gentes pervenit. *Ovid. Metamor. Lib.* 1. *Fab.* 3.

Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus montanaque fraga legebant,

Cor-

Cornaque & in duris hærentia mora rubetis;
Et quæ deciderant patulâ Jovis arbore glandes.

Atque iterum: Lib. 15. Fab: 2.

At vetus illa ætas cui fecimus aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis,
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc & aves tutæ movere per aëra pennas.
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis;
Nec sua crudelitas piscem suspenderat hamo.

Virgilius etiam; Georgic: 2.

Ante etiam sceptrum Dictæi regis, & ante
Impia quàm cæsis gens est epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Et è nostris Tertullianus; de Cib: Iudaic: si is libri Author; cap. 2. *Cibus,* inquit, *primus hominibus, solus arborum fuit fœtus & fructus.* Hinc multis disputant Philosophi, unde factum sit, ut homines unquam inducti fuerint ad carnes vescendas. Postquam factum scitè exagitaverat, necessitati ascribit *Plutarchus*; Orat: περὶ σαρκοφαγίας. E participatione Sacrificiorum morem illum fluxisse, pluribus contendit Porphyrius, lib. 2. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. Inde omnia animalia quæ jugulantur veteres Græcos ἱερεῖα vocâsse ostendit Casaubonus, *Animad: in Athenæ*: lib. 1. cap. 11. quia scilicet nullis carnibus vescebantur, nisi eorum animalium quæ in usum Sacrificiorum mactata fuerunt. Sola itaque Holocausta ante diluvium in usu fuere. Permisso carnium esu, Sacrificia comitabantur epulæ è sacris, etiam quod probabile ante Legem, quamvis contrarium defendat Seldenus; *De Iure Natur: apud Heb: lib.* 3. *cap.* 8. Consulantur de primordiis esus carnium, *Beresith Rabb: Parash*: 34. *Iosephus Albo, lib. Ikkar*: *part.* 3. *cap.* 14.

Carne permissa prohibetur esus illius cum sanguine, *v.* 4. אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו *Veruntamen carnem in vita ejus, in sanguine ejus non: comedetis.* Non ipsius *Sanguinis*, sed *carnis cum sanguine* esus prohibetur. Prisci sæculi longævos homines pronos fuisse in crudelitatem ostensum est. Inde terra ante Diluvium violentia repleta. Efferari homines esu crudæ carnis, & sanguinis motu adhuc pænè palpitantis, inter Indos Americanos experientia docet. Ei vitio, cujus in confinio super cætera omnia verbo Dei destitutum poni videtur humanum genus, ut occur-

occurratur, data est Prohibitio hæc esus carnis cum Sanguine. Membrum *vivo animali* ereptum intelligunt nonnulli. Eo cibo barbaros *Americanos* adhuc delectari aiunt. Ita *Aben Ezra* in locum. *Ob id quod vobis concessi esum carnium animalium, non debetis esse crudeles in ipsas bestias, ut comedatis membrum de vivo animali.* In hanc *sententiam delatos esse recentiores Judæos* odio Christianorum sentit *Grotius*, hoc est Græcanicorum, qui adhuc *botulis cruore distentis*, ut loquitur *Tertullianus*, abstinent. Mihi vix videtur esus Sanguinis, qui jam perfrixerit, hîc prohiberi. Neq; id ullo idoneo Argumento ex textu probari potest. Imò nè *sanguis* primariò, directè, aut omnino interdicitur; multo minus esus illius à carne separati. Prohibitionis objectum caro est, peculiari modo affecta; בנפשו in anima sua; hoc est, dum adhuc sanguine vivo animatur. Atq; operam lusisse mihi videtur *Stephanus Curcellæus* Diatribâ Posthumâ de *Esu Sanguinis*, quâ quæstionem istam momenti alicujus esse in praxi Christiana contendit. Videatur *Lud: de Dieu* in loc. Vtrùm verò אבר מין החי *membrum ex vivo*, hoc est sanguine adhuc stillante, an דם מין החי *sanguis animalis adhuc viventis*, seu *sanguis ex animali* adhuc palpitans in carne prohibetur, incertum est.

Ad caput hoc etiam pertinent septem illa præcepta [illegible], quæ Deum *Noachidis* dedisse fama est. Ea ita recenseri plerumque solent.

1. על עבירה זרה *De cultu extraneo.*
2. על ברכת השם *De maledictione Nominis seu Numinis.*
3. על שפיכית דמים *De effusione Sanguinis.*
4. על גילוי עריות *De Revelatione turpitudinum.*
5. על הגזל *De Rapina.*
6. על הדינים *De Judiciis.*
7. אל אבר מן החי *De membro animalis viventis.*

Horum primo Idololatria omne genus prohibetur. De Sensu & Interpretatione Secundi non ita inter doctos convenit; ex usu vocis ברך ambiguo lis oritur. Ea & *Benedicere*, & *Maledicere* etiam significat. Sunt qui affirmativè verba efferunt, & Benedictionem nominis Divini seu cultum verum *extraneo* illi oppositum, eis intendi volunt. Qui negativè de *non maledicendo Dei nomine*, plures. Tertium est de Homicidio; de Adulterio, atque omni concubitu illicito Quartum. Quintum, mandatum Decalogi octavum exprimit. Regimen Politicum Sexto instituitur; & crudelitatem omnem mortales aversari docet Ultimum.

Præcepta hæc *Noacho* Filiisque ejus data fuisse primo post Diluvium

 anno,

anno, asserit *Genebrardus*; *Chron. ad Ann. Mun.* 1656. *Septem* (inquit) *præcepta dantur, quæ Hebræi partim præcepta filiorum Noe, partim præcepta naturæ appellant, & obligare etiam gentes sentiunt.* Nempe ex *Judæorum* Traditionibus manavit ista persuasio. In utroque Talmude & in multorum Rabbinorum scriptis mentio eorum frequentissima. At *Judæos* affirmare præcepta hæc *Noacho* & filiis ejus, hoc est, quatuor istis hominibus, statim à Diluvio data fuisse, falsum est. Per Noachidas seu Filios *Noachi*, intelligunt omnes gentes à se distinctas; se verò Abrahamidas & Filios *Izraël* opposité ad Filios *Noach* appellant: Ineptè; quasi *Abraham* & *Izraël* non essent Filii *Noach*. Sed ita illi loqui amant. Per *Noachidas* intelligunt omnes illos qui à *Noacho* procedentes privilegio nullo spirituali gaudebant. Istis præcepta hæc data esse affirmantes, nihil aliud volunt quàm generalia Rationis rectæ dictamina ea esse, seu capita Iuris naturalis vim obligatoriam obtinentia erga eos omnes qui Revelatione supernaturali destituuntur; se verò lege scriptâ insuper teneri. Hinc sex priora præcepta *Adamo* tradita fuisse affirmant; *Sed: Olam.* cap. 5. *Sephe: Melakim*: cap. 9. Quo scilicet communia naturæ dictamina ea esse, seu universalia Juris naturalis capita ostendunt. Vltimum *Noacho* additum fuisse asserunt; ita mandatum illud *de non edenda carne cum sanguine* interpretantur. Manas: Conciliat: qu: 2. in Deut. Cæterùm præcepta hæc doctissimis Commentariis illustrâsse *Johannem Seldenum*, notum est; quibus harum rerum studiosum Lectorem remittimus.

Nolo heic Orationem *Noachi* ad Posteros, quos secum in *Italiam* adduxit, quam in lucem protulit *Curtius Inghiramius*, inter *Ethruscorum* Antiquitatum fragmenta apponere, quasi locum aliquem in hac Theologiæ Ante-Diluvianæ dilatatione occupaturam. Totum enim Drama istud de inventis globulis, qui inclusas tenerent *Hetruriæ* Antiquitatum Historiolas, ab adventu *Noachi* in *Italiam* ad usq; *Bellum Catilinarium*, mihi, nec mihi solùm, operosissimum videtur docti quidem hominis, sed otio & ingenio suo nimium, imò impiè abutentis figmentum. Quoniam autem in Oratione quæ *Noacho* ascribitur τὸ πρέπον observaverit Dramatis Autor, judicio Lectoris eam heic loci permittendam duxi. Titulus Globuli, in quo reposita erat Oratio, Hic est,

NOA VANDIMON.

Deinde: *Hæc sunt verba magni Vandimonis, quæ ego Ancus Cæcinna transcripsi.* Oratio autem ista:

Audite filii nepotesque mei verba mea, & auribus vestris percipite, quæ pater

pater vester loquitur vobis. Benedictus Deus, ante cujus conspectum inveni gratiam, qui me ex aquis ereptum ad reparandum humanum genus, quod Deo irato pluviis imbribusq; deletum est, nè quod Deus fecerat penitùs periret, reservavit. Vos igitur maximo Æsari non ingrati, ipsum timete solum, ei servite ex mentibus vestris, quia dignus est, & quia multa bona fecit vobis, & quia Deus est. Si maximus Esar fuerit vobis semper Deus, nihil vobis deficiet. Ejus altare non polluatur, animam fratris sui nullus exquirat, sicut fecit Cainus. Sit inter vos vinculum pacis, neque unquam rumpatur. Vos civitatem hanc habetis, quam in monte hoc ædificavi; cùm hoc vobis non satis fuerit (nam vos multiplicari oportet) in eodem monte alias ædificare poteritis; & si mons non fuerit satis, eligite loca salubria, in quibus alias ædificare valeatis. Et si non fuerint inter vos dissensiones, omnia prospera succedent vobis. Qui Deum non timet, & qui à fratribus dissentit, ejiciatur à vobis, quia discordia fratris omnia corrumpit. Nolite filii mei iterum provocare Deum in fornicatione, in iniquitate, & nequitia, sed reminiscimini Deum qui fecit vos, liberavit vos ab aquis, & omnia propter vos creavit, vobis omnia subjecit. Deus bonos exaltat, impios disperdit; ipsum amate solum, & omnia in timore ejus facite; nam hæc facientes abundantia frumenti, vini, & olei replebimini, & filii fratrum vestrorum servient vobis. Regnum vestrum in secula manebit. Sacros ritus, & ceremonias, & omnia quæ relinquo vobis custodite semper; eáque filios vestros docete. Benedicat vobis Deus, & omni benedictione vos repleat; & cito regem mittat, qui vos à potestate aliena eripiat. Hæc ille, cujus nugas miror doctis ullis placuisse unquam, cùm nulla non pagina totius libri fraudem & imposturam satis indicet.

Atque hæc fuit Theologia Postdiluviana; nempe Naturalis illa *Adami* per Messiæ promissionem novo fini destinata, & in novos usus consignata, ei statui conformis, in quem Sathanas per peccatum homines omnes dolo malo illexerat, nova Revelatione, solennis fœderis renovatione, signo visibili, variisque præceptis aucta & instaurata, quam regulam fidei, obedientiæ, cultûsque totius Divini habuit Ecclesia octonaria. Ea instructos multos summâ erga Deum Reverentiâ, Pietate, Fide, Amore, Obedientia; erga proprium genus Mansuetudine, Charitate, Misericordiâ Iustitiâ, Fidelitate, ætatem egisse non est cur dubitemus. Sanctitas enim Cordis, vitæ puritas & Integritas, erga alios Beneficentia, morum omnium Simplicitas & Candor, reliquæque virtutes quarum beneficio ad imaginem Dei homines renovantur, etiam in minimo Revelationum gradu externo, modò adfuerit Spiritus Sanctus salutari suo lumine mentes hominum irradians, vigere potuerunt

Hujus Theologiæ Beneficio, Ecclesia reformata quoad externam professionem & ὁμολογίαν, annos quadraginta, aut eo circiter, pura & Deo accepta in terris versata est. Nihil enim quod eam ullatenus contaminaret, nisi post natum & forsan Annorum aliquot ætate provectum *Canaanum* Filium *Chami* quartum & minimum, memoriæ proditum est. Erupit tandem *Chami* diu cælata impietas. Ea qualis fuerit, ostendit Spiritus Sanctus, *Gen. cap. 9. v. 22.* Peccatum erat contra Rationis rectæ dictamina, quæ, teste *Aristotele*, γονεῦσι τιμᾶν omnes docent. Ita etiam *Plutarchus* περὶ φιλαδελφίας; πάντες λέγουσι καὶ ᾄδουσιν ὡς γονεῦσι τιμὴν μετὰ θεοὺς πρώτην καὶ μεγίστην ἥ τε φύσις, ὅ τε τὴν φύσιν σῴζων νόμος ἀπέδωκε. καὶ οὐκ ἔστιν ὅ τι μᾶλλον ἄνθρωποι κεχαρισμένον θεοῖς δρῶσιν ἢ τοκεῦσιν αὐτῶν καὶ τρεφεῦσι παλαιὰς ὀπὶ νέαις δανεισθείσας χάριτας προθύμως ἐκτίνοντες. οὐδ᾽ αὖ πάλιν μεῖζον ἐπίδειξις ἀθέου γένοιτ᾽ ἂν τῆς περὶ γονεῖς ὀλιγωρίας καὶ πλημμελείας. διὸ τοὺς μὲν ἄλλους κακῶς ποιεῖν ἀπείρηται, μητρὶ δ᾽ αὐτοῦ καὶ πατρὶ τὸ μὴ παρέχειν ἑαυτὸν δρῶντα αἰεὶ καὶ λέγοντα ἀφ᾽ ὧν εὐφρανοῦνται, κἂν μὴ προσῇ τὸ λυποῦν, ἀνόσιον ἡγοῦνται καὶ ἄθεσμον. *Omnes hæc dicunt atque canunt, primum secundum deos honorem ac præcipuum parentibus, naturam & legem naturæ destinâsse: neque diis quicquam gratius homines facere quàm si parentibus alumnisque suis veteres super novas fæneratas gratias alacriter persolvant. Neque contra majus est argumentum impietatis, quàm parentum despicatus & in eos injuriæ. Itaque interdictum est nobis, ne aliis male faciamus; matri autem & patri non ita se dare, ut semper ea dicas atque agas quibus lætantur, etiamsi molestiam præterea nullam afferas impium injustúmque habetur.* Hæc ille egregiè. Similia habet *Hierocles*, & totus pæne Sapientum Chorus. Mirum ideo nonnullos ob ea verba וידע את אשר עשה לו בנו קטן *& novit quid ei fecit filius parvus*, non Chamum, sed Chanaanum intelligi debere contendere. *Nam quid*, inquiunt, *fecit Cham patri suo? Tantum fratribus de patris probro nuntius fuit.* Verba sunt magni *Scaligeri* in Elencho Orationis *Davidis Paræi.* Id, inquam, fecit; apertè & palàm legem naturæ transgressus est, quod ex fratrum ipsius facto ejus impietati opposito liquidò constat. Nuditatem Patris τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιγελῶν δείκνυσι, ut rectè *Josephus* Antiquitat: lib: 1. cap. 1. Peccavit itaque adversus maxima illius Theologiæ principia, quæ Ecclesiæ, cultûs, & obedientiæ fundamentum erat, & norma.

Peccatum itaque *Chami* Sacra Scriptura, uti ostendimus, luculenter satis exponit. Quæ ei narrationi à nonnullis adjiciuntur, Conjecturæ sunt, imò Somniantium deliria. Eum non tantùm vidisse, aut spectâsse cum gaudio & insultatione quadam Patris nuditatem, sed virilia ei resecuisse, vel magicis artibus incantâsse, ne in posterum filios gigneret, nugantur Rabbini. Ras. in cap. 9. *Gen.* Eorum fabulis adhæret Boisardus.

dus *in Apollon. Tyan*: atque fidem adhibere videtur Athan: Kircherus *de origin: Literar: & Obeliscor*: cap. 2. Hinc fabulam de Saturno patri suo Cœlo genitalia abscindente, uti *Lactan.* lib. 1.cap.12. vel Jovem Saturnum ipsum falce secante, ortum duxisse omnes pæne suspicantur. Et id quidem valdè verisimilis est; quamvis ut verum fatear, ita scitè totam fabulam ad Theologiam naturalem *crypticam* accomodat Porphyrius, lib.*de Antro Nympharum Ithacensi*, ut pænè crederem aliquid tale in animis habuisse primos Fabulatores. Cæterùm Maledictio in *Cananeum* exfertè denuntiatur; vel quia is maximè tum temporis Patri esset in delitiis, Filius scilicet ejus natu minimus; vel quia Patri in peccato & spectaculo nefando adstiterit; vel quia ista inter posteros *Chami* familia prima ab Ecclesia vera & cultu Dei discessura esset, vel in Israelitarum solatium, qui in terram promissam ingressuri, gentem cum quâ bello congressuri essent, maledictam, & olim servituti & destructioni addictam intelligerent. Ut ut erat, ipsum *Chamum* in persona Filii maledictum fuisse, hoc est, è Familia Dei ejectum, certissimum est. Mira autem sunt, seu potius jocularia, quæ Antiquorum nonnulli nugantur de Passione Christi præsignatâ in Ebrietate *Noachi*; de Cruce, Sacramentis, Gentibus, Judæis, Verbi ministris, quæ omnia se in Vino, Chamo, Iapheto, Vestimento, vidisse arbitrati sunt.

Ob peccatum itaque hoc, quo aliquamdiu cælata ejus hypocrisis ad gravissimum Ecclesiæ scandalum erupit, & palàm se exeruit, *Chamus* à Patre, qui adhuc sub Deo toti Ecclesiæ præfuit Autoritate paternâ, est maledictus. Ejus autem ejectione è societate Piorum, aliud Reformationis Ecclesiasticæ idque illustre documentum habemus. Etenim per peccantium è cœtu & communione Deum per fidem ritè colentium amotionem, Ecclesiæ Reformatio primo tentanda est. Ejus in Ecclesia Adamica postlapsaria exemplum antè dedimus. Invalescente autem contumacium manu, Fidelium è cœtibus illorum separatio locum ejus supplet.

In hunc itaque modum novæ Ecclesiæ Reformatio est instituta. Ea est enim omnium infirmitas, multorum malitia, ut nulla unquam Ecclesia à mundi primordiis sine insigni aliqua Reformatione, diu durare potuerit. Huic autem Ecclesiæ recens reformatæ novæ promissiones datæ sunt; partim in fortunæ miserrimæ consolationem, partim ut essent ad exactiorem obedientiam, & vitam summâ cum curâ & diligentiâ coram Deo degendam stimuli. Gen. cap.9. v.26, 27. *Benedictus Jehovah Deus Shemi, alliciet Deus Japhetum, ut habitet in tentoriis Shemi.*

Chamum à solenni Dei cultu maledictione paternâ fugatum, omnes

piorum cœtus fugisse etiam, dubium non est. At nondum tempus aderat, quo dissipandum erat in varias terræ partes humanum genus. Cum fratribus ideo atque posteris illorum, *Chamus* atque sui sub eadem cœli plaga habitare persisterunt. Hinc orta est nova mali labes, hinc iterum repullulavit defectionis seges, in Ecclesia non ita pridem è diluvio emersâ, & recens reformatâ. *Noachum*, *Shemum*, *Japhetum*, piósque eorum Filios & Nepotes, puritatem cultûs Dei secundùm Theologiæ illius quâ erant instructi canones, sartam tectam in Ecclesia præservare conatos fuisse, nemo dubitat. Id & propria illorum pietas, & officii erga alios ratio postulabat. At verò ex eorum posteris plurimos, impiis *Chamistarum* seductionibus & exemplis abreptos, cùm & ipsi naturam in omne scelus præcipitem habuerint, fœdè & pænè Catholicè à Dei regimine & cultu intra paucos annos defecisse, ex eis quæ secuta sunt, intelligemus. Centesimo enim & primo post Diluvium anno, sceleribus cooperta, superbia vecors, & contumax Apostatarum turba, Imperio, Disciplina, & monitis *Noachi* palam posthabitis, in omne scelus præceps ruebat. Cùm verò humile, pacificum, & pium *Noachi* vivendi genus, eis maximè displicuerit, in contraria omnia abierunt. Abjectâ ideo omni numinis Reverentiâ, & superbiâ nescio quâ elati, Turri ædificandæ, unde Nomen & Gloriam sibi compararent, incubuerunt. Eos verò magna, atque Deo exosa molientes, horrendum confusionis linguarum judicium corripuit, & in totius terræ superficiem dispescuit. Abs eo die usque ad Messiæ promissi adventum, maximam humani generis partem, propriis ipsorum viis incedere, Deus permisit.

CAPUT SECUNDUM.

Catholicæ Defectionis Ecclesiæ Noachicæ narratio. Noachus, איש האדמה *Fabula de Saturno & Rhea inde nata. Janus. Justitiæ præco. Oracula Sybillina ficta. Carminum Sybill: Authores. Sybillæ unde dictæ. Illarum oraculis traditiones mistæ. Specimen. Turris Babylonicæ ædificatores; ædificandæ ratio, & causæ. Lingua primæva quænam. Sententia Grotii exponitur. Lingua Sancta unde Hebræa dicta. Gen. 10. 21. Jehosh. 24. 3. Uzzielis Targummistæ fabulæ portentosissimæ. Abraham Hebræus ab Hebero dictus. Tempus Divisionis linguarum.*

NOachum fuisse איש האדמה hoc est, *Terræ virum*, notat Scriptura, Gen. cap. 29. v. 20, humili nimirum vivendi genere occupatum. Hoc miseram in terris Peccatorum conditionem, suámq; speciatim qui

qui horrenda Dei judicia in mundum Antediluvianum viderat, decuit. Inde Saturnum Rheæ virum seu maritum, hoc est, *Terræ* dixerunt fabulatores. Conjectura *Bocharti* est; Geog: Sa: lib: 1. cap. 1. Quicquid de eo senserint posteriores, id vitæ genus, ejus sæculi impiis displicuisse palam est. Vineam etiam plantans וישת מן היין bibit ex *Jain* seu vino; inde *Janus* dictus. Eum Antediluvianum Iustitiæ præconem fuisse affirmat Apostolus, 2 Pet. cap. 2. v. 5. Officio isto ritè fungens, quem sanare non poterat, fide & factis mundum condemnavit: Heb. cap. 11. v. 7. Concionum ejus meminerunt carmina, quæ oracula *Sybillina* dicuntur, hisce atque aliis versiculis.

Ἄνδρες ἀπιστόκοροι μεγάλῳ βεβλημένοι οἴστρῳ
Οὐ λήσει θεὸν ὅσ' ἐπράξατε. πάντα γὰρ οἶδεν
Ἀθάνατος σωτὴρ παντεπίσκοπος, ὅς μ' ἐκέλευσεν
Ἀγγέλλειν ὑμῖν, ἵνα μὴ φρεσὶν ἐξαπολῆσθε.
Νήψατε, τὰς κακίας ἀποκόψατε, μηδὲ βιαίως
Ἀλλήλοις μάρνασθε, μιαιφόνον ἦτορ ἔχοντες
Αἵμασιν ἀνδρομέοις πολλὴν γαῖαν ἀρδεύοντες.

Perfidiosi homines, quæ vos dementia cepit?
Quæ facitis Deus haud ignorat; namque salutis
Author inextinctus videt omnia, & omnia novit.
Qui mihi jussit uti vobis hæc dicta referrem.
Exitióne sit demens socordia vobis
Dicite Justitiam, vitiis absistite, necne
Inter vos animis odia exercete cruentis.
Humano latè tingentes sanguine terram.

Hæc illa, quæ paulò post fingit se *Noachi* nurum, & in Arcâ unà cum eo, maritoque suo fuisse. Sed ficta sunt omnia quæ *Sybillarum* nomine circumferuntur. Miror mortalium quenquam adeo unquam abjectæ fuisse credulitatis, ut aliter sentiret. Eorum Authores non tantùm plurima ex Sacris Scripturis hauserunt, sed Christiani fuerunt, & Hæretici. Priscillam & Maximillam Montani Prophetissas centones istos composuisse, si facti fœminæ Autores, haud est improbabile. Nonnisi post earum evulgatas Prophetias, Christianæ Religionis mysteria ex Oraculis Sybillinis fuere deprompta. Fatidicas quasdam mulieres, quas *Sybillas* dixerunt, quasi Diis à consiliis secretioribus, (τὸ γὰρ ἐνθεάζειν, σιβυλλαίνειν inquit Diodorus lib. 4.) inter gentes vixisse haud negarem. Earum autem

sortes

Sortes & oracula diabolica fuisse omnis historiæ fides docet. Consulantur quæ ex earum libris jussu Senatus Romani variis temporibus depromta memoriæ tradiderunt Dionysius Halicarnasseus, Plutarchus, Cicero, Varro, Livius, Tacitus, Zosimus, aliique; Superstitionem Diabolicam, & Hellenismum sapiunt omnia: Summam omnium refert Annal. 15. Cor: Tacitus. *Mox*, inquit, *petita à Diis piacula, aditique Sybillæ libri, ex quibus supplicatum Vulcano, & Cereri, Proserpinaque, ac propitiata Juno per matronas, primum in Capitolio, deinde apud proximum mare.* Forsan autem vera etiam nonnulla falsis miscuit antiquus Serpens, suo more, quo vera suspecta redderet, falsis conciliaret fidem. Etiam quæ tenui fama, ex primæ promissionis aliarúmque Revelationum divinarum traditione priora mundi secula de futuro Messiæ regno invaserant, in lacunas ethnicas diducta, Vaticiniis istis permista fuerant. Tale illud esse videtur, cujus in secundo libro de Divinatione meminit Marcus Tullius. *Sibyllæ*, inquit, *versus observamus*, *quos illa sacros fudisse dicitur, quorum interpres nuper falsa quadam hominum fama dicturus in Senatu putabatur, eum quem revera regem habebamus appellandum quoque regem esse, si salvi esse velimus. Hoc si est in libris in quem hominem & in quod tempus est? callidè enim qui illa composuit, perfecit, ut quodcunque accidisset prædictum videretur hominum & temporum definitione sublatâ.* Lucium Cottam quindecemvirum notat, qui instigante Antonio, Iulii Cæsaris ambitioni, potestati regiæ etiam nomen addere cupientis, publica fama eorum temporum de rege maximo venturo, litare conatus est. Idem Oraculum iisdem pænè verbis exponunt Historicorum Romanorum nominatissimi, Suetonius & Tacitus; Ille in vita Vespasiani, Hic Historiarum quinto; *Veterem & constantem opinionem* vocat Suetonius; *Persuasionem ex antiquis Sacerdotum libris* Tacitus. Nempe est, ἐκ Σιὼ ἐξελεύσονται ὁ ἡγέμων…; hoc est, *valescet Oriens* præfectúsque Iudeæ rerum potietur. Hæc vero ad nostra carmina nihil.

Verùm *Noachum* coævos suos antediluvianos scelerum admonuisse superiùs ostendimus. Filios etiam & nepotes post Diluvium ab impietate & à Deo defectione cohibere, illum enixiore opera non contendisse, nefas esset suspicari; utrúmque frustrà. Quamvis enim totius novi populi pater esset, degeneros tamen filios non potuit coercere à stulto conatu nomen suum celebrandi ingentis Turris ædificatione. Gen. 11. v. 3, 4.

Ipsum *Noachum*, piósque omnes ab insano isto Apostatarum molimine abstinuisse, Sacra Scriptura clarè innuit. Qui facinus illud aggressi sunt בני האדם fuere, Gen. 11. v. 5, hoc est *Filii hominum.* Ii opponuntur

nuntur *Filiis Dei*, seu diis & Deum timentibus. *Filii* enim *Dei* à diebus *Enosh*, & ante, & post Diluvium, fuere pii homines Theologiæ Adamicæ adhærentes, cultuíque divino; *Filii Hominum* desertores & Apostatæ. Impios itáque Apostatas Ecclesiæ desertores hîc innuit Spiritus Sanctus. Fabulam Gigantæam hinc natam pueri norunt. Turrim autem struxerunt non quà in Cœlum ascenderent. Neque eam insaniam credibile est illos insaniisse, quos Deus impediit ne incœptum perficerint. *v.* 6. Neque ut immunes ab alio diluvio se sisterent, facinus illud agressi sunt. Vniversale diluvium nullum futurum esse, non potuerunt ignorare. Neque eo fine è montibus totius terræ editissimis in vallem profundissimam descendissent. Verum superbia & κενοδοξία elati NOMEN & gloriam eo opere sibi comparare, apud se statuisse diserte testatur *Moses*, v. 4.

De confusione Linguarum multa passim disputantur, quæ hujus loci non sunt. De lingua primæva ejusque nominis quod postea obtinuit ratione pauca adjiciamus. *Filios Dei* sceleri πορνείας affines se neutiquam præbuisse diximus. Apud eos ideò, eorúmque posteros mansit linguæ primævæ usus. Eam linguam Hebræam fuisse, quæ nempe postea ita vocata est pœnè consentiunt viri docti. Rectè *Cl: Bochartus*, Lib. 1. Cap. 10. *Aliorum linguis confusis, hi (*hoc est pii fœderis participes*) propriam retinuerunt, id est, antiquissimam illam quæ ab Hebero Hebræa dicta est, quia sarta tecta mansit apud Heberi posteros.* Quod sciam, solus inter recentiores in alia sententia est *Grotius*, Annotat: ad cap. Gen. 11. v. 1. *Erat Terra labii unius*; *Eam linguam*, inquit, *Hebræi suam dicunt, Syri suam.* Recte hoc; Hebræi ita dicunt idque constanter: Ita Targum *Jonathanis*. בלישן קודשא הוו מגללין אתבריא ביה עלמא מן שירויא *Lingua Sancta loquebantur quâ Creatus est mundus ab initio.* Iisdem verbis Hierosolymitanum. Rab: Sol: Jarchi in locum; *Labium unum est lingua sancta.* Ita etiam *Aben Ezra*, & veteres Christiani omnes, excepto *Theodoreto*. *Sed Syri putant suam Linguam fuisse*, inquit *Grotius*. Hoc etiam verum est. In ea sententia sunt Maronitæ, post Theodoretum. Ineptè eos ita putare liquidò nimis constat. Linguam Syram ab Hebræa, non Hebræam è Syra originem duxisse, agnoscunt omnes qui quidquam in earum Analogia sapiunt. Id Linguæ Hebrææ puritas & simplicitas clamant. *Syri Maronitæ*, inquit *Josephus Scaliger*, Epistolâ ad *Richardum Thomsonum*, *antiquiorem Syriasmum Hebraismo quovis pignore contendunt; quæ est summa imperitia; nam perinde est ac si Idioma Italicum Latino vetustius esse dicerent.*

rent. Nam certe מלך *prius est quam* מלכא, *& multa alia ad hanc pertinaciam expugnandum affere possumus.*

Sed Hebræa lingua, inquit Grotius, *lingua est* עברים *advenarum è Chaldæa. Hæc enim origo nominis Hebræorum,* vid. Jos. 24. 2. *Lingua igitur Abrahami & ejus posterorum incolentium in Canauæa, ad Cananæam linguam propius semper, propiusque accessit.* Hæc ille, ὑγιὲς οὐδὲν.

Fateor eam ὀνοματοθεσίαν, *Hebræi* scilicet & *Hebræorum* rationem, viris quibusdam doctis placuisse, atque adhuc placere. Argumenta pro ea sententia collegit Erpenius, *Orat: de ling: Heb.* quæ refellit Fullerus *Miscellan: Sac:* lib. 4. cap. 4. & Rivetus in Genes: Excercit: 66. & Bochartum eam vocum istarum originationem rejicere superius ostendimus. Magnum sanè olim fuit è Mesopotamia exiisse, gentibus quas συγκλείσαντας οἱ ποταμοὶ ἔχουσιν, conclusas fluvii tenent. Etenim νησιώτας ἑαυτοὺς νομίζοντες ὡς ἐπὶ θάλατταν καταβαίνειν φασκειν, ὅτ' ἐπὶ τοὺς ποταμοὺς βαδίζοιεν, ὅρον τε ποιεῖσθαι τῆς γῆς τὸν τῶν ποταμῶν κύκλον; *Se insulares esse censent, ut in mare descendere dictitent, quando vadunt ad flumina, & terræ limitem faciunt fluviorum ambitum*: Ut ait Philostratus in *Vita Apollon:* lib. 1. cap. 14. *Hebræum* autem inde dictum esse *Abrahamum*, & linguam sanctam Hebræam, hoc est, eum Transitorem, hanc Transeuntium, nimis est incredibile. *Moses* dicit, *Semum fuisse patrem omnium Filiorum Heber*; Gen: cap. 10. ver. 21. quod quid aliud sit, quam omnium *Hebræorum pater,* vix intelligi potest.

Itaque Filii Heber qui Hebræi, & Hebræi qui Filii Heber. Atque hæc ὀνοματολογίας ratio. Dicunt quidam hæc verba posse significare, *Semum fuisse patrem omnium Transfluvianorum.* Id vero sine ullo exemplo dicitur, & omni verisimilitudine destituitur. Siquidem dixisset Spiritus Sanctus הוא אבי כל העברים *ipse pater omnium Hebræorum,* conjectura ista non adeo futilis fuisset. Sed uti se verba habent scil: כל בני עבר eis posteros Heberi, neque alios denotari liquet, ex communi usu linguæ Sanctæ. Nec ratio ulla probabilis reddi potest, cur *Semus* omnium Transfluvianorum Pater διακριδὸν diceretur, cum maxima pars Posterorum ipsius semper habitaverint cis Fluvium, transirent autem plurimæ familiæ è *Chamo* oriundæ. Illud autem quod de Hebero diximus diserte affirmatur à *Baalamo* in vaticinio suo ultimo, Num. cap. 24. ver. 24. *Naves à Chittim affligent Assur, & affligent Eber,* ubi pro conjugatis, nomina Gentilia, & Patronymica Prophetam usurpare consentiunt Interpretes, adeo ut vulgatus reddat *Assyrios & Hebræos.*

Sed ad *Josh. cap. 24. ver. 3.* nos mittit *Grotius.* Dicit quidem eò loci

loci *Iehoshua* Deum *Abrahamum* accepisse מעבר הנהר *à transitu fluminis*, seu loco qui Transfluvium erat. *Abrahamum* itaque indè עברי quasi diceres Transitorem dictum fuisse Arbitrantur; ob eam etiam rem, nempe quod *Abrahamus* flumen transierit, nomen istud ita à Spiritu Sancto usui datum, ut omnium posterorum ejus cognomentum fieret, & in omne ævum Transitores dicerentur, seu Gens Transeuntium. Verum istiusmodi ὀνοματοθεσία ratio par aut similis nusquam gentium extat in rerum monumentis. Causæ itaque conjecturæ ne vestigium heic apparet. Neque solus erat *Abrahamus* qui eo seculo *Euphratem* trajecerat in terram *Canaan* migraturus. Ob eam ita rationem, nec quod habitâsset in Mesopotamia, non magis quam alii plurimi aut Transitor, aut Transfluvianus dicendus erat. Imo plerosque Cananæos, à Chamo scilicet oriundos, non longè post dispersionem Babylonicam Euphratem trajecisse certissimum est. Isti ideo, ex hâc scilicet vocis originatione, non minus Hebræi dicendi essent, quàm ipse *Abrahamus* & Posteri ejus; neque minus quàm Apostolus *Paulus*, se Hebræos ex Hebræis fuisse gloriari potuissent.

Gratis à nonnullis in hac causa dicitur, imo falsò præsumitur, *Abrahamum* à Cananæis primò dictum fuisse *Hebræum*; *Quasi*, scilicet, *Transitum ejus, quem penè*, uti *aiunt*, *oculis conspexerant*, eo nomine denotare vellent. Ab ipso enim Spiritu Sancto est eo cognomento primùm insignitus, *Gen. cap.* 14. *ver.* 13. *Venit*, inquit, *qui evasit, & nuntiavit Abrahæ Hebræo.* Verba sunt Spiritûs Sancti, non Cananæorum. Inter Cananæos verum est illum ita primò nuncupatū fuisse; à Cananæis nequaquam. Sed reddunt ea verba LXX τῷ Ἀβραμ, τῷ περάτῃ, *Abræ transitori.* Inde etiam eum *Abram* dictum fuisse, eàmque significationem id nominis habere, inconsultò nimis arbitratus est *Chrysostomus Homil:* in *Gen.* 35. ἐξ ἀρχῆς, inquit, οἱ γονεῖς τὸ ὄνομα αὐτῷ ἐπιτιθεῖσιν προμηνύοντες αὐτῷ τὴν ἐκεῖθεν μετάστασιν. Ἐπειδὴ γὰρ περᾶν ἔμελλε τὸν Εὐφράτην, καὶ ἐπὶ τὴν παλαιστίνην ἔρχεσθαι· διὰ τοῦτο καὶ Ἀβραμ ἐκαλεῖτο. *Ab initio parentes hoc nomen ei indiderant, jam ante significantes eum inde migraturus. Vocatus enim est Abram, quia migraturus erat trans Euphratem & in Palæstinam venturus.* Vtinam in hoc loco solo ex ignoratione Linguæ Hebraicæ hallucinatus esset Vir Doctissimus. Aliam autem planè esse ejus nominis significationem pueri norunt. περάτην *Abrahamum* LXX à פרת vocasse nonnulli existimant. Sed apertè eos decipit vis vocis. Verbi itaque interpretationem non ipsum verbum reddiderunt. Id eis solenne fuisse observat Hieronymus, in *Esa. cap.* 24. *v.* 12. ubi è contrario נחל מצרים per Rhinocururam transferunt. *Pro torrente Ægypti*

pti (inquit) LXX *Rhinocururam transtulerunt, quod est oppidum in Ægypti Palæstinæque confinio, non tam verba Scripturarum quam sensum verborum exprimentes.* Ita literarum similitudine decepti, non semel pro *Hebræus, servus,* transtulerunt. *Daleth* scilicet legentes loco *Resh.* 1 Sam. 13. 3. ישמעו העברים *audiant Hebræi*; 70. ἠθετήκασιν οἱ δοῦλοι, *spreverunt servi.* ἠθετήκασιν quid sibi velit nescio. δοῦλοι est עבדים & *Ionæ* 1. v. 8. עברי אנכי *Hebræus ego*; 70. Δοῦλος κυρίου εἰμὶ ἐγώ; *Servus Domini sum ego*; ubi de suo κυρίου addunt quo hallucinationi colorem darent. Non est ideo cur eorum hujus nominis interpretatio ullatenus nos moveret. Si vero Transitorem eum vocare non Hebræum *Moses* voluerit, non עברי quod Patronymicum est planissimè, ut אמרי & עמלקי: sed עובר vel עוברי nominâsset; ut ostendunt Augustinus Steuchus, Drusius & Buxtorfius; Sed ἐν ἑτοιμίᾳ ratio in promptu. Gens Cananæorum tota olim extirpanda, è multis familiis quæ è sedibus Orientalibus variis casibus actæ, vel impetu quodam à Deo impulsæ, variisque sub ducibus in terram illam confluxerant, cum temporis erat conflata. Ea omnes a notissimis stirpium Authoribus (non à Chamo, non ab ipso Canaane, sicut nec *Abrahamus* à Semo) assumptis cognomentis, quæ *Moses* enarrat, Gen: cap: 10. ver. 15, 16, 17 18. inter se distinctæ erant. Hic Amoræus erat, ille Iebusæus, Hivæus alter, & Hittæus. A stirpe sua, seu stirpis Autore quisque denominabatur. Inter eos degens *Abrahamus*, à famosissimo Familiæ undè oriundus erat Autore Hebero, Hebræus dictus est, atque ita ab omni Chami stemmate, etiam familiari Appellatione separatus. Eodem etenim in loco ubi Abrahamus primum עברי seu Hebræus dicitur, Mamre socius ejus אמרי seu Amoræus nuncupatur; ut utriusque cognominis eandem fuisse rationem facilè perspiciamus; ambo enim sunt æquè Patronymica. Prout ideo omnes istius Terræ incolæ nomine aliquo Patronymico insigniti, distincti inter se erant; ita Abrahamus à celeberrimo stirpis suæ Autore Hebræus dictus est. Nec alio sensu eam vocem Targumistæ accipiunt. Vzzielem consulenti in locum, occurret fabula, quam heic exponendam duxi, ut intelligat lector quales carbones pro Thesauro reperturi sint, quibus in Thalmudicum istum fabulatorem incidere contigerit; neque enim ullubi pœnè quàm hic loci magis sapit. Ita ergo ille in Gen. cap. 14. v. 13. *Et venit Og qui evaserat ex viris qui mortui erant in Diluvio; & inequitaverat arcæ, & erat operimentum in cacumine ejus, alebatur autem ex cibis Noach; nec justitia sua ereptus est; sed ut viderant incolæ mundi fortitudinem Dei & dicent; annon gigantes qui erant ab initio rebellarunt in Dominum mundi, & perditi sunt ex terra--*

Venit

Venit autem ad Abrahamum, ad occasum Diei Paschatis, & invenit ipsum quod faceret placentas Azymas. Hisce addas licet ejusdem Ogi Antediluviani scilicet interitum quem ad Numero. cap. 22, ita enarrat. *Accidit vero postquam improbus Og--- Vidit castra Israelitarum quæ porrecta erant in sex milliaria, dixit apud se; instruam aciem adversus populum hunc; ut non faciant mihi quemadmodum fecerunt ipsi Sihon; ivit & evulsit montem extensum in sex milliaria, & imposuit ipsum super caput suum ad projiciendum in eos; statim paravit Verbum Domini vermem qui arrosit montem & perforavit ipsum, & immersum est caput ejus in medium ipsius; voluit extrahere ex ipso caput suum* (non ut est in Translat: Londin: voluit extrahere ipsum ex capite suo) *sed non potuit quod traxisset dentes suos & molares oris sui huc & illuc, ivit Moses & tulit securim decem cubitorum, & saltavit decem cubitos, & percussit ipsum in talo pedis, & cadens mortuus est.* Hæc ille, Digna quæ Esopi Fabulis adnumerentur, nec digna tamen, cum sint insulsa, & omnimodò inutilia, imo noxia; Impudentissimis mendaciis haud magis scatet Muhammedis Alcoranus, quam iste B. Uzzielis Pentateuchus. Eo autem magis hic est detestandus, quod sacra Dei oracula sibi conspurcanda proposuit nugator. Targum Onkelosi habet עבראה *Hebræo*; & Exod. cap. 13. ver. 18. העברים *Hebræorum*, reddit per ביהודאי *Judæorum*: & אחיך העברי *Frater tuus Hebræus*, per אחיך בר ישראל *Frater tuus Filius Israel.* Idem ei sunt Hebræus & Judæus, & Filius Israel; hoc est nomen istud Patronymicum.

Objiciunt quidam nullam probabilem rationem assignari posse, cur è nomine Heberi potius quam aliorum, Semi scilicet aut Arphaxadi tota familia denominata esset; aut cur Abrahamus potius quam alii Heberi nepotes ab Hebero Hebræus diceretur; Sed causa utriusque probabilis, & ratio haud desunt. Heberum in novo populo magnoperè eminuisse, ex eo quod rejectis reliquis, omnium Filiorum Heber Pater esse Semus signanter dicitur Gen. cap. 10. ver. 21. probabile est. Quemadmodum eum honoris gradum, nisi per Sanctitatem, & in Deum virtutem assequeretur Ratio nulla assignari potest. Deinde omnium Patriarcharum qui post Diluvium nati fuere μακροβιότατος extitit, & Filio suo Peleg superstes. Post ejus obitum nulli dubium esse potest, quin peculiarem nepotum curam susceperit, atque eis fuerit loco parentis immediati. Sic quamvis Aram, fuerit Semi Filius natu minimus, quia tamen Fratribus omnibus diutius vixerit, Lingua Syriaca qua usi sunt plurimi alii præter ipsius progeniem, dicta est Aramæa, ut docet nos Elias Levita in Præfatione ad *Methurgamim*. Vixit etiam Heber pietate insignis eo tempore

quo

quo Linguæ confusæ, & Terra divisa est; cujus adorandæ providentiæ divinæ speciminis intuitu, Filio suo nomen Peleg indidit. Etiam ex Linguæ primævæ in Familia sua conservatione, eorum qui in extructionem Turris non consenserunt, Dux fuisse videtur. Non nisi gravissimis ideo de causis, nomen ejus in Posteros traductum est. Eos autem Familiam seu Tribum separatim à cætera Shemi posteritate constituisse, planissimè apparet ex eis verbis Mosis, quæ anteà retulimus.

Porro! non tantum Filios omnes Jocktanis, qui Hebero Filius erat natu minor, in turbam Apostaticam se recepisse, sed & plurimos etiam ab ipso Peleg oriundos se ei immiscuisse, atque Familiæ paternæ in quâ viguit purus Dei cultus valedixisse, ex eventu patet. Abrahamus verò præ cæteris piorum proavorum ipsiusque adeo Heberi vestigiis institit, quamvis & ipse à communis defectionis labe haud immunis. Tandem autem Dei ductu, novarum Revelationum Beneficio, avitam Pietatem & exulantem terris Dei cultum reduxit. An ideo mirum videri debeat, præsertim cum supra reliquos ejus seculi mortales omnes celebres evaserit, atque Gentis gloriosissimæ caput & Autor constitutus fuerit, si nomen celebre Patronymicum, quod Apostasia sua rejecerat, saltem nihili æstimaverat cognationis istius quod reliquum erat; sibi & posteris vindicaverit? Nec Fluvii Transitus tanti erat, ut inde ei totique Genti Sanctæ in omne ævum duraturum nomen imponeretur. Migratio quidem Abrahami è Patria & terra Cognationis suæ ut Deum sequeretur in locum quem nesciebat, illustre erat fidei ejus Documentum. Ast ille haud rectè sentit, qui obedientiam hanc Abrahamicam è Trajectione Fluvii, quæ ei cum aliis innumeris communis erat, æstimandam censuerit. Quod Deo dicto obediens, voluntati & Imperiis ejus obsequens, relictis patriis laribus, propriisque sedibus, & cultu superstitioso in quo erat enutritus, nulla opimioris conditionis spe allectus, quo nesciret, ipsum sequeretur, inter alia innumera fidem ejus commendat. Si ad illa conferatur Fluminis Transitus, res nihili erit. Migrationem istam autem tantopere Deo placuisse, ut eam ob rationem Promissiones acceperit, quod posteri ejus terram in qua peregrinaturus esset jure hæreditario possiderent, atque in ipso omnes terræ cognationes benedicerentur, quod non-nemo affirmat, falsum est, & ἀθεόλογον. Falsum, quoniam antequam Tygrim transierat nedum Euphratem promissiones istas acceperat; uti videre est, Gen. cap. 12. ver. 1, 2, 3, 4. Ἀθεόλογον vero, quod id ullo modo obedientiæ Abrahami imputandum docet, quod omni modo ex mera Gratiâ provenisse certissimum est. Etenim sine ullo respectu ad obedientiam ullam antecedaneam, Deum pro-

promissa illa Abrahamo dedisse, magis est in confesso quam ut egeat probationibus. De hac originatione nominis Hebræorum, idem nobisum sentiunt è Judæis *Josephus Antiq*: *lib.* 1. *cap*. 6. Triplex Targum. Aben-Ezra in Exod. 1. Kimchi Rad: עבר Elias Levita: *Methurgam*; è Patribus & Christianis antiquis; Euseb: Præpar: Evangel: lib. 7. cap. 2. Hieron, *Quæst*: *in Gen*: Augustin: *de Civitat*: *Dei*. lib. 16. cap. 3. Eucherius in Genes: lib. 2. cap. 7. Zonaras Annal: lib. 1. è Recentioribus; Calvinus in Gen: 10. 20. Pererius in Gen 20. Mercerus in Gen: 14. v. 13. & in Lexici Pagnin: rad. עבר Munsterus in Gen: 11. v. 16. Drusius in Gen: 14. v.13. Paræus in Gen: 14. v. 15. Iunius, Orat: de Ling: Heb: Cornel: à Lapid: in Gen: 14. Buxtorfius dissertat: de Ling: Heb: conservat: Sigonius de Repub: Heb: Schindler: in Lex: rad: עבר Bochartus lib. 1. cap. 10. atque alii innumeri.

Redeamus ad Cla: Grotium, de lingua primæva agentem. Linguam Hebræam Abrahami fuisse linguam concedit; sed quænam fuerit ista lingua, cum antiqua illa mundo Coæva non fuerit, non ostendit. *Chaldaica*, inquit Capellus, Chronol: Sac: Not: ad Tab: secundam. *In Cananæa propius, propiusque accessit ad linguam Cananæam*, inquit Grotius. Eum Linquam Cananæam, quæ primæva ea lingua erat quæ nunc Hebraica dicitur, à Chananæis didicisse asserit Capellus. Linguam Cananæorum (unde Punica) propè accessisse ad linguam Hebræam concedimus. Id planissimè post alios ostensum à Cla: Bocharto in opere planè admirando. Argumentum est ab urbium hominumque propriis nominibus. Verum eos qui sine dubio inter præcipuos Turris Babylonicæ ædificatores erant, Linguam Sanctam primævam puram retinuisse, eos autem qui à scelere isto religiose abstinuerunt, inter quos si qui alii, erant Abrahami Progenitores, ejusdem fuisse oblitos, fidem omnem superat. Capello in ea sententia præivit Iosephus Scaliger, Episto. ad Thomsonum, & Animad: Euseb: ad num: DCCCIV. Linguam autem Hebræam, primævam fuisse ostensuri sumus. Ejus linguæ amissio pœnalis erat. An verò quis in animum suum eam habeat potestatem, ut inducat se seriò credere linguæ illius ignorantiâ aut corruptione eos multatos fuisse, qui in scelus, quod pœnam istam commeruit, nunquam consenserant, equidem vehementer dubito. Eorum aliquos temporis progressu nonnihil è puritate Dialecti deflexisse, probabile est. Istiusmodi deflectionem linguæ Chaldaicæ originem fuisse affirmat Elias Præfatione ad *Methurgamim*. Maledictos autem Chananæos, deletioni æternæ devotos, linguam primævam puram retinuisse, Abrahamum etiam eorum linguam, quæcunque tandem fuerit, didicisse, eamque

solam

solam cum Posteris communicâsse, quibus gravissimè interdictum erat, ne quidquam commune cum Cananæis istis haberent, quos scilicet è facie terræ essent exterminaturi, παράδοξα videntur.

Præterea Philistæos contra quod viro docto visum est Lingua Hebræa non usos esse certissimum.

Qui enim nati sunt ex patribus *Judais*, matribus verò *Asdodais*, *loquuti sunt ex parte Asdodeè, neque sciebant Iudaicè loqui.* Quibus gravissimè irascebatur *Nehemias* cap. ult. v. 24, 25. Et Hieronymus in Esa. lib. 7. cap. 19. affirmat *linguam Chananitidem inter Ægyptiam & Hebræam mediam esse*; *sed verius* (inquit Grotius) *primævam linguam nullubi extare, sed reliquias ejus esse in linguis omnibus*; *Nomina autem Adami*, *Evæ*, *& cætera Hebraico sermone expressa*, *à Mose Hebræorum causâ, eodem significatu qui in primævâ linguâ fuerat. Sic Curtius milites quosdam ait à Persis vocatos Immortales, aditum Ciliciæ ab incolis Pylas dici, qui singulis militum millibus præerant, eos vocatos à Persis Chiliarchos.* Utramque ità contendentium *Hebræam* nempe & *Syram* dimittit, neutri antiquitatis Palmam adjudicans. Atque in hâc sententiâ pœne solus est. *Goropius quidem Becanus* primitivæ antiquitatis honorem linguæ suæ vernaculæ asserere conatus est, frustra vero, nam de omnibus hic actum est; Deum verò eâ linguâ oracula sua consignare voluisse, quæ ex aliis iisque corruptis mista esset, haud credibile videtur. Sed hisce udum respondit doctissimus *Mercerus*, nec aliis verbis opus habemus ad vanitatem harum exceptionum convincendam, ità ergo ille, *Pro certò & persuaso & indubitato habeo primigeniam illam linguam Hebræam fuisse, licet quidam huic iniquiores mutata fuisse dicunt propria nomina à Mose & translata in linguam suam cui favebat*; *quasi vero passim historici non soleant nomina propria etiam barbara illibata retinere, licet aliquando mutent, ubi successu temporis regionum aut locorum nomina sunt mutata. Sed virorum ferè invariata retinent nomina tantum ad suæ linguæ flexionem & rationem accommodata, nonnihil detorta & corrupta*; *sed ità tamen ut origo facilè agnoscatur. Adde Etymon omnium nominum propriorum ante diluvium, & post, usque ad divisionem linguarum non potest ulli alii linguæ tribui, sed nec aliorum post illud tempus quibus Moses utitur quam Hebraicæ*; ut ארם ab אדמה & חוה quod mater *viventium fuit. Cain, Abel, Seth, Mahaleel, Kenan, Noe, &c.* quorum *omnium & cæterorum fons nonnisi Hebraicus esse potest*: Hæc ille doctè piéque.

An vero probabile sit omnia hæc propria hominum nomina in linguam aliam translata esse à Mose, cùm plurimorum eorum nulla ejusmodi

modi translationis ratio idonea reddi potest docti judicent: קין à קניתי dicitur, שת *posuit*, est, quia Deus *semen alterum posuit*, &c. quid etiam de allusionibus ex *Hebræâ* linguâ petitis dicent οἱ ἐξ ἐναντίας; quale illud est יפת אלהים ליפת *Deus dilatet Japhetum*; sed dicunt nonnulli vocabula hæc in lingua *Chaldaicâ* seu *Syrâ* etiam in usu fuisse; sed eorum prætensioni planè occurritur verbis illis *Adami; vocabitur vira, quià ex viro sumpta est.* אישה ex איש. at apud Chaldæos אתת mulier est, & vir גבר quibus vocibus nulla istiusmodi communitas inest qualem innuit ὁ φρονολάσκς.

Sed totum hoc argumentum non ita pridem peculiari dissertatione, de linguæ Hebrææ origine & antiquitate ità tractavit *doctissimus Buxtorfius filius*, ut nulli in posterum dubitandi locus relictus esse videtur. Primæva ideò lingua cujus usum Deus homini in ipsâ creatione indidit *Hebræa* est: Ea postquam toti terræ communis fuerit per annos 1757. in divisione linguarum mansit inter eos *Semi* posteros qui insanæ Turris extructioni non adfuerunt; ita *Genebrardus* Chron. lib. 1. *Hebraica quæ antea communis erat, apud Heberum (à quo & lingua & populi nomen) remansit incorrupta, quod neque consiliis eorum neque operi, quibus in cœlum turrim erigere placebat, interfuisset.* Prout autem multi eorum paulatim à vero Dei cultu defecerunt, sensim etiam a purâ linguæ dialecto deflexisse videntur: unde nata dialectus *Chaldaica*, uti Cl. *Seldeno* placet, Prolegom. 2. de Diis Syris; atque ita nos docet in *præfatione* sua ad ספר מתורגמן *Elias Levita*, שנשתבש לשון ארמית הוא לשון הקודש *lingua Aramica est lingua sancta corrupta*; alibi eam linguæ sanctæ viciniorem esse omnibus aliis linguis, probat ex *R. A. Ezra*; atque addit præterea; *patet tempore Patriarcharum linguam istam corruptam fuisse. Cujus argumentum est* יגר שהדותא *jegor sahadutha*; *ideo videtur mihi dicendum esse corruptam fuisse mox atque Abraham Chaldæa egressus est.* Nam sine *dubio ipse & patres ejus locuti fuerunt linguam sanctam quemadmodum acceperunt ab Adam usque ad Noach* איש מפי איש *unus ex ore alterius.*

Ubi mansit Ecclesia vel maximè ejus expressa vestigia, præsertim eâ familiâ unde eam renovatam iri in fatis erat, mansit etiam linguæ antiquæ puritas. Ea erat familia *Heberi*, à quo lingua hæc *Hebraica* dicta est, quæ nullo nomine ante insignita erat; neque opus habuit titulo, quo ab aliis distingueretur, cum sola esset, ut rectè *Augustinus* de Civitat: Dei, lib. 16. cap. 11. *Quia inquit in familiâ Heberi remansit hæc lingua, divisis per alias linguas cæteris gentibus, quæ lingua prius humano generi non immerito creditur fuisse communis, ideò deinceps Hebræa est nuncupata*;

cupata; *tunc enim opus erat eam distingui ab aliis linguis nomine proprio, sicut aliæ quoque vocatæ sunt nominibus propriis: quando autem erat una, nihil aliud quam humana lingua, vel humana locutio vocabatur, quâ solâ universum genus humanum loquebatur.* Ab *Hebero* etiam *Abrahamus* qui pœnè solus Religionem patriam sanctè amplexus est, *Hebræus* dictus est, uti probavimus; isque linguam illam in *Canaanem*, terram sibi seminique suo promissam intulit. Reliqui, fratres ac cognati ipsius *Abrahæ*, aliique ejus coævi ex *Heberi* familiâ, prout à verâ Religione, sic à puro linguæ sanctæ usu degenerârunt.

Divisionem verò hanc linguarum, vel paulò ante natum *Peleg*, vel circa ea tempora accidisse affirmat sacra Pagina, Gen. 10. 25. & 1 Chr. 1. 19. Judæi in *Seder Olam*, seu *serie mundi*, numerant à di uvio annos 340 inquit *Munsterus*; ita nempe in margine translationis suæ computum facit. Textus habet, a diluvio usque ad divisionem *ducenti septuaginta duo anni*; narrant enim divisionem istam accidisse cum annos natus esset quadraginta & octo *Abraham*. A diluvio verò ad annum *Abrahami quadragesimum* octavum anni sunt 340. unde *Munsterus* eorum numero annos addidit 52 ut sibi ipsi constaret computus. Sed falsum hoc; Et divisio ista incidit in annum ante *Abrahamum* natum *ducentesimum quadragesimum primum*, circà nativitatem *Peleg*, ut superius ostensum: sed litem hanc etiam doctissimè decernit *Buxtorfius* dissertatione de confusione linguarum; de eâ etiam fusè agit *David Pareus* Commentar: ad cap. 12. Genes. & nuperrimè *Usserius* in Chronolog: Sac: cap. 5. ubi fidem & veritatem computationis *Textus Hebraici*, à *Morini* exceptionibus vindicat.

Cum autem in hunc statum & conditionem coactum esset totum pœnè humanum Genus, atque propriæ mentis consilio permissum, postquam nimirum veri Dei & cultus ejus tædiū eos ceperat, in omnem Idololatriam se sensim effudit. Priora quidem secula omnem, quam vel ex institutione parentum, vel traditione vagâ Dei notitiâ habuerunt, penitus abjicere non potuerunt. Ex iis ideò plurimos, qui mos est hominum lucis divinæ scintillulis convictorum, Deum quidem timuisse, Idolis verò serviisse comperimus. Successu autem temporis, rejectâ omni gradatim *Theologiâ* Revelatâ, abolitâ penitus solennis promissi, & fœderis divini memoriâ, sacris nefandis & fœdissimis Idololatriis *Catholicè* se polluit totus terrarum Orbis. Illarum ideo originem & progressum, quod superius promisimus, hîc loci diligentius investigare placet.

Liber

Lib. Tertii. Caput Tertium.

Sive, de origine & progressu Idololatriæ seu Εἰδωλοθρησκείας.

Cap. Primum.

Primordia Idololatriæ incertissima. Circa ea opinionum diversitas. Novæ investigationis causæ. Idololatria Adamica in Paradiso. Caini Apostasia & superstitio. Ecclesiæ reformatio Enoshiana. Ante Diluvium Idololatria propriè dicta nulla. Aureum seculum post Diluvium. In eo Idololatriæ vestigia nulla. Homines unde μέροπες dicti. Tempus divisionis linguarum, & dispersionis humani generis. Ædificatores Turris Babylonicæ quale genus hominum. Quodnam in ea extruendâ propositum habuerunt. Inter eos primordia Idololatriæ quærenda.

ORiginum occasionúmque Idololatriæ nulla manifesta vestigia extare & nos antea vidimus, & extra controversiam posuerunt indagantium conatus irriti. Ortum habuisse patet ex eventu. Ortus tempora, rationes, causæ, Autores, primordia omnia conjecturis investiganda sunt. Hic scilicet,

Μάντις ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς.
Bene qui conjiceret Vatem hunc perhibeto optimum.

Ita Γνώμην istam ex Euripide reddit Cicero. Ante Diluvium illam mundum occupâsse nonnulli arbitrantur. In eâ sententiâ sunt Judæorum plurimi, præsertim *Maimonides*, initio operis de cultu syderum; quem sequitur *Seldenus* in Prolegom: ad Syntag: de Diis Syris. Egressis ex Arcâ Sathanam primò virus hoc aspersisse alii opinantur. In *Chamum* nominatim scelus hoc conflant *Targumistæ*. Ante Turris *Babylonicæ* extructionem, quam in æternitatis memoriam moliti sunt contumaces & superbi *Noachidæ*, nulla certa vestigia aut expressa monumenta cultûs arbitrarii & profani, inveniri posse, aliis videtur. Heîc igitur paulispèr pes figendus; ac Nili hujus, monstrorum feracissimi unde scilicet

cupata; tunc enim opus erat eam distingui ab aliis linguis nomine proprio, sicut alia quoque vocata sunt nominibus propriis: quando autem erat una, nihil aliud quam humana lingua, vel humana locutio vocabatur, quâ solâ universum genus humanum loquebatur. Ab *Hebero* etiam *Abrahamus* qui pœnè solus Religionem patriam sanctè amplexus est, *Hebræus* dictus est, uti probavimus; isque linguam illam in *Canaanem*, terram sibi seminique suo promissam intulit. Reliqui, fratres ac cognati ipsius *Abrahæ*, aliique ejus coævi ex *Heberi* familiâ, prout à verâ Religione, sic à puro linguæ sanctæ usu degenerârunt.

Divisionem verò hanc linguarum, vel paulò ante natum *Peleg*, vel circa ea tempora accidisse affirmat sacra Pagina, Gen. 10. 25. & 1 Chr. 1. 19. Judæi in *Seder Olam*, seu *serie mundi*, numerant à diluvio annos 340 inquit *Munsterus*; ita nempe in margine translationis suæ computum facit. Textus habet, a diluvio usque ad divisionem *ducenti septuagenta duo anni*; narrant enim divisionem istam accidisse cum annos natus esset quadraginta & octo *Abraham*. A diluvio verò ad annum *Abrahami quadragesimum* octavum anni sunt 340. unde *Munsterus* eorum numero annos addidit 52 ut sibi ipsi constaret computus. Sed falsum hoc; Et divisio ista incidit in annum ante *Abrahamum* natum *ducentesimum quadragesimum primum*, circà nativitatem *Peleg*, ut superius ostensum: sed litem hanc etiam doctissimè decernit *Buxtorfius* dissertatione de confusione linguarum; de eâ etiam fusè agit *David Pareus* Commentar: ad cap. 12. Genes. & nuperrimè *Usserius* in Chronolog: Sac: cap. 5. ubi fidem & veritatem computationis *Textus Hebraici*, à *Morini* exceptionibus vindicat.

Cum autem in hunc statum & conditionem coactum esset totum pœnè humanum Genus, atque propriæ mentis consilio permissum, postquam nimirum veri Dei & cultus ejus tædiū eos ceperat, in omnem Idololatriam se sensim effudit. Priora quidem secula omnem, quam vel ex institutione parentum, vel traditione vagâ Dei notitiâ habuerunt, penitus abjicere non potuerunt. Ex iis ideò plurimos, qui mos est hominum lucis divinæ scintillulis convictorum, Deum quidem timuisse, Idolis verò serviisse comperimus. Successu autèm temporis, rejectâ omni gradatim *Theologiâ* Revelatâ, abolitâ penitus solennis promissi, & fœderis divini memoriâ, sacris nefandis & fœdissimis Idololatriis *Catholicè* se polluit totus terrarum Orbis. Illarum ideo originem & progressum, quod superius promisimus, hîc loci diligentius investigare placet.

Liber

Lib. Tertii. Caput Tertium.

Sive, de origine & progressu Idololatriæ seu Εἰδωλοθρησκείας.

Cap. Primum.

Primordia Idololatriæ incertissima. Circa ea opinionum diversitas. Novæ investigationis causæ. Idololatria Adamica in Paradiso. Caini Apostasia & superstitio. Ecclesiæ reformatio Enoshiana. Ante Diluvium Idololatria propriè dicta nulla. Aureum seculum post Diluvium. In eo Idololatriæ vestigia nulla. Homines unde ὁμόγλωσσοι dicti. Tempus divisionis linguarum, & dispersionis humani generis. Ædificatores Turris Babylonicæ quale genus hominum. Quodnam in ea extruendâ propositum habuerunt. Inter eos primordia Idololatriæ quærenda.

ORiginum occasionúmque Idololatriæ nulla manifesta vestigia extare & nos antea vidimus, & extra controversiam posuerunt indagantium conatus irriti. Ortum habuisse patet ex eventu. Ortus tempora, rationes, causæ, Autores, primordia omnia conjecturis investiganda sunt. Hic scilicet,

> Μάντις ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς.
> *Bene qui conjiceret Vatem hunc perhibeto optimum.*

Ita Γνώμην istam ex Euripide reddit Cicero. Ante Diluvium illam mundum occupâsse nonnulli arbitrantur. In eâ sententiâ sunt Judæorum plurimi, præsertim *Maimonides*, initio operis de cultu syderum; quem sequitur *Seldenus* in Prolegom: ad Syntag: de Diis Syris. Egressis ex Arcâ Sathanam primò virus hoc aspersisse alii opinantur. In *Chamum* nominatim scelus hoc conflant *Targumistæ*. Ante Turris *Babylonicæ* extructionem, quam in æternitatis memoriam moliti sunt contumaces & superbi *Noachidæ*, nulla certa vestigia aut expressa monumenta cultûs arbitrarii & profani, inveniri posse, aliis videtur. Heîc igitur paulispèr pes figendus; ac Nili hujus, monstrorum feracissimi unde scilicet

Omnigenúmque Deum monstra, & latrator Anubis

prodierunt, capita inquirenda. Locus in antiqui temporis monumentis perlustrandis uberrimus, quem quamvis magna ingenia excoluerint, tamen uti fieri solet in obscurissimis rerum primordiis investigandis, & quorum

Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura,

manet in quo adhùc se alii multùm diùque exercere possint. Facilè perspiciet Lector ex iis quæ in locum hunc relaturi sumus, post uberrimas aliorum vindemias, *spicilegia* hæc nostra proferendi causas neutiquam defuisse. Si enim rebus ipsis, seu cultûs extranei primordiis, tenebris plus satis obductis, novam lucem afferre nequeamus, saltem quam relationem ad cultum Dei tenuerint, quibusque præstigiis fucum fecerit generi humano, atque in fraudem induxit Impostor antiquissimus, aliàque à viris doctis locum hunc plurimâ eruditione excolentibus, tacitè prætermissa, Lectori non ingrata, luminis nonnihil veritati obscurissimæ fœnerantes nos expositùros, in spem aliquam adducimur. Rerum autem tantùm capita perstringere in animo est, quo operi proposito satisfacere, & viæ institutæ insistere liberè possim.

Homini a d sui gloriam creato, Deum legem obedientiæ ἔμφυτον, omnia illa quæ necessariò naturam ejus, conditionem & finem ultimum consequerentur amplexam, indidisse, anteà ostendimus. Vt ea Lex plenaria esset omnis divini cultûs regula & Revelatio, nunquam tamen permisit. Ei, in statu creationis ante ingressum peccati addidit institutum de non *comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali*. In illo, respectu actûs externi, initium defectionis à Deo fecit creatura rationalis. Fundamentum autem posuit in cultu morali defectus. Serpenti enim adversus Dei comminationem fidem adjungens, illum eatenus Dei loco habuit. Atque hæc erat quædam Idololatriæ species, imo pessima, quæ etiamnum inter omnes eos viget, qui posthabitâ promissionum & comminationum divinarum authoritate, dicto audientes se Sathanæ præbent. Hæc verò non est propria ea Idololatria, cujus primordia investigamus.

Post peccati ingressum Theologiam naturalem novis revelationibus & sacrificiorum institutione ampliatam, atque in novos fines consecratam Deus instauravit. In cultu instituto præeunte infidelitate iterùm illico peccatum est. Superiùs exposuimus istius peccati naturam & eventum.

tum. Oſtendimus etiam *Cainum* à Deo maledictum abs ejus cultu ſolenni penitus defeciſſe. Probabile quidem eſt illum atque cives *Henochienſes* quibus præfuit, Gen. 4. cultum iſtum, ſacrificiorum ſcilicet, unde primam mali labem traxerat, repudiâſſe, atque ritus novos ſuo arbitratu uſurpâſſe ἐθελοθρησκεύονται. חרים אלהים prout ſcriptura loquitur (Iudic. 5, & 8.) ſibi comparâſſe innumera ſunt, quo minus credamus, quæ obſtant. Neque enim *Caino* eatenus hominem exuere poſſibile erat, ut alios ſibi Deos fingeret poſt expreſſam & apertam iſtam, quæ eùm inter & Iehovam omnium creatorem interceſſerat communicationem.

Temporis progreſſu *Sethitarum* etiam nonnullis in *Cainitarum* mores prolapſis, pii *Enoſhiani*, cum cultùs divini Reformatione, quo meliùs & diutiùs purus conſervaretur ad nomen Dei ritè invocandum ſegreges cœtus inſtituerunt, atque inde *Filii Dei* dicti ſunt, Gen. 4. ult. Tum *cœperunt homines invocare nomen Domini*; iis verbis nonnullos cultus extraneis ortum notari falſo arbitrari, ſuperius etiam oſtendimus. Non enim nominis divini profanationem, ſed Eccleſiæ reformationem innuit Spiritus Sanctus.

Ante *Diluvium* omnem carnem viam ſuam corrupiſſe Deus ipſe conqueritur. Neque dubium eſt quin apertiſſimè Deo & Religioni bellum indixerunt Apoſtatæ. Scelere verò hoc Idololatriæ ſcilicet aſtrictos fuiſſe, nullum teſtimonium extat, nullum probabilis conjecturæ faciendæ fundamentum. Id vero cùm argumentis ſuperiùs luculenter demonſtraverimus, nolo hic actum agere: Secula ideo Ante-Diluviana diſquiſitione hâc neceſſe habemus præterire.

Nam haud placet *Iuſtini* Martyr: ſententia; qui Filios Dei, qui amore filiarum hominum capti, eas ſibi ſociaverunt, Angelos interpretatur; atque ex eis genitos fuiſſe dæmonas, qui illicò Idololatriæ promovendæ operam dederunt. *Apol: ad Senat: Roman.*

Quæ de *Chami* Idololatriâ & incantationibus magicis illiúſque ſceleris naturâ dilirant *Targumiſtæ*, aliíque Judæi hujus loci non ſunt. Seculum illud quod *Diluvium* & Gentium διασπορὰν Babylonicam διαβόητον intercedit, pauciſſima reliquit, vel nulla omninò in rerum quæ ſuperſunt monumentis ſui veſtigia. Id temporis ſpacium, quodcúnque fuit, *Noachus* magnus paterfamilias pio paternóque regimine totum humanum genus à ſe ortum tenuit. Aureum illud ſeculum erat, de quo plurima antiqui fabulatores.

Virgilius

Virgilius, Georg: 1.

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni,
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant; ipsaque tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.

Et Martialis. Epigram: lib. 12.

Antiqui Rex magne Poli, mundique prioris
Sub quo pigra quies, nec labor ullus erat,
Nec regale nimis fulmen, nec fulmine digna
Scissa nec ad manes, sed sita dives humus.

Ad Saturnum Vterque ex Hesiodo; ita enim ille.

Οἱ μὲν ἐπὶ Κρόνου ἦσαν ὅτ' οὐρανῷ ἐμβασίλευεν
Ὥστε θεοὶ ἔζωον; ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες
Νόσφιν ἄτερθε πόνων καὶ ὀϊζύος.

Dum Saturnus rerum potitus cœlorum imperium tenuit,
Homines Diis similes vivebant, &c.

Et Tibullus, lib. 1. 2.

Quam bene Saturno vivebant rege prinsquam
Tellus in longas est patefacta vias.
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris
Qui regeret certis finibus arva lapis
Ipsa mella dabant quercus, &c.

Similia habet Lucianus in τοῖς πρὸς Κρόνον; Saturnum loquentem inducit, καὶ διὰ τοῦτο ἀπανταχοῦ κρότος καὶ ᾠδὴ καὶ παιδιά, ἰσοτιμία πᾶσι, καὶ δούλοις, καὶ ἐλευθέροις, οὐδεὶς γὰρ ἐπὶ ἐμοῦ δοῦλος ἦν; omnia paternum *Noachi* regimen, & indivisam terram referentia. Inde effluxisse servorum in Saturnalibus apud Romanos licentiam in vita Numæ narrat *Plutarchus*.

Noachus enim Saturnus erat. Is maximus Antediluvianorum δικαιοσύνης κήρυξ, 2 Pet. 2. 5. cujus admonitionum contemptum excepit horrida generis humani πανωλεθρία. Quamdiu igitur ejus vel authoritatem veriti sint, vel dictis & concionibus obedientes se præstiterint illius Filii & nepotes, scelus hoc eos in se admisisse, haud æquum est ut censeamus.

Linguarum confusionem centesimo primo aut secundo post diluvium

anno

anno accidisse plerique credunt. Tunc homines, μέροπες facti, atque sic dicti. γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων apud Homerum Iliad. A. *ætates varii-linguium hominum*; Μερόπων, hoc est, μεμερισμένην τ̀ φωνὴν ἐχόντων; ἢ τῶν μεριζομένην εἰς συλλαβὰς κ̀ ἔναρθρον ἐχόντων τ̀ ὄπα, inquit Dydimus: hoc est quod linguam ad syllabas pronunciandas divisam & paratam habeant homines, seu linguâ articulatâ utantur; quum cæterorum animalium voces sint ἄναρθροι. Cum Scholiaste sentit etiam *Hesychius*; μέροπες ἄνθρωποι διὰ τὸ μεμερισμένην ἔχειν τ̀ ὄπα, ἤγουν τ̀ φωνήν. Atque eandem primo in loco sententiam recitat Eustathius; cui subdit δι' ἐναντίας θωσιν: οἱ μέντοι τ̀ ἡμετέρας θείας αὐλῆς, μέροπας τοὺς ἀνθρώπους ἐκλῆσθαι φασὶν, ἀπὸ τοῦ μερισμοῦ ἤτοι διαμερισμοῦ τ̀ ὀπὸς, ὃν ἔπαθον μετ̀ τ̀ τῆς χαλάνης πύργον διαμερισθέντες ἀπανταχοῦ τ̀ γῆς, Communem antiquorum Christianorum sententiam fuisse, homines μέροπες dictos fuisse, abs illâ linguarum divisione, quam in Turris Babilonicæ extructione passi sunt. Similia habet *Johannes Antiochenus Mallela*; γλῶσσαι διεμερίσθησαν, διὸ κ̀ μέροπες καλοῦνται οἱ ἄνθρωποι διὰ τὸ μεμερίσθαι αὐτῶν τὰς λαλιὰς εἰς πολλὰς γλώσσας κ̀ φωνάς. dispertitæ sunt linguæ, inde *Meropes* dicti sunt homines, χρον: θεογ: λογ: ἀντ: Vti autem homines ob divisionem linguarum μέροπες dicti sunt; ita locus in quo pœna ista rebellibus inflicta בבל; quasi diceretur בא כל venit confusio: vel בבל pro בלבל dicitur, hoc est Confusio: abjecta *lamed* mediâ ad vitandum cacemphaton. Centesimo & primo post Diluvium anno natus est Peleg. Id nominis ei inditum כי בימיו נפלגה הארץ Gen. 10. v. 24. *Quia in diebus ejus divisa est terra.* Et verbum פלג alibi eo sensu usurpatur, Psal. 55. 10. פלג לשונם *divide linguam eorum*. Spiritu Prophetico nomen hoc ei filio *Heberi* impositum fuisse affirmant Judæorum plerique: atque in eâdem sententia sunt *Cornelius à Lapide*, & *Augustinus Torniellus*: ille in Commentariis ad Genes: hic in Annalibus ad annum Mundi, 1931. Ita in impositione nominis *Noachi* pii parentes ad ea respexisse, quæ non nisi post sexcentos annos implenda essent, videntur. Iudæi ideò ducentisimo anno vitæ *Peleg* turrim Babilonicam extructam esse volunt, argumentis non usquequaque ineptis adducti. Quicquid autem ad litem istam Chronologicam vel intelligendam, vel ritè affirmandam pertinet, dissertatione peculiari de plurium linguarũ origine proposuit Clarissimus *Buxtorfius* filius. Sethus Calvisius in Chronologiâ, Pererius, Paræus, Rivetus Commentariis & Disputationibus ad Genesin: Torniellus in Mundi Annalibus, Masius Comment: in Iosh: Vsserius in Chronol: Sacr: aliique plurimi cùm Theologi tùm Chronologi eandem telam texêrunt.

Qui

Qui in nativitate *Palegi* linguarum divisionem accidisse asserunt, atque nomen ei ab eventu impositum, nonnullorum opinione videntur intervallum æquo brevius à diluvio constituere, quàm quo homines in eam multitudinem, quæ Turri ædificandæ incubuit, excrescere potuerint: incidit enim, uti diximus, nativitas *Palegi* in Annum à Diluvio Centesimum primum. Qui verò *Palego* nomen spiritu prophetico inditum fuisse arbitrantur, ac humani generis dispersionem ad finem illius vitæ rejiciunt, ideóque in annum mundi 1996, necesse habent adventum *Abrahæ* in terram Canaan, anno 88, post dispersionem istam collocare: quod spatium æquo brevius videtur ad regna illa erigenda, quæ istis temporibus fundata fuisse narrat Sacra Historia. *Palegum* ideo negat *Buxtorfius* fuisse primogenitum *Heberi*, aut natum anno 74 patris, sed nativitatem ejus, atque ideo linguarum divisionem in aliud longe post tempus rejicit. Sed ostendit *Johannes Temporarius* in 2 Demonstrat: Chronologic: potuisse ex stirpe *Noachicâ* spatio 102 annorum mares & fœminas 1554420 nasci: istius numeri dimidium admittit *Usserius* Chronol: Sac: 5. Ubi insaniam & insignitam audaciam *Johannis Morini* Chronologiam *Hebraicam* rejicientis, doctissimè retundit. Demus ideò extructionem Turris Babilonicæ, atque linguarum divisionem accidisse anno Mundi 1757, à Diluvio 101 vel 102. Ad illud usque tempus Idololatriæ vestigia ulla, monumenta ulla, ulla testimonia extare, aut extitisse unquam nihil superest, quod testetur; saltem vestigia ejus nulla supersunt.

Targum Hierosolymitanum ædificatores Turris Babilonicæ simulachrum fastigio impiæ istius molis imponere, quod cultu religioso prosequerentur, in animis habuisse docet. *Dixerunt* (inquit) *venite, ædificemus nobis Civitatem & Turrim, cujus caput perveniat usque ad summitatem cœlorum, & faciamus nobis adorandum in ejus fastigio, & ponamus gladium in manu ejus*; iisdem ferè verbis eandem fabulam adponit *Jonathan Ben Uzziel*. Turrim istam longo post linguarum confusionem tempore durâsse, communis est doctorum virorum opinio. Nec alia sanè videtur ab eâ quam sub nomine Templi *Beli* plurimis describit *Herodotus* lib. 1. Ex octo turribus, unâ alteri superimpositâ (quarum prima saltem, si non unaquæque alta stadii spatium erat) constitit. De supremâ autem ita loquitur, ἐν δὲ τῷ τελευταίῳ πύργῳ νηὸς ἔπεστι μέγας, ἐν δὲ τῷ νηῷ κλίνη μεγάλη κέεται, &c. *In postremâ turri sacellum est magnum, in quo est lectus splendidè stratus*, &c. Non multo ideo post linguarum confusionem, in Idoli hoc est *Solis* templum versum est insanum istud ædificium. Sed aliundè sententiæ suæ originem arcessunt Judæi; verba ista

apud *Mosen* quibus se mutuò ad opus aggregiendum hortabantur ædificatores, propositum istud innuere arbitrantur. ונעשה לנו שם & faciamus nobis nomen; hoc est inquiunt magni nominis Idolum. Nam de Deo aliquo, vero vel falso שם ita absolutè dici autumnat. השם sane alicubi emphaticè Deum significat; Levit. 24. v. 11. שם absolutè nullubi; neque idolum. Vtique si hoc verum esset, nullubi gentium originis Idololatriæ documentum illustrius invenire quisquam posset. Neque sensim & per varios gradus, variisque occasionibus in subsidium arreptis, terrarum orbi incubuisse censendum esset hoc scelus; meditata humani generis à Deo defectio ei ortum præberet. Sed dilirium hoc Rabinicum est; & verba quibus usi sunt ædificatores aliò planè spectant. Vt mortales cum essent, variis casibus obnoxii, præsertim dispersioni in remotas Terræ plagas, famâ & gloriâ æterni fierent, in animo habuêrunt. Illud animi propositum verbis istis, *faciamus nobis nomen*, hoc est laudis & gloriæ titulum hæreditarium posteris relinquamus, significârunt. Neque credibile est omnes penè totius orbis familias, quasi momento turbinis in Deum vivum conspirâsse, atque omni Creatoris reverentiâ cultúque abjectis, Idola adorare, simul statuisse.

Turrim itaque eos extruxisse animo & proposito novos Deos colendi, ratio nulla suadet; longè aliud statutum habuisse scriptura enarrat. Probabile quidem est ædificatores istos genus hominum fuisse multis sceleribus inquinatum, quod potentiam, quam adeptum erat, sine injuriâ & oppressione, levem & inopem arbitrabatur. Monita regimenque *Noachi* eos rejecisse anteà ostendimus. Hinc ad imperia Sathanæ projectissimi & ad ea omnia exequenda, quæ innata mentis vanitas suggessisset, in procinctu.

Sermone omnium confuso & diviso, novarum linguarum commercium in varios Greges eos conjecit. In eum statum redactos per Tribus & Familias, in Terræ totius superficiem Deus dispersit. Fuere quidem inter veteres Christianos quibus *Hæresis* erat negare *Noachum* Filiis suis & nepotibus orbem terrarum distribuisse atque unicuique Familiæ Sedes suas assignasse. Postquam enim Hæresium designatio arbitraria esse cœperat, nihil pene erat à quoquam dictum scriptumue, quamvis verissimum, quod in earum classem à nonnullis non sit relatum. Cæterum per dispositionem divinam, non assignationem *Noachicham* Filios hominum novos sedes occupasse, seu in diversas orbis terrarum oras esse delatos, scriptura ostendit, *Gen. cap.* 11. *ver.* 5. Primævam linguam sine insigni aliqua mutatione ædificatorum Turris ullos retinuisse, Testimoniis aut argumentis probari non potest. Fatemur ex ea

vocabula apud pænè gentes omnes in usu aliquo mansisse; sed fuere illa paucissima, ut rectè affirmat *Buxhornius*; *Origin: Gal: cap.* 7. Una cum linguæ primævæ jactura, multarum de rebus divinis instructionum oblivionem eos cepisse, non est improbabile. Inter istos ideo, Turris scilicet Babilonicæ ædificatores, sibi derelictos, novis Revelationibus destitutos, priorum oblitos, huc illuc dispersos & palabundos initia Idololatriæ sunt quærenda.

Libri Tertii Caput Quartum.

Seu de Ortu & Progressu Idololatriæ.

Caput Secundum.

Col. 3.11. *Variarum Religionum distinctio Epiphanii. Idololatriæ duo genera; Sabaismus, & Hellenismus. Druidum superstitio peculiaris. Idololatriæ initium in cultu cœlestium,* Job 30.26, 27. *Veterum expositio notata. Tempus quo Jobus vixit. Initium erroris in seductione cordis,* Deut. 11.6. *Modus cultus antiquissimi. Adoratio quid. Religiosa salutatio. Socratis* ζεσμοις. *Catullus. Pompeius. Osculum. Adoratio religiosa,* Psal. 2.12. *Versio τῶν LXX notata. Hieronymi,* Hos. 15.2. *Adorationis per oscula* ἐνδείξεις; *ex Plinio, Apuleio, Luciano, Minutio Fælice. Flexionis corporis in Adoratione ratio. Prima Sacrificia Idolis sine sanguine. Sententia Porphyrii. Sententiarum de origine sacrificiorum conciliatio,* Gen.4.4. & 8.20. *Adorationi addita Frugum oblatio,* Hos. 2 8. *Ceremoniarum aliarum origo. Idololatriæ natura, & meritum. Primi Sydcrum cultores Ægyptii. Eis accedunt Chaldæi. Et Persæ. Sol an Persis solus Deus. Sententia Herodoti. Numerus Deorum temporis successu continuè auctus. Scriptores Historiæ magorum. Græcorum & Romanorum mos in recensendis aliarum Gentium Diis. Dii Germanorum; & Gallorum. Tacitus notatus. Sol antiquissimus Carthaginiensium Deus. Etiam & Græcorum, teste Platone. Positura Locorum Sacrorum ratio. Idololatriæ primordia. Cardani ineptiæ, & blasphemiæ. Nimrodus inter Turris Babilonicæ Fabricatores. Judæorum nugæ. Cultus Solaris Catholicismus, ipsius* πολυωνυμία.

Paulus

PAulus Apoſtolus tertio cap. Epiſt.ad Coloſſ.docet in *Jeſu* Chriſto eſſe neque *Græcum*, neq; *Judæum*, neque *Barbarum*, neq; *Scytham*. Inde varias Religionum ſpecies elicit *Epiphanius*, lib:primo adver: Hæreſ: βαρβαρισμὸν ſcilicet, σκυθισμὸν, ἑλληνισμὸν, & Ἰουδαϊσμόν. Βαρβαρισμὸν autē ab *Adamo* uſq; ad *Noachum* obtinuiſſe ſcribit; σκυθισμὸν à *Noacho* ad *Seruchi* ætatem, quo Ἑλληνισμὸς introductus eſt; *Judaiſmi* initiū à circumciſione *Abrahæ* arceſſit. Cùm autem Idololatriæ in mundum ingreſſum poſt Diluvium ſtatuat, per βαρβαρισμὸν, illum eam morum feritatē, & violentiam, quæ mundum Antediluvianum peſſunderunt, intelligere palam eſt. Σκυθισμοῦ & Ἑλληνισμοῦ in eo diſcrimen ponit, quod ἀγαλματοποιΐα ab hoc introducta ſit, quo ille caruit. Rectène an ſecus, hæc ita ab eo diſtincta fuerint, alii viderint; negat Animadverſionibus ſuis in locum *Petavius*. Nos omnis cultus illius Idololatrici, qui totum penè orbem occupavit, duo genera fuiſſe ſtatuimus; quorum unum *Sabaiſmus*, *Helleniſmus* alterum dici poteſt. Cùm autem in *Druidum* ſuperſtitione multa peculiaria fuerint, eam ſeorſim paucis enarrabimus. *Sabaiſmus* in Cœli, Solis, Lunæ, atque Stellarum cultu & religione conſtitit; Hominum demortuorum & Dæmonum venerationum ei addidit Helleniſmus. Simulachrorum, imaginum, & Stelarum adoratio, utrique communis. Cœlos autem prius quàm cœlites fictitios venerata eſt Idololatrarum turba. In Sabaiſmo itaque ceu rerum cœleſtium cultu, initium habuit Idololatria. Id primò probatum dabimus. Deinde paucis oſtendemus, quas pravæ Superſtitionis anſas arripuit humanum genus; quibúſque vanis ratiocinationibus uſus, homines in fraudem & errorem Sathanas allexit; atque quoad conjecturis aſſequi poſſumus, tempus pernitioſiſſimi erroris ortus, deſignàbimus.

Initium ſui in mundo Idololatriam poſuiſſe in Cœli Soliſque cultu, probant omnia rerum præteritarum monumenta. Extant etiam ultra omnem Hiſtoriæ profanæ fidem, & vetuſtiſſimam inter Gentes rerum memoriam, illuſtria hujus ſceleris in Vetere Teſtamento teſtimonia. In hunc ſenſum Scriptor antiquiſſimus, ſive is *Moſes* fuerit, quod maximè probabile, ſive alius Vir Divinus ejus ætati ſuppar, per quem Spiritus Sanctus *Jobi* Hiſtoriam Eccleſiæ fidei concredidit, Viri ſanctiſſimi verba Apologetica refert; cap.30.v.26.27. *Si vidi Solem quando ſplendebat, & lunam honorificè incedentem, & ſeduxit ſeſe in abſcondito cor meum, & oſculatum eſt manum meam os meum, etiam hoc fuiſſet iniquitas judicata, quia abnegaſſem Deum deſuper.* Pace eorum dixerim, ineptiſſima ſunt quæ Chryſoſtomus, Nilus, Olympiodorus, veterùmque

alii in hunc locum commentantur. Negant hic de Idololatria agi, Jobum autem cùm neget, *manum suam osculatam esse os suum*, significare voluisse, se nunquam sensisse adeò arroganter de suis virtutibus, & operibus, quæ per Solem denotat, neque de Nominis fama, quam Lunæ confert, ut manus sua osculata fuerit os suum, tanquam quicquid opis aut facultatis haberet, id ex seipso perfecisset. Inepta inquam hæc sunt & tam loci scopo, quàm verbis ipsis repugnantia. De Cælestium cultu apertissimè agit vir Sanctus. Dum autem à se crimen hoc accuratè molitur, alios tunc temporis quamplurimos in eo versatos fuisse palam facit. Vixit *Jobus* post dispersionem Babylonicam: Ann. 350. An. Mun. 2100. aut eò circiter. Eo seculo progressum fecisse, atque se longè diffudisse superstitionem istam, verba ostendunt. Initium autem erroris *cordis seductioni* ascribit *Jobus*. Alibi etiam Spiritus sanctus istum *Idololatriæ* fontem detegit. Deut. cap. 11. v. 6. *Cave ne te cor tuum decipiat, & avertat te ad Deos alienos.* Alia omnia ad Deum verum indigitandum apta nata sunt; in solo corde humano omne periculum situm est. Ratiocinationum ideò inanium specie (quæ vim nullam habuissent, nisi prius ab amore Dei atque rerum Spiritualium, toti fuissent conversi,) decepti, primò secretò, mox palam Solem & Lunam religiosè venerati sunt, antiquissimi *Idololatræ*. Eas rationum umbras proximo in capite exponemus. Modus cultus quem memorat, Adoratio simplex est. Adoratio autem est per *manus ad os* adductionem, Religiosa salutatio. In ea primùm se expressit cordis error, aliæ Religionis ceremoniæ, sensim introductæ. Ita *Socratem* Solem salutâsse, atque ἔκστασιν aliquoties in eo cultu passum fuisse, narrat *Plato*. Aucta in immensum Superstitione, duravit tamen per omnia antiquæ ignorantiæ secula simplex illa Adoratio.

Catullus.

Constiteram Solem exorientem forte salutans
Cùm subitò à laua Roscius exoritur.

Orientem enim Solem præcipuè venerati sunt. Inde *Pompeii* in declinatam *Syllæ* dominationem scomma fastidiosum; τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα, πλείονες ἢ δυόμενον προσκυνοῦσιν; *plures Solem orientem quàm occidentem adorant.* Plutarch. in vit. Pomp. Atque hinc Templa Solis ortum spectantia, structa. Neque aliunde provenit mos iste versùs Orientem se incurvandi & adorandi, antiquus satis inter Christianos δεισιδαιμονίζοντας, quamvis aliæ rationes cultui ei superstitioso prætendantur; nam sunt planè futiles omnes.

Porro, negat *Jobus* manum suam ori admotam, illud *osculatam* fuisse.

se, seu ei oscula pressisse. *Osculum* enim cultus etiam religiosi pignus, & signum fuit. Ita Psaltes. Psal. 2.12. נשקו בר, *Osculamini Filium*; hoc est, cultu Religioso adorate. Loci sensum corrumpunt LXX, verba reddentes, δράξασθε παιδείας; quos sequitur vulgatus interpres. Hieronymus agnoscit Cultum Religiosum intendi, atque ideò verba transfert, *Adorate purè*. Osculis etiam Idola venerari, olim atque etiamnum solenne. Hos.cap.13.v.2. עגלים ישקון *Vituli osculentur*, hoc est, adorent; ut idem Hieronymus adver: Ruffinum, lib. prim. *Herculis simulachra*, inquit in Verrem 4. Cicero, *non solum venerari*, *sed etiam osculari soliti fuerunt. In adorando dextram ad osculum referrimus, totumq; corpus circumagimus*; ut Plinius lib.28.cap.2. Istius corporis versus seu circumflexionis rationem reddit in vita Numæ Plutarchus. Numæ dicit fuisse institutum, τὸ προσκυνεῖν περιστρεφομένους, *ut circumagant se adorantes*. Addit; ἡ δὲ περιστροφὴ τῶν προσκυνούντων, λέγεται μὲν ἀπομίμησις εἶναι τῆς τοῦ κόσμου περιφορᾶς: *Conversio adorantium, simulachrum orbis mundi esse dicitur*, seu gyri Cælorum, quem Sol peragit. Sed flexio ista corporis introducta videtur post templa orientem spectantia, condita. Cùm enim in eis necesse habuerint, qui Idola adorarent, se Occidentem versus incurvare, corpus circumegerunt, quo ostenderent se Solem præcipuè intendere. Indos in Adoratione osculis tripudia addidisse affirmat Lucianus, περὶ ὀρχήσεως. Etiam Apuleius 4.de Asin. de formosa virgine quam ut Deam mirabantur loquens. *Multi*, inquit, *civium admoventes oribus suis dextram, priore digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus Deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.* Postquam quidem Simulachra erecta fuerunt, ipsa osculati sunt; in cultum autem cælestium, Solis scilicet & Lunæ utpote absentium, manum ori admovere solùm soliti sunt: atq; alia etiam Simulachra, cum in transitu haud licuerit Religioni vacare. Ita Minutius Fœlix ait Cæcilium simulachro Serapidis denotato, *admovisse manum ori, & osculum labris pressisse.*

Nondum (seculo scilicet Jobiano) Soli, Equis, Vespertilionibus, Muribus, cæterisque reptilibus, (de quibus Maimonides parte tertia, More Nebuch cap.29.) aut frugibus, multo minus humano sanguine, quod postea factum, litatum erat. Adorationem simplicem, hoc est, cordis cultum, solius corporis actionibus & incurvationibus sese exerentem, frugum terræ oblationes exceperunt. Hactenus enim sententiæ Porphyrii in secundo περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων accedimus. Prima sacrificia Idolis oblata, non ex Animalibus & Sanguine, sed è terræ frugibus constiterunt. Certissimum est primum Deo gratum Sacrificium sanguineum fuisse; Gen.cap.4.v.4. Etiam post Diluvium; Gen: cap.8.v.20. Neque dubium

est, quin quamdiu Deum verum solum cultu religioso prosecuti sunt homines, eum sacrificiis sanguineis venerati sint. Ad Idola conversi, non ausi sunt illico, nec nisi longo post tempore ex Animalibus sacrificia eis offerre. Illorum prima Sacrificia post Adorationem fuere ex frugibus Terræ. Ita Far, Vinum & Oleum Israelitas Baali, hoc est, Soli obtulisse conqueritur Propheta. Hos. cap. 2. v. 8. Et apud Poetam,

Illi ad surgentem conversi lumina Solem
Dant fruges manibus salsas. Æneid. 12.

Pythagorici à sanguine Animalium abstinentes, Adorationi adjecerunt Hymnos. Ii etiam cultus Religiosi veri aut superstitiosi pars notissima. Istiusmodi fuere Homeri & Callimachi qui extant. Aliæ postea plurimæ ceremoniæ inter Gentes admissæ, quæ partim ex νομοθεσίας Mosaicæ famâ obscurissima, partim ex Sathanæ κακοζηλία prodierunt.

Deinde sceleris hujus Naturam & Meritum addit vir Sanctissimus. Naturam in *Abnegatione Dei Omnipotentis qui supra est*, omnia regentis, omnia disponentis, quique ipsum Solem creavit, sitam esse docet. *Abnegassem*, inquit, *Deum* ממעל *desuper*; contrà forsan quàm multis eo errore implicatis visum est. Vix arbitrantur plurimi mortalium omnem creaturarum cultum Religiosum, esse Dei Creatoris abnegationem. Signanter autem addit ממעל. Cùm enim præcipua ratio cultus Solaris in eo semper extitit, quòd eum supra omnia ferri homines viderint, Deum solum supra omnia exaltatum esse indicat. Rectè in hunc sensum Maimonides de Idolola: lib. 2. ומשומר לעכום הרי הוא כמ שומר התורה כולה. *Qui convertitur ad Idololatriam deficit à tota lege.* Et paulò ante; *Ecce hic discis eum qui Idololatriam suscipit, negare totam legem, omnesque Prophetas, & quicquid mandatum Prophetis est, à primo homine usque ad finem mundi.*

Hujusmodi Solis, Lunæque cultum *iniquitatem judicatam* esse addit; hoc est, vel severo Dei judicio & animadversione dignissimam, vel piis omnibus meritò abominandam. Pro Sole Textus habet אור seu *lucem* κατ' ἀντονομασίαν. Inde Sol, *Horus* dictus.

Huic testimonio concinunt loca nonnulla Deuteronomii. Hic autem cultus Syderum cœlestium præsertim Solis, qui sine dubio statim à dispersione Babylonica mundum invasit, Catholicismum obtinuit, antequam Idola quæ coluit Hellenismus, vel nota fuerunt, vel nata.

Qui primi palàm pravæ huic Superstitioni se dederunt, *Ægyptii* fuerunt. Id mox ostensuri sumus, ex Diodoro, Lactantio aliisque. Illos sequuti sunt *Babylonii* & *Chaldæi* omnes. Non alius quàm Sol, *Bel* erat. Hezekiæ ideo Deus succensuit, quòd cùm Rex Babyloniæ legatos

tos miserat, de miraculo declensionis Solaris scitaturos 2 Chron. cap. 32 v.31. non ansam arripuerit Deum verum enarrandi, Solémque ei creaturam dicto audientem.

De antiquis Persis idem testatur Herodotus in Κλειοῖ. θεῶν inquit μόνον ἥλιον σέβονται καὶ θύουσιν ἵππους. *Solum è Diis Solem colunt, eique Equos sacrificant.* Is etiam Mithra erat maximus, si non solus apud *Persas* antiquos Deus. Μίθραν νομίζουσιν οἱ Πέρσαι εἶναι τὸν ἥλιον; *Mithram Persæ Solem esse arbitrabantur*, Gregor: Nazianzen: Orat: 1. adv: Julianum. Similiter Strabo; Θεὸν καὶ ἥλιον μόνον ἡγοῦνται τούτῳ ἐπιθύουσι. *Deum Solem duntaxat esse putant, & ei sacrificabant.*

Deum unicum *Persarum* veterum Solem fuisse videntur omnes affirmare. Id negat Cl: Vossius lib. 2. de Idololat: & contra Herodotum, allatis ex Plutarcho & Hesychio testimoniis, alios Deos illos admisisse docet. Verum neutiquam constat, eos more Idololatrarum solito alios in Deorum numerum ante Plutarchi tempora non retulisse, quos diebus Herodoti nondum coluerunt. Postquam enim se Ἀποθεώσεως, & numina conficiendi jure donâsset humanum genus, crevit indies Deorum numerus. Triginta millia recensuit Varro. De seculis autem prioribus probè Satyricus.

——nec turba Deorum
Talis ut est hodie contentaque sydera paucis
Numinibus, miserum urgebant Atlanta minore
Pondere.

Sed neque Herodotus absolutè dicit Solem apud Persas unicum Numen haberi, sed eorum omnium potius Deorum, quos Græcia venerata est, Solem solùm apud Persas in divino honore fuisse. Nam alia etiam Sydera & Elementa, quorum cum Sole eadem est ratio, inter σεβάσματα Persica ipse alibi memorat. Θύουσι, inquit, ἡλίῳ τε καὶ σελήνῃ, καὶ γῇ, καὶ πυρί, καὶ ὕδατι, καὶ ἀνέμοισι. *Soli, Lunæ, Terræ, Igni, Aquæ, & Ventis sacrificant.* Horum enim cultus penè ubivis Solarem comitatus est. Τούτοισι, addit, μὲν δὴ μούνοισι θύουσι ἀρχῆθεν, *His solis jam deinde ab initio sacra faciunt.* In iis Idololatria originem habuit. ἐπιμεμαθήκασι δὲ καὶ τῇ οὐρανίῃ θύειν; *ab aliis didicerunt Cœli exercitum sacrificiis colere.*

Hinc apud *Diogenem Laertium* in Operis Procemio, scriptores Historiæ Magorum *Herodotum* sui scilicet oblitum, mendacii arguunt, quod *Xerxem* jacula in Solem torsisse scripserit, cùm is à Magis qui *Xerxi* in expeditioni adfuerunt, superstitionis Persicæ Antistitibus, pro Deo habitus sit.

Addit verò Herodotus; *Moris habent editissimis quibusque montibus conscensis*

conscensis, Jovi hostias immolare; omnem gyrum Cœli, Jovem appellantes. Quo nomine autem *Cœli Gyrum* sua lingua vocitabant, planè ignotum. Græcis enim & Romanis aliarum Gentium Deos, eorum nominibus quorum apud ipsos cultus invaluerat, indigitare, erat usitatissimum. Hactenus autem rectè Herodotus, quòd quamvis Jovem Persas coluisse fingat, Græcanicum illum quem induxit Ἑλληνισμὸς se non intendisse ostendat. Aliter alii. Ita Gallos & Germanos, Jovem & Mercurium coluisse scribunt. Nomina ista ne fando quidem audivisse Celtarum ullos, ante Græcorum & Romanorum in Gallias adventum, docet omnis quæ superest primordiorum istarum Gentium memoria. Cùm autem essent Græci & Romani in Gentium, Nationum, Religionumque Originum cognitione infantissimi, non crediderunt mortale genus ullubi supra ipsorum figmenta sapuisse.

Rectius vulgo, & ad veritatem propius Cæsar de Germanis, Bell. Gall. lib. 6. *Deorum numero eos solos ducunt quos vident, Solem, Vulcanum, Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt.* Aliter Tacitus, qui Herculem, Martem, Mercurium, & Isim, eos coluisse, Author est. *Plura igitur & certiora de Religione Germanorum Tacito nota quàm Cæsari* inquit Lipsius. Et *Cæsar seu in Gallia, seu in Germania hæc percunctatus sit, non rectè aut illi narratum est, aut ipse non satis diligenter inquisivit,* ut Montanus in eum locum Cæsaris. Sed revera Tacitus, aut ipse deceptus est, aut alios sponte decipit. Nomina Romanis usitata pro libitu imponit Diis Germanorum. Neque enim *Woden*, Mercurius fuit; aut *Taranis*, Jupiter; aut *Hæsus*, Mars. Romana illa nomina æquè Germanis ignota, ac Fabulæ quæ in Hellenismo eorum cultus Fundamentum. *Eostre*, verò sive *Æstar*, eadem forsan Dea erat cum *Astarte* Syrorum. De ea Beda. *Eostermoneth, qui nunc Pascha; hic mensis interpretatur quondam à Dea illorum quæ Eostre vocabatur, & cui in illo festa celebrant, nomen habuit.* Et sanè verbum *Eostar* propè accedit ad Syrum nomen עשתרה, quod Deæ Syræ proprium; nam quod עשתרות etiam dicitur numero multitudinis, imaginum multitudinem, seu cultum ejus pluribus in locis institutum denotat. Christianos etiam Festum ad cursus Lunaris observationem instituentes, arbitrati sunt Gentiles Lunam, aut *Astarten* seu *Eostre* coluisse; unde nomen illud usque adhuc retinetur.

Mercurium, Martem, Jovem, Minervam, Gallos coluisse, eadem illis assignantes quæ Græci & Romani, Cæsar affirmat. Sed superstitionem istam à Græcis *Massiliensibus* hauserunt; ad *Druidum* enim instituta non pertinent. In fœdere etiam quod inter *Carthaginienses*, atq; *Philippum Macedoniæ* Regem aliósque adversus Romanos initum est, apud

Polybium

Polybium. Histor.lib.17. Solem & Lunam Deos *exercituum suorum* vocant Carthaginienses; quo inter alia falsa numina eos antiquissimos Deos fuisse ostendunt, cùm omnes ferè Gentes primordia sua in armis & bellis posuerint.

Ipsos etiam Græcos, non aljos primitus Deos coluisse, quàm Solem Lunam & Astra, *Plato* testis est in *Cratylo.* φαίνονταί μοι, inquit, οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι ὥσπερ νῦν οἱ πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἄστρα, καὶ οὐρανὸν, ἅτε οὖν αὐτὰ ὁρῶντες πάντα ἀεὶ ἰόντα δρόμῳ καὶ θέοντα, ἀπὸ ταύτης τῆς φύσεως τῆς τοῦ θεῖν, θεοὺς αὐτοὺς ἐπονομάσαι. *Mihi quidem illi homines videntur qui Græciam primi tenuerunt, eos tantùm Deos censuisse, quos nunc Barbarorum plerique colunt; Solem nimirum, Lunam, Terram, Astra, quæ cùm ipsi viderint omnia continuo cursu ferri, ab illo* τοὺς θεοὺς *(Deos) nominârint.* Neque inepta est uti videbimus ista qnam adfert Etymologia nominis illius, θεός.

Atque hinc erat quod antiquitùs Templa omnia, utpote Soli erecta, versus Orientem spectarint, portas tamen etiam sacras habuerint Australes. Ita *Homerus* Antrum suum sacrum *Ithacense* bipatens statuit; portam autem Australem Diis sacram.

——δύω δέ τε αἱ θύραι εἰσὶν
Αἱ μὲν πρὸς βορέαο καταιβαταὶ ἀνθρώποισιν
Αἱ δ' αὖ πρὸς νότον εἰσὶ θεώτεραι, οὐδέ τι κείνῃ
Ἄνδρες ἐσέρχονται, ἀλλ' ἀθανάτων ὁδός ἐστιν.

——*sed Janua duplex*
Hæc Boream spectans, homines admitit; at illa
Respiciens Austrum divinior, invia prorsus
Est homini, præbetque viam immortalibus unis.

Hujus autem locorum sacrorum positionis, non alia ratio erat, quàm quod tempore meridiano Sol ostio Australi immineat; teste *Porphyrio.* ἰσᾶσιν, inquit, ἣν καὶ σύμβολον τῆς μεσημβρίας, καὶ τοῦ νότου, ἐπὶ τῇ θύρᾳ μεσημβριάζοντος τοῦ θεοῦ. Idem mos in locis, quæ sacra appellant, disponendis adhuc ubivis retinetur.

Hæc de pluribus Gentibus σποράδην dixisse sufficiat. De Orientalibus posthac speciatim idem ostendemus.

Hoc, inquam, sui initium in mundo fecit Idololatria. Nondum inventa fuere Simulachra aut Imagines; nec Stelæ aut columnæ Religionis ergò erectæ; nondum homines denati in Numinum ordinem relati, in Cœlo, & Sole primò erratum est. Sceleris Autores primarios, Tempus præcisum, & loca quibus ortum tulit, caliginosâ nocte Deo premere visum est.

 Planè

Planè autem vana ſunt & nugatoria quæ de Idolorum cultus origine ad *Ptolom*: de Aſtr: Judic: lib. 2. Text. 17. diſſerit *Hieronymus Cardanus. Mercurius*, inquit, *junctus Veneri fecit legem Idolorum debilem, & luxui deditam, in qua omnia licent; & multiplicem propter Mercurii potentiam; ideoque cùm Venus debilis ſit comparatione ſuperiorum, facta eſt levis, plurium Deorum, plena ſuperſtitionibus, & Divinatione, & fabulis, quæ plena ſunt etiam Adulteriis & flagitiis aliis, & amoribus puerorum; Mercurius enim talia omnia ſignificat*. Atque iterùm; *Idolorum lex, quoniam à Venere ſuam originem habuit, initium ſumpſit à Meridie, ſcilicet Aſſyria, Babylonia, & Chaldæis: primus enim Belus Aſſyriorum Rex adorari ſe præcepit*. Hoc inquam eſt delirare. Quamvis autem hæc fatua ſint & inſipida, illoque indigna prorſus cui aliquid *titubat lævæ ſub parte Mamillæ*, tamen optandum eſſet virum doctum in iſtis inſaniæ ſuæ poſuiſſe modum, neque ea effutiiſſe, quæ eodem in loco, impiè, ſtultè, & blaſphemè, de Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, atque ipſius lege, evomuit.

Nimrodum poſtquam in Turre ædificanda laborem fruſtrà poſuiſſet, non tantùm in mores peſſimos devolutum, ſed & in Idololatriam prolapſum eſſe, veteres omnes cenſent. Eum operi iſti non adfuiſſe, ſentit Cl. *Bochartus*, lib.1.cap.10. *cùm aut nondum natus eſſet, aut adhuc puer*. Sed deeſt conjecturæ fundamentum; quamvis enim credam Nimrodum nonniſi poſt populorum diſperſionem Tyrannidem occupâſſe, tamen cùm filius fuerit *Cuſhi*, filii *Chami* natu Maximi, ſexaginta annos natus eſſe potuit, tum cùm Turris extrueretur. *Sed ibi loci poſuit Imperii ſui initium unde diſperſus fuiſſet*, inquit Vir Doctiſſimus, *ſi fuiſſet ex Fabricatoribus*. Sed non neceſſe eſt, ut dicamus omnes in univerſum homines ex eo loco depulſos fuiſſe; & ſi fuerint, certiſſimum eſt eos ſtatim iterùm illum occupâſſe. Itaque non omnino improbabilis eſt veterum opinio: Nihil eſt quod addam. Inter diſperſos Turris Fabricatores, qui omnem veri Numinis reverentiam abjecerant, primò ſenſim & modicè, deinde fuſè & præcipitantèr, ſcelus hoc crevit, & mundum invaſit.

Intra verò non multorum ſæculorum ſpatium, conſtat omnes penè Gentes divinum Solis Imperium ſuſcepiſſe. Ita *Phœnices* teſte *Sanchuniathone*; τοῦτον, inquit, hoc eſt, Solem, θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανοῦ κύριον Βεελσάμην καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι Κύριος οὐρανοῦ. *Deum hunc unicum cæli dominum eſſe credebant, eumque propterea Belſamen, id eſt Phœnicum lingua, Cœli dominum nominabant*.

Cultus ejus itaque Catholiciſmum obtinuit; & ipſe πολυωνυμίαν. Idem erat האל הליון בעל בל אדני כמוש בעלזבוב בעלפער מלך כיין ארדמלך

אדרמלך: Saturnus, *Jupiter*, Hammon, Mithra, Ἴαρος, Διόνυσος, Mars, Apollo, Osiris, Pan, Bacchus, Liber, *Jupiter* Sabasius, Hercules, *Janus*, Belenus, Abellio, & quid non. Inde Solem, Lunámque μυριωνύμους appellat Plutarchus. Coacervatis enim Elogiis, Titulísque congestis, capi Numen putabant, maximóque inde affici honore; ita ut tandem quæ diversa tantùm nomina Superstitionis fuerant, grassante errore diversa numina haberentur; ut rectè Doctissimus *Rivetus* in Hos.cap.2.v.8. In πολυωνυμία etiam erat quædam cultus species. Unde Ovidius,

Quærebam Nonas Sanco Fidione referrem.
An tibi Semicaper; tunc mihi Sancus ait:
Cuicunque ex istis dederis ego munus habebo
Nomina terna fero, sic voluere cures.

Et Horatius: Car: secul.

Lenis Illythia tuere matres
Sive tu Lucina probas vocari
Seu genitalis.

Et Serm: 6. lib. 2.

Matutine pater, seu Jane libentius audis.

Catullus etiam.
O Latonia maximi
Magna progenies Jovis;
Tu Lucina dolentibus,
Juno dicta puerperis
Tu potens Trivia & Notho es
Dicta lumine Luna;
Sis quocunque tibi placet
Sancta nomine.

Callimachus item Hym: in Apollin.

Ὦ πολλόν, πολλοί σε Βοηδρόμιον καλέουσι
Πολλοὶ δὲ κλάριον (πάντη δέ τοι οὔνομα πουλύ)
Αὐτὰρ ἐγὼ καρνεῖον.

A more cultus Solis diverso, à Ceremoniis quibus colebatur, à Bonis abs eo expetitis, à Beneficiis, à Locis quibus solenniter adoratus est, nova Nomina, novos Titulos adeptus, Sol nova processu temporis & diversa Numina protrusit. Inde, ex eventu, *Judæi* Scripturam pervertentes asserunt Deum Solem & Lunam Gentibus concessisse ut adorarentur. Id colligunt ex verbis *Mosis*, Deut. cap. 4.v. 19. *Ne forte eleves oculos tuos ad cœlos, & videas Solem & Lunam, & stellas omnem cœlorum militiam, & impellaris & incurves te eis, & servias eis.* אשר חלק יהוה אלהיך אתם לכל העמים תחת כל השמים: *quæ partitus est Dominus Deus*

 tuus

tuus omnibus populis sub omni cœlo. Ratio validissima ad coercendos populorum animos à cœlestium cultu. Dominium illud quod in Sole, Lunâque fingunt, servitium est, omnium Gentium quæ sunt sub cœlo usui destinatum. Sed hæc illi alio trahunt, *Judaicè. Israelem* inquiunt ad sui cultum vocans, aliis gentibus Solem Lunámque in adorationis objectum proposuit. Ita Trypho apud Justinum in Dialogo. *Alium,* inquit, *enarra nobis Deum,* φυλαξάμενος λέγειν τὸν ἥλιον καὶ σελήνην ἃ γέγραπται τοῖς ἔθνεσι συγκεχωρῆκεναι τὸν θεὸν ὡς θεοὺς προσκυνεῖν: *Solem & Lunam dicere cavens, quæ scriptum est à Deo gentibus permissa esse ut tanquam Deos adorarent.* Loci sensum optimè reddit vulgatus Interpres: *quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium omnibus Gentibus*: ut Matth. cap. 5. v. 45.

Libri Tertii Caput Quintum.

Seu de Ortu & Progressu Idololatriæ.

Caput Tertium.

Originis Idololatriæ occasiones. Dominii Solis Lunæque fama. Sol & Luna quo sensu duo magna Luminaria. Jonathanis Targumistæ figmentum portentosum. Dominium ratio cultus, Delegatum vitiosè. Idololatrarum Ratiocinationes vanæ. Rom. 1. 21. *Solis & Lunæ in res terrenas influxus & operationes. Jerem.*44.17,18. Act. 14. 17. *Solus Deus etiam terrenorum bonorum Autor. Syderum ornatus, cursus, gloria, cultus illecebræ. Deus qui supra. Deum cœlo includunt nonnulli; Humanæ Christi naturæ* παντοπαρουσίαν *assignant alii.* Deut. 4. 10. *De occasionibus & primordiis Idololatriæ sententia* Lactantii, & Diodori Siculi. Plotini *Philosophi sententia de cultu Syderum.* Psal. 19. 6. *LXX notati, & vulgatus Interpres.* Marsilii Ficini *hallucinatio. Translatio Syriaca vetus. Vanorum* δαιμονισμῶν *summa.*

IDololatriæ primordia in Solis, Lunæque Cultu, superiore Capite exposuimus. Antequam ad progressus quos errorem hunc fecisse ex eventu patet exponendos procedimus, lubet ansas quasdam & occasiones cultus Syderum cœlestium, quas primi Idololatræ arripuisse videntur, vanásque istas ratiocinationes, quibus seipsos seduxerant, paucis in Antecessum exponere.

Et

Et primò, mihi quidem videtur, hominum animis insedisse Traditionem de Dominio Diei Noctisq; Soli & Lunæ commisso. Necesse enim erat, ut quæ colerent ἐν ὑπεροχῇ constituta esse crederent. Percrebuit Fama eorum quæ primo Geneseos capite memoriæ jam consecrantur æternæ; ויעש אלהים את־שני המארת הגדלים את־המאור הגדל לממשלת היום ואת המאור הקטן לממשלת הלילה. Dominium heic Soli Lunæque est tributum; hoc est à rerum omnium origine. Ac Domini omnes honore afficiendi. Solem autem & Lunam duo magna Luminaria non *propriè*, sed per συγκατάβασιν quandam ad Vulgi scilicet captum & sensum dici, creditum est. Quid ita? quia nempe stellæ quædam Lunâ majores. Sed an idcircò Luna *Luminare magnum* dicenda non est, aut non modo peculiari præesse Noctis regimini? Neque sanè *luminare magnum* dicitur respectu Substantiæ sed Luminis; quod utcunque mutuatitium, majus est quàm Stellarum omnium. Huic autem nodo, qui revera nullus est, portentosissimi figmenti cuneum admovent Judæi. *Fecit*, inquit Targum Jonathanis, *Deus duo Luminaria magna, & erant paria in gloria, uno & viginti annis, demptis sexcentis septuaginta duabus partibus horæ*, (quo sciamus eum heic accuratissimè veritatem assecutum esse) *& postea protulit Luna contra Solem delationem & imminuta est; & præfecit Solem Luminare majus ut dominaretur diei, & Lunam quæ erat Luminare minus ut præesset nocti.* Ad eum modum ubivis penè Sacram paginam conspurcat, quod non jam semel monuimus, iste Paraphrastes; neque in alium finem natus videtur, ita omnia quæ propria habet fœtent. Nemo ex ejus lectione aut doctior aut melior evadet. Sed dominii hujus famam Gentibus innotuisse probabile est. Eâ in Idololatriæ illecebram, etiam cùm nondum esset omnis veri Dei notitia abolita, Sathanas usus est. Quid enim secundum Deum honore afficerent, nisi illa, quibus à Deo in Dies Noctésque, adeóque totam hominum vitam Imperium est commissum? Hinc *Æolo* qui Ventis præfuisse dicitur, ipsam *Junonem* supplicem finxit Poeta.

——Juno supplex his vocibus usa est;
Æole (namque tibi divûm pater atque hominum Rex
Et mulcere dedit fluctus & tollere ventos)
Gens inimica mihi; &c.

Potestati verò absolutæ sacris famulari, naturale; delegatæ vitiosum. Sed id nondum intelligunt plurimi qui Christiani dicuntur.

Hæc ideo prima Idololatriæ in cultu Solis, & totius Exercitus Cœlorum, hominibus qui veram Dei cognitionem ultroneè abjecerant, occasio extitit. Fama delegati Soli, Lunæque, Diei Noctisque Dominii,

 traditioni-

traditionibus pravis corrupta, eos qui omnem pænè Dei veri Religionem abjecerant, illexit in erroris fraudem. Hinc Sol, Rex, Ἄναξ, מלך & בעל, quicquid denique regimen & dominium denotat. Adde quod eorum quæ fando audiverant αὐτόπται fuere, ad motum & cursum Solis, Lunæque, dierum noctiúmque regimen, adeóque eorum omnium quæ tempore mensurantur, temperatum esse videbant; ita ut omnis dubitatio sublata esse visa est.

Aliis etiam ratiocinationibus vanis in impiam hanc sententiam delati fuerunt. Eò enim initium *Idololatriæ* refert Apostolus, quòd *vani homines facti essent* ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. Rom. 1. v. 21. Cùm enim mentes hominum, spiritualium & cœlestium penitùs essent inanes, & à Deo aversæ, rerum terrenarum desiderio supra modum flagrârunt. Nunquam coluissent, nisi priùs amàssent κτίσιν παρὰ τὸν κτίσαντα. Quantum autem momenti, Solis, Lunæque operationibus atque influxu, ut terrena prosperè & fœliciter succederent, situm esset, perspectum probè habere sibi visi sunt. Nihil hic conjecturis opus esse arbitrabantur, αὐτόπται fuêre. Omne autem illud Deum esse, quod cum illis suprà esset, iis opitulari potuisse, in istis quorum maximam curam habuerunt, spes erat, facilè sibi persuasêrunt. Non alio διαλογισμῷ in *Exercitus Cœli & Reginæ*, hoc est *Lunæ* Sydorúmque cultum decepti, inciderunt *Israelitæ Idololatrici*, quam quod ex illorum Religione, terrena omnia secunda experirentur. Ieremiæ cap. 44. v. 17, 18. *Cùm* inquiunt *adolebamus Reginæ Cœli, satiebamur cibo, & eramus hilares, ac malum non experiebamur; ex quo verò desiimus adolere Reginæ Cœli, & libare ei libamina, eguimus omnibus.* Deus ideo populum istum ad meliorem frugem, & sui cultum reducturus, vanitates istas Gentium *pluvias dare non potuisse*, iis in animum revocat. *Ierem*: cap. 14. v. 22. Et Apostolus *Paulus* ipsos Gentiles ob nefarias Idololatrias severè redarguens, stultitiæque insimulans, solum verum Deum omnium creatorem οὐρανόθεν dedisse hominibus ὑετούς, καὶ καιροὺς καρποφόρους asserit, Actor. 14. v. 17. non obscurè indicans, gentes spe & expectatione σιτικῶν in Idolorum cultum illectas fuisse. Atque hic secundus erroris pernitiosissimi Fons erat.

Deinde Cœlorum *ornatum*, Syderum cursum, corporum cœlestium ordinem, *Gloriam Dei enunciare* affirmat *Psaltes*; Psal. 19. & Apostolus ad *Roman.* cap. 21. Eam omnem Gloriam Creatori ereptam, ipsis creaturis assignârunt Apostatæ. Ornatum qui à Deo erat, Deum esse putârunt. Est & innata menti humanæ persuasio, numen illud quod coli debet in cœlis ac supra se esse. Inde in periculis constitutis, ubi Deo præsente opus, moris semper erat, *duplices tendere ad Sydera palmas.*

Deus

Deus ideo apud *Hesiodum*, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει, *qui domos supernas habitat*. Etiam Dominus noster *Jesus Christus* docuit nos *patrem nostrum in Cœlis* invocare; ubi scilicet gloriam suam modo planè speciali manifestam facit. Ineptè verò ob eam causam Deum cœlis circumscriptum includit, *Bidellus* Socinianus in Catechismo suo; quod divinam naturam planè evertit: dum alii humanæ Christi naturæ quam cœli capiunt ad omnium restitutionem, πολυτοπίαν, alii παντοτοπίαν assignantes, eam non minus efficaciter tollunt; id est inter plurimos Christianos disputandi cacoethes. Quibus itaque suprà sensum sapere non placuit, Dei locum in cœlis occupari *Sol* maximè visus est. Hanc cultus Syderum originem & illecebram, indicat ipse Spiritus sanctus, *Deuteron.* 4. v. 19. *Ne fortè* (inquit) *eleves oculos tuos in cœlum, & videas Solem & Lunam atque stellas cum universo excercitu cœlorum, & impulsus adores ea.* Conspectum oculorum sequitur cordis ad Idololatriam impulsus. Pulchritudine, Gloriâ, ordine, motu Syderum allecti, atque admiratione nimia rapti, quum ex iis Dei veri Gloriam, quam enarrant, utpote cujus notitiam antea abjecerant, discere nescirent, sensim in eorum cultum impulsi sunt. Idem ne accideret *Israelitis*, hîc atque alibi cautum est.

Hunc Erroris fontem olim detexit *Lactantius*, lib. 2. cap. 24. de *Orig. Error*: *Cùm* (inquit) *in Ægypto ob delitiosam terræ constitutionem, in ædibus & tiguriis rarò se continerent, totum noctem sub cœlo sereno ac nullis malignis impressionibus obnoxio, dormiendo consumunt, à frequenti cœlestium corporum aspectu & constanti lege procedentium stellarum in eam paulatim devenere opinionem astra Deos esse, & rerum universi conservatores, quos vario ritu & ceremoniis venerabantur. Diodorus Siculus Biblioth*: lib: 1. similiter narrat: τοὺς δ' οὖν κατ' Αἴγυπτον ἀνθρώπους τὸ παλαιὸν γενομένους, ἀναβλέψαντας εἰς τὸν κόσμον καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν, καταπεραγέντας καὶ θαυμάσαντας ὑπολαβεῖν εἶναι θεοὺς ἀϊδίους τε καὶ πρώτους, τόν τε ἥλιον καὶ σελήνην, ὧν τὸν μὲν Ὄσιριν τὴν δὲ Ἶσιν ὀνομάσαι; *homines scilicet antiquissimos Ægypti incolas, mundum supra se & universi naturam contemplantes, neque absque stupore admiratos existimasse esse Deos æternos & primos, Solem & Lunam, quorum illum Osirim, hanc Isim appellari.* Inde ipse primos & æternos Deos fuisse duos, Solem & Lunam, pronuntiat.

Ex hisce cautionis divinæ suprà memoratæ, ratio planissimè apparet. Cùm enim plurimæ gentes ipso Syderum aspectu, contemplatione, & admiratione in cultum eorum impulsæ fuissent, ne idem populo suo accideret, severè eos admonet. Et sanè non sine causâ multarum legum rationes ex cultu *Zabaorum* Idololatrico, didicisse se affirmat *Maimonides*, 3ª part: *More Nebuchim* cap. 29. Atque is imprimis Lectori rerum

rum harum studioso consulendus. Quanti autem fuerint ratiocinationes à contemplatione ordinis & motus Syderum ductæ, apud homines veri Dei ignaros, ad divinam iis naturam assignandam; post multa secula ostendit *Plotinus*; *Ennead.* 2 lib. 9. ἄστρα (inquit) τὰ ἐν ταῖς ὑποκάτω σφαίραις τά τε ἐν τῇ ἀνωτάτω διὰ τί οὐ θεοὶ ἐν τάξει φερόμενα καὶ κόσμῳ περιιόντα. *Stellæ verò quæ inferioribus insunt sphæris, & qui in suprema micant cur Dii non sint, cogitari non potest, quippe cùm ordine perferantur, ornatúque concurrant.* Hinc postquam radios suos Christiana Religio longè latèque sparsisset, *philosophiæ Platonicæ* sectatores, qui absurdissima æmulatione sapientiæ suæ autoritatem ei opponere tentabant, rejectis aliis Diis fictitiis antiquorum *Gentilium* innumeris, *Solem* tamen aliáque Sydera adoranda esse contenderunt, ac proindè visum & auditum eis tribuerunt. Id nos docet idem *Plotinus*, *Ennead*: 4. lib. 4. νῦν δέ, inquit, ἐπειδὴ μνήμας μὲν ἐν τοῖς ἄστροις περιττὰς εἶναι ἐθέμεθα, αἰσθήσεις δὲ ἔδομεν καὶ ἀκούσεις πρὸς ὁράσει, καὶ εὐχῶν δὴ κλυόντας, ἃς πρὸς ἥλιον ποιούμεθα, καὶ δὴ καὶ πρὸς ἄστρα ἄλλοι τινὲς ἄνθρωποι καὶ πεπίστευται ὡς δι' αὐτῶν αὐτοῖς πολλὰ καὶ τελεῖται: h. e. *postquam memoriam stellis diximus supervacuam, dedimus sensus; neque visum duntaxat, sed & auditum, præterea preces audire concessimus quas ad Solem dirigimus; alii verò quidam ad alias stellas; credunt enim se multa precibus ab illis impetraturos.* Ei Idolomaniæ, ut illud obiter addam, patrocinari videtur famosissimus *Plotini* interpres, loco illo *Psaltis* in eum finem prolato: *In Sole posuit tabernaculum suum*, Psal. 19. v. 6. Ita enim ex Græca τῶν ο' translatione quæ dicitur, verba Psaltis refert vulgatus Interpres. Alium verò longè sensum habet *Hebraica* veritas. לשמש שם אהל בהם, hoc est, prout verba reddunt *nostrates*, **In them**, hoc est in cœlis ipsis, **hath he placed a tabernacle for the sun.** Antiquos autem plurimum vexavit ista versio. Quæstio sexagesima tertia ad Orthodoxos sic se habet; Ἐπειδὴ διαφόρως τινὲς ἡρμήνευσαν καὶ ἀσαφῶς τό, ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ, τὴν σαφήνειαν αὐτοῦ δίδαξον. h. e. *Quia nonnulli variè & obscurè interpretati sunt illud* In Sole posuit tabernaculum suum; *declarationem ejus nos doceto.* Respondet solutionum Author doctissimus; τό, ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ, ἴσα εἴπῃ τοῦ οὐρανοῦ ἔθετο σκήνωμα τῷ ἡλίῳ· ἡ γὰρ ἐκ τῆς τῶν Σύρων γλώττης μεταγωγὴ τῆς λέξεως οὕτως γεγένηται· ἐν αὐτοῖς ἔθετο τῷ ἡλίῳ τὸ σκήνωμα; quod modo sanè in versione *Syra* quæ nunc extat non legitur; quæque ob alias etiam rationes non antiqua ea translatio Syriaca veterum pluribus nota, esse videtur.

Atque hæc fuere διαλογισμῶν vanissimorum capita, quibus impii Apostatæ seipsos in Syderum cultum seduxerunt. Primò *Dominii Solis & Lunæ in dies noctesque* animos occupavit prava & corrupta Traditio.

Deinde

Deinde bonorum omnium terrenorum, seu τῶν βιωτικῶν, quorum curâ & studio solùm tenebantur, proventum ab eorum influxu maximè pendere, sibi visi sunt perspicere. Vanis hisce opinationibus involuti & præpediti, cum ornatum Cæli admirabilem & majestatis augustæ plenissimum, syderum omnium cursum, solis splendorem & efficaciam contemplarent, atque in Cælis posituram, in *Idolomaniam* hanc præcipites ruebant.

Lib: Tertius, Cap: Sextum.

Seu De Origine & Progressu Idololatriæ.

Caput Quartum.

Theologiæ naturalis corruptio alia. Res naturales colendi sub hominum mortuorum larva nonnullorum prætextus. Theologiæ φυσικῆς an μυθικῆ expositio allegorica. Philosophandi ratio innovata. Theologia Stoicorum. Zenonis; Chrysippi: à Philone Byblio refutata; & Eusebio. Confusio Idololatrica. Sol & Apollo an idem. Jacobi historiæ traditio in servitute Apollinis. In excusandis veteribus Idololatris Philosophorum ineptiæ. Veterum Idololatrarum, recentiorumque comparatio. In excusandis hominum peccatis circulatorum fraudes. Pharisæorum; Jesuitarum. Ars dæmonas exorcisandi Gentilibus, Judæis, Pontificiis communis.

NVminis locum & Imperium ex prava hominum superstitione Solem reliquumque Cæli Excercitum primùm in mundo occupasse ostendimus, Ex ea, temporis processu, nova alia eáque perniciosissima superstitio quam Theologiam φυσικὴν vocant, pullulavit. Ejus etiam primordia, sed obitèr, & quasi ἐν παρόδῳ enarrabimus.

Ex præceptis Theologiæ Naturalis, opera Naturæ ad verum Creatoris omnium cultum promovendum erant designata. In Theologiæ istius expositione Libro primo id probatum dedimus. Iis ipsis operibus cultum Religiosum debitum esse docuerunt, quod etiam ostendimus, primi Idololatræ. Horum cultum Theologiam naturalem dixerunt; quia res naturæ erant quæ colebantur; cum ea, revera documenta à rebus

naturalibus sumere docet, ad Autoris naturæ cultum promovendum. Temporis successu aliud Idololatriæ genus introductum fuisse, inferiùs videbimus. Id ortum duxit è fabulosis Traditionibus, impiorumque hominum ἀποθεώσεις impia & imaginaria. Postquam autem severius paulò inter nonnullos Philosophari cæptum est, atque limatiores de Natura Divina opiniones inter plurimos obtinuerant, Sapientes pudere cæpit eorum Deorum quos protulerant ferrea secula ignorantia & tenebris tota devoluta. Omnia ideo quæ de Diis fictitiis, Jove scilicet, totoque sacro Hellenismi Choragio vulgo celebrata erant, Res Naturales adumbrasse apud antiquos μυθολόγους contenderunt. Theologiam hanc μυθικὴν vocant, quam nihil aliud fuisse aiunt, quàm τῆς φυσικῆς doctrinam Allegoricam. Diodorus Siculus, Lib. 1. Plutarch: de Isid: & Osirid: telam hanc ordiuntur, atque apud Eusebium Thesauro præstantissimo, plurimi alii. Illis *Jupiter* non nisi Sol erat aut Aer; Juno, Luna, aut Terra, cæteraque priorum seculorum Idola, quorum primordia postea ostendemus, aut Elementa, aut rerum Caussæ naturales. Id etiam Poetæ recentiores ubivis innuunt: Ita Juvenalis *Satyr:* 5.

——fremeret cum grandine, vernus
Jupiter.

Et ante eum Virgilius; Georgic: 2.

Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt;
Tum pater omnipotens fæcundis imbribus Æther,
Conjugis in Gremium latè descendit, & omnes
Magnus alit magno commistus corpore fœtus.

Quique eum præcessit Lucretius Epicureus, Lib. II.

Heic si quis Mare Neptunum, Cereremque vocare
Constituit fruges, & Bacchi nomine abuti
Mavult quam laticis proprium proferre vocamen;
Concedamus aut hic terrarum dictitet orbem
Esse Deum matrem, dum re non sit tamen apse.

Atque Antiquiores Græci: Orpheus.

Γῆ μήτηρ πάντων Δημήτηρ πλουτοδότειρα.

Nam Δημήτηρ erat Γῆ μήτηρ teste Diodoro.

Empedocles etiam carminibus quæ memorat Athenagoras in Legatione.

Ζεὺς ἀργὴς, Ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' Ἀϊδωνεὺς
Νῆστίς θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον.
Jupiter igne micans, Juno vitalis, & imus
Divorum Pluto, vis Nestidis uda rigandi.

Atque alter: *Aspice hoc sublime candens quod vocamus Jovem.*

Istiusmodi

Istiusmodi etiam fuere Stoicorum hominum Placita. Ita de Zenone, Velleius Epicureus apud Ciceron: Lib. 1. de Natur: Deor: *Cum Hesiodi Theogoniam*, inquit, *interpretatur, tollit omnino usitatas perceptásque cognitiones Deorum; neque enim Jovem, neque Junonem, neque Vestam, neque quemquam qui ita appellatur in Deorum habet numero; sed rebus inanimatis atque malis per quandam significationem hæc docet tributa.* Et mox de Chrysippo; *Idem disputat æthera esse eum quem homines Jovem appellant; quique Aer per Maria manaret, eum esse Neptunum, terram eam quæ Ceres dicitur.* Inde Sacrificia oblata esse nubibus ne grandinem & tempestates immitterent, observat Seneca. Natural: Quæst: lib. 4. cap. 6, 7.

Eandem viam institerunt recentiores Platonico-Pythagoræi; Plotinus, Porphyrius, Jamblichus, Amelius, Eumonius, aliique. Exemplo sit Porphyrii fabula Saturni patrem suum Cœlum, Saturnum Jovis exsecantis ἑρμηνεία, & ad causas rerum Cœlestes applicatio. ὁ Κρόνος, inquit, δεθεὶς ἐκτέμνεται, ὡς ὁ οὐρανός· τῷ θεολόγῳ (hoc est Musæo) δι' ἡδονῆς δεσμεῖσθαι καὶ κατάγεσθαι τὰ θεῖα εἰς γένεσιν αἰνισσομένου, ἀποσπερματίζειν τε δυνάμεις εἰς ἡδονὴν ἐκλυθέντα: ὅθεν ἐπιθυμίᾳ μὲν συνουσίας τὸν οὐρανὸν κατιόντα εἰς γῆν ἐκτέμνει Κρόνος· πρῶτος τῶν ἀντιφερομένων τῷ οὐρανῷ ὁ Κρόνος ἐστὶ, καὶ ἡ τούτου σφαῖρα· κατίασι δὲ δυνάμεις ἐξ οὐρανοῦ καὶ ἀπὸ τῶν πλανωμένων; ἀλλὰ τὰς μὲν ἐξ οὐρανοῦ δέχεται Κρόνος, τὰς δὲ ἀπὸ τοῦ Κρόνου Ζεύς. *Saturnus vinctus castratur sicuti Cœlum: Quo ipso Theologus innuit essentias divinas dulcedine inescatas vinciri, atque in generationem deduci, & voluptate resolutas virtutes quasdam proseminare: unde Cœlum coeundi desiderio in terram descendens exsecat Saturnus: Saturnus enim & ejus orbis primus est qui contra Cœlum movetur, descendunt autem tàm à Cœlo quam à Stellis errantibus virtutes quædam. Sed Cœli virtutes Saturnus; Saturni deinde Jupiter excipit.* Hæc ille, in libro de Nympharum Antro apud Homerum. Vim scilicet Cœli prolificam, Saturnus, qui ei proximus ordine retrogrado motui ejus obversatur ita excipere, ut immediatè in terras descendere non possit; Saturni vero influxum, virtutem *Jovis* intercipere, eam fabulam innuere contendit. Commento hoc, inquam, primorum Idololatrum stupori, & Hellenismi insaniæ fucum illinere satagerunt.

Philobiblius apud Eusebium: de Præparat: Evangel: Lib. 1. Cap. 9. ineptissimè Philosophos hæc finxisse, cum alia planè res esset pluribus ostendit: ἀλλὰ (inquit) οἱ μὲν νεώτατοι τῶν ἱερολόγων, τὰ μὲν γεγονότα πράγματα ἐξ ἀρχῆς ἀπεπέμψατο, ἀλληγορίας καὶ μύθους ἐπινοήσαντες καὶ τοῖς κοσμικοῖς παθήμασιν συγγένειαν πλασάμενοι μυστήρια κατέστησαν. *At recentiores Theologi, re-*

jectis iis quæ ab initio facta sunt, Allegoriis & fabulis excogitatis, affinitate aliqua cum rebus universi conficta, mysteria constituerunt.

Pluribus vanitatem istam exagitat Eusebius Præpar: Evan: Lib. 3. Cap. 1. Nam cum eâ tunc temporis Christianis res erat. Postquam enim Evangelii Lumen usque adeo radiis suis terrarum orbem perculistet, ut erubescenda veteris Superstitionis insania apud ipsum vulgus in contemptum veniret, accutiores Sophistæ, quod dixi, quo stultitiam istam colore novo fucatam amabilem redderent, figmento huic cui adversatur omnis historiæ fides, pertinacissimè adhæserunt. Imò, ut id obiter dicam, innovata est primis Ecclesiæ temporibus apud ipsos Gentiles tota Philosophandi ratio. Postquam enim Ammonius Alexandrinus, Philosophorum sui seculi Coryphæus, cujus Auditores fuere Origenes, Herennius & Plotinus, hic Porphyrii Præceptor, ut is Jamblichi, nonnulla sapientiæ Cœlestis semina orationibus suis Philosophicis Auditorum animis insevisset; illi qui Christianam Religionem, ob inveterata præjudicia & orbis terrarum odium amplecti nollent, non destiterunt tamen semina ista pro virili excolere, in Platonis lacunas veritatis rivulos diducentes. Adde quod alii ex librorum nostrorum lectione, plurima ex reconditissimis Evangelii mysteriis hauserant. Horum erant Numenius, Amelius, Plotinus, Herennius, Porphyrius, Jamblicus, Proclus, Hierocles, Marinus, Damascius, aliique, qui quamvis neque curiosas Platonicorum speculationes, nec Magicas Pythagoricorum incantationes deseruerint, plures tamen veritatis cælestis scintillulas eis admiscuerunt.

Inter veteres autem omnia confusa fuere, & incerta. Disputat pluribus Plutarchus utrum Apollo alius fuerit à sole, libro περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν. Poetarum autem antiquissimi, iisdem Hymnis eum solem esse docent, atque ubi natus fuerit quibusque parentibus exponunt. Ita ut Arcades non tantum Luna sed & Sole se priores fingere potuerint. Addunt & fabulas ex Traditionibus antiquis consarcinatas. Tale illud est quod de exilio Pastorali Apollinis scribunt; quod quidem ita celebrat Callimachus, ut pœnè crederem Jacobi apud Labanem Syrum id vitæ genus traducentis, fabula ista repræsentari. Causam itineris & operis suscepti Amorem fuisse docet.

ἠϊθέου ἐπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο

Adolescentis amore incensus Admeti.

Prout

Prout Jacobo servitutis pastoralis caussa Amor erat. In caussa autem servitutis Apollineæ assignanda, à cætera Poetarum turba cum discedat Callimachus, dubio procul quin obscuræ alicujus traditionis fama id agendi ansam ei præbuerit. Deinde pecorum subolescentium auctionem sub illius cura egregie depingit.

Ῥεῖα κε βουβόσιον πλέθοι πλέον οὐδέ κεν αἶγες
Δεύοιντο βρεφέων ἐπιμηλάδες ᾗσιν Ἀπόλλων
Βοσκομένες ὀφθαλμὸν ἐπήγαγεν, οὐδ' ἀγάλακτοι
Οἴιες, οὐδ' ἄκυθοι, πᾶσαι δέ κεν εἶεν ὕπαρνοι
Ἡ δέ κε μουνοτόκος διδυμοτόκος αἶψα γένοιτο.

Facile utique pascuum armentis abundat neque capræ
Indigeant fœtibus ovibus mistæ, quibus Apollo
Pascentibus oculum induxit, neq; lacte carentes
Oves neque steriles sed omnes agnos sub se habuerint
Et quæ unipera gemellipera statim fuerit.

Si luberet Poetæ verba seorsim excutere, plurima reperta forent quæ mirè in Jacobi Historiam quadrant; sed quia ea primo intuitu lector non indiligens sit perspecturus, atq; nos aliud agimus, iis heic loci insistere non placet.

Nova autem ista mystica Theologia naturalis, putidissimum erat hominum in ignorantia & malitia obcæcatorum figmentum. Solem, Lunam, cæteráq; Sydera Cœli divinis honoribus venerati sunt mortalium plurimi, longè antequam Hellenissimi fabulæ ortum habuere vel occasionem. Græcia Deorum ἀνθρωποφυέων quasi Patria erat, & Idolorum officina. Ipsos autem Græcos antiquitus non alios Deos coluisse, quàm Solem, Lunam, & Astra superius ex Platone ostendimus. Sed ita novis Magistris priscorum temporum ignorantiæ & tenebrarum Patrocinium suscipere placuit, ipsi nihilo eis sapientiores quorum maxime puduit. Non alitèr hodieq; Rabbini Judaici portenta omnia Talmudica ad nescio quas Allegorias detorquent; Mirum cur idem in Legendis suis non præstiterint Jesuitæ. Consultius fortè & verecundè magis egissent, si Philosophos Rabbinósque imitati, ingeniosis mendaciis excogitatis, illis quoquomodo fidem conciliassent, quàm postquam tot annos, tot hominum millia ubivis Gentium per teterrimorum errorum devia circumduxissent, eas penitùs & palam rejicendo, factum est. Atqui hæc dices injuria est, imo vis; Patres Sanctissimos, è Societate Jesu,

cum

cum Philosophis & Rabbinis comparare, & conferre velle? Age igitur uno exemplo (aut forsan altero) sed maximè momenti, utrum illorum vestigia premant annon despiciamus. Immortalibus Mortalium animis, hominum Societati, Obedientiæ summo Numini debitæ, atrociorem injuriam inferre nemo potest, quam is qui in palliandis & excusandis peccatorum criminibus ita dat operam, ut inde animos sumant ea ulterius & liberius perpetrandi. Quid in hunc finem laruati inter Gentiles Hierophantæ præstiterint, docet prolixè in secundo Libro de Republica divinus Philosophus. Ἀγύρται, inquit, δὲ καὶ μάντεις ἐπὶ πλουσίων θύρας ἰόντες, πείθουσιν ὡς ἔστι παρὰ σφίσι δύναμις ἐκ θεῶν ποριζομένη θυσίαις τε καὶ ἐπῳδαῖς εἴ τι τι ἀδίκημά του γέγονεν αὐτοῦ, ἢ προγόνων, ἀκεῖσθαι μεθ' ἡδονῶν τε καὶ ἑορτῶν· καὶ ἐάν τιν' ἐχθρὸν πημῆναι ἐθέλει μετὰ σμικρῶν δαπανῶν ὁμοίως δίκαιον ἀδίκῳ βλάψει· ἐπαγωγαῖς τισὶ καὶ καταδέσμοις τοὺς θεοὺς (ὥς φασι) πείθοντες σφίσιν ὑπηρετεῖν· τούτοις δὲ πᾶσι τοῖς λόγοις μάρτυρας ποιητὰς ἐπάγονται, οἱ μὲν κακίας, περὶ εὐπετείας διδόντες.

Ὡς τὴν μὲν κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἐστὶν ἑλέσθαι
Ῥηιδίως· λείη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.

Καὶ τινα ὁδὸν μακράν τε καὶ ἀνάντη· οἱ δὲ τῆς τῶν θεῶν ὑπ' ἀνθρώπων παραγωγῆς τὸν Ὅμηρον μαρτύρονται, ὅτι καὶ ἐκεῖνος εἶπε

---στρεπτοὶ δὲ καὶ θεοὶ αὐτοὶ
Καὶ τοὺς μὲν θυσίαισι καὶ εὐχωλαῖς ἀγανῇσι

Λοιβῇ τε κνίσῃ τε παρατρωπῶσ' ἄνθρωποι
Λισσόμενοι, ὅτε κἄν τις ὑπερβήῃ καὶ ἁμάρτῃ.

Βίβλων δὲ ὅμαδον παρέχονται Μουσαίου καὶ Ὀρφέως Σελήνης τε καὶ Μουσῶν ἐκγόνων ὥς φασι· καθ' ἃς θυηπολοῦσι πείθοντες οὐ μόνον ἰδιώτας ἀλλὰ καὶ πόλεις ὡς ἄρα λύσεις τε καὶ καθαρμοὶ ἀδικημάτων, διὰ θυσιῶν καὶ παιδιᾶς ἡδονῶν, εἰσὶ μὲν ἔτι ζῶσιν, εἰσὶ δὲ καὶ τελευτήσασιν· ὡς δὴ τελετὰς καλοῦσιν, αἳ τῶν ἐκεῖ κακῶν ἀπολύουσιν ἡμᾶς· μὴ θύσαντας δὲ, δεινὰ περιμένει. *Circulatores & vates divitum domos frequentantes, affirmant penes se esse vim quandam quæ Deorum numine sibi tribuatur, sacrificiorum & incantationum ritibus nonnullis expiare quodvis scelus, vel ab ipsis vel à majoribus perpetratum, ut & voluptas & festivitas consequatur; quod si quis velit vindictam de hoste sumere id futurum exiguo sumptu in justi & injusti potestate: se omnes Deos, ita ad se allicere & demereri incantationibus & vinculis quibusdam*

ut

ut sibi etiam obsequantur. Ad hæc sermonum portenta adducunt Poetarum Testimonia qui docent quàm facilis sit ad vitia, lapsus quippe,

Mortales vitium prono occupat impete mentes
Confertim: æqua via est & vicinior illis.
Virtutem autem ipsam Dii præposuere labores;

longamque & alienam quandam viam. Deos autem ab hominibus flecti, & in contrariam sententiam pertrahi testem adducunt Homerum, qui dixerit

—flectuntur numina divûm
Scilicet hos vota atque preces & victima placant
Quum qui peccârit supplex operetur.

Magnam autem librorum turbam à Musæo & Orpheo, qui è Luna & Musis oriundi sunt, sicut aiunt, excitant; ex quorum mandatis sacra peragunt; & non modo privatis hominibus, sed & civitatibus etiam persuadent expiationes liberationesque scelerum, sacrificiis & ludicrorum spectaculorum festiuitatibus fieri in superstitum mortuorumque gratiam; quas manium expiationes τελετὰς vocant, quæ nimirum homines eorum malorum pœna in morte liberent; contra eos qui minimè sacrificaverint graves pœnas manere. Hanc autem superstitionem utpote quæ omnium officiorum perturbationem, universæque adeo vitæ pestem & exitium molitur, pluribus reprehendit Philosophus.

Discat hinc Lector nihil penè novi esse in eorum commentis, qui Religionis larvam induti, vel variis carnis ἐπιθυμίαις inserviunt, vel opibus, aut in obcæcatorum hominum conscientias dominationi inhiant. Circulatoribus hisce, nequitiâ, audacia, superstitione simillimos Pharisæos apud Judæos, gemina illorum commentis mendacia excogitasse, unde peccatorum excusationem eruerent, Sanctissimus servator noster, qui via, vita, & veritas est, *Matth.* 5. 6. & septimo ostendit. In Jesuitis autem parem esse avaritiam, similem improbitatem, eandem impudentiam, geminam audaciam, in extenuandis, excusandis, expiandis sceleratissimorum nebulonum peccatis & criminibus, in hominum animis ad vitia acuendis, inflammandis, in retundendis omnibus conscientiæ stimulis, non ita pridem palam fecit, qui libro peculiari mysteria eorum detexit. Conferat Lector ea quæ ex Platone adduximus, cum iis quæ ex Jesuitarum libris excerpsit vir doctus, vix ovum ovo similius reperiet, quam horum dogmata, istorum circulatorum placitis.

Addam & instantiam aliam; quæ etiam ad quæstum spectat & κερδαλέξιν. Eam è dæmonum Exorcismis capiamus. Philostratus Lib. 4. de vit. Apollon: cap. 6. ejectum è Juvene per Apollonium dæmonem

enarrans, expositis obsessi furore & luxuria, addit; καὶ οἱ μὲν πολλοὶ τὴν νεότητα σκιρτῶσαν ᾤοντο ἐκφέρειν αὐτὸ ἐς ταῦτα· ὁ δ' ὑπεκρίνετο ἄρα τῷ δαίμονι καὶ ἐδόκει παροινεῖν ἃ ἐπαρῴνει, τότε ὁρῶντός τε ἐς αὐτὸν Ἀπολλωνίου, δεδοικότως τὲ καὶ ὀργίλως φωνὰς ἠφίει, τὸ εἴδωλον ὁπόσαι κλαιομένων τὲ καὶ στρεβλουμένων εἰσὶν ἀφέξεσθαί τε τοῦ μειρακίου ὤμνυ, καὶ μηδενὶ ἀνθρώπων ἐμπεσεῖσθαι· τοῦ δὲ οἷον δεσπότου πρὸς ἀνδράποδον ποικίλον πανοῦργόν τε καὶ ἀναιδὲς καὶ τὰ τοιαῦτα σὺν ὀργῇ λέγοντος καὶ κελεύοντος αὐτῷ σὺν τεκμηρίῳ ἀπαλλάττεσθαι· τὸν δεῖνα ἔφη καταβαλῶν ἀνδριάντα, δείξας τινὰ τῶν περὶ τὴν βασίλειον στοὰν πρὸς ᾗ ταῦτα ἐπράττετο· ἐπεὶ δὲ ὁ ἀνδριὰς ἐπεκινήθη πρῶτον εἶτα ἔπεσε. *Et plurimi arbitrabantur horum omnium luxuriosam & mollem juventutem causam fuisse. Sed adolescens dæmonis instinctu gesticulabatur, ac debacchari tum videbatur cum in illum furentem intueretur Apollonius. Nunc enim timentis nunc irascentis voces Idolum emittens & quales flentium esse solent, & eorum qui aliquo cruciatu torquentur, jurabat se adolescentem dimissurum & in neminem alium intraturum; Apollonius autem verbis in eum utebatur quibus domini contra servos uti solent, versipellem, scelestum, & impudentem ipsum appellans, minaciter iracundéque jubebat, ut signo aliquo sui discessus edito, adolescentem relinqueret, nimirum ut statuam quandam dejiceret, unam ex iis denotans quæ in porticu regia juxta quam hæc fiebant posita erant. His dictis ea statua tum paulum primo nutans decidit.* Utrum hæc revera ita acta fuerint ego nescio. Philostratum in mendaciis cubantem sæpius deprehendit adversus Hieroclem Eusebius. Verum his gemina quotidie fieri aut fingi inter Patres Societatis scio. Mirum etiam quantum inter hos illumq; convenit. Mengum, Thiræum Sprengerum loquentes, putes. Uti autem Apollonius iste supra cæteros mortales perspicax erat, ita ut in temulento juvene dæmonem cerneret, cum alii omnes nihil in eo viderent, præterquam quod luxuriæ & protervíæ ascribendum censerent, ita sæpissimè accidit ut Patres Societatis impuros Spiritus in eis prospiciant, in juvenibus præsertim ac puellis, in quibus cæteri mortales, talpis scilicet cæciores, nisi quod quorundum deliramentis, aliorum vero præstigiis imputandum censent, nihil quicquam discernere possint. Deinde non magis ad præsentiam & aspectum Apollonii Magi fremuit idolum Philostratanum, quàm solenne est idolis Jesuiticis ad præsentiam intuitum aut tactum Sacerdotis Pontificii. Id nos docet inter alios Edmundius ipse Sacrificulus, in Historia miraculosa rerum in Anglia gestarum circa Annum 1585, & deinceps. *Vix dum*, inquit, *exorcismos inchoare, manusque imponere Capiti, cum ille* (juvenis Jesuiticus) *statim furere, in altum erigi, manibus pedibusque elaborare, Sacerdotis manum de-*

depellere, omnia complere vocibus, juramentis, maledictis blasphemis; ita ut ei plane impar esset Juvenis iste Philostrateus. In eo vero quod dæmoni improperia dicenda sint, Apollonium infantem fuisse si ad nostros hosce conferatur, plane apparebit. Is Spiritum ποικίλον, πανοῦργον & ἀναιδῆ nuncupabat; Si quis vero Mengum adire velit Fust: Dæm: Exorcis: 4. quam nihili hæc sint, eorum respectu quibus Patres in Exorcismis uti docet, facile perspiciet. *Audi inquiet Sacerdos, insensate, false, reprobe, dæmonum magister, miserrima creatura, Tentator hominum, deceptor malorum angelorum, fallax animarum, dux hæreticorum, Pater mendacii, fatue, bestialis, insipiens, ebriose, prædo infernalis, serpens iniquissime, lupe rapacissime, sus macra, famelica, immundissima, bestia scabiosa, bestia truculentissima, bestia crudelis, bestia cruenta, bestia omnium bestiarum bestialissima, spiritus Acherontine, spiritus fuliginose, spiritus Tartaree.* Apagesis Apollonii nugas; ipse dæmon hinc conviciari discat. Indomitus & percontumax Spiritus sit oportet, qui improperiis hisce non terreatur. Sine dubio istiusmodi κρίσιν βλασφημίας, uti non est ausus Sanctus Michael, Jud: 9. Statuæ etiam eversionem in dæmonis discessu imitantur novi hi magistri. At veró turpitèr heic infra Apollonium subsidunt. Vltra enim extinctionem candelæ aut fenestræ fractionem rarissime procedunt. Statuas dejicere non est cujuscúnque Sacrificuli. Artem autem hanc dæmonas exorcizandi à gentilibus acceperunt Judæi; ab utrísque Pontificii. ἤδη μέντοι οἱ ἐξ ὑμῶν ἐπορκισταὶ τῇ τέχνῃ ὥσπερ καὶ τὰ ἔθνη χρώμενοι ἐξορκίζουσι, καὶ θυμιάμασι, καὶ καταδέσμοις χρῶνται. Justin: Martyr: in Dial: cum Tryphone. *Exorcistæ certe vestri jam arte quadam veluti gentes in adjurationibus utuntur, & Thymiamata & vincula adhibent.*

Sed è diverticulo in viam redeundum est. Viguit per longam annorum seriem Cœli Solisque cultus, cum nondum hominibus sui similes in Dei Solium evehere in mentem venisset; nec impune inter ipsos Græcos blasphemiam tulit, qui Solem, πυρὸς ἄθροισμα μέγα esse dixit.

Liber Tertius. Cap. Septimum.

Seu de origine & progreſſu Idololatriæ.

Caput Quintum.

Seculo Seruchiano primordia Idololatriæ à veteribus aſſignata ſine ratione aut Autoritate. Euſebii Chron. Suidas interpolatus Serug à Familia Semi. Thara Pater Abraami an ſtatuarius. Epiphanii ſententia de origine Idol: & Tertulliani. Ars Pictoria, & Statuaria, in famulatu Idol: Pictoriæ Artis initia rudia. Secundum Plinium & Athenagoram ejus qui Authores. Inter σκιὰ & εἰκὼν diſcrimen: Heb. 10. 1. *Sol & Luna prima Idola; primus cultus Idol: ſimplex adoratio. Ejus progreſſus. Deum colere, naturale. Superſtitio omnis fluctuationum plena. Novorum Deorum abſentia. Eliæ Idololatrarum ob Idolorum abſentiam irriſio. Demetrio Poliorcetæ carmen Ithyphallicum ab Athenienſibus cantatum. Vituli Aaronici conficiendi occaſio. Corporum Cœleſtium influxus generales. Idololatrarum amentia & obduratio. Novi generis ſuperſtitionis occaſiones. Columnarum, ſtelarum, & ſimulachrorum origo. Teſtimonium Maimonidis. Et Plotini. Simulacrorum conficiendorum ratio; Aſtrologorum Idololatria Veteris & recentioris ἀστρονομίας ſtultitia.*

IDololatriæ primordia, veteres pænè omnes ætati Seruchi aſſignant. Serug natus eſt anno ſexageſimo & tertio poſt diſperſionem Babylonicam. Id temporis ſpatium, ab hoc ſcelere immune ſtatuunt; Nos ſtatim à diſperſione, maximam turbæ Apoſtaticæ partem, cultui unius veri Dei valedixiſſe, non dubitamus. Neque cur ſæculum Seruchianum ſpeciali modo ſceleri huic initium dediſſe crederetur, ratio ulla aſſignatur. Euſebium in Chron: plurimi ſequuntur; Is Seruchum ex tribu ſeu Familia Japheti fuiſſe aſſerit; cui Semus erat Tritavus. Euſebii verba bis in Suida recitantur, utróbique Serug ex familia Japheti fuiſſe dicitur; plurima enim in eo opere bis terve inſeruntur, quæ ſunt poſteriorum aſſumenta. Verùm quæ Serucho aſcribunt ad Helleniſmum pertinent: Illum enim fingunt primum mortuos religioſè colendi

colendi viam injisse, quam statuarum fabricatione, promovisse ajunt Tharam Abraami patrem. Epiphanius de Zerucho hoc; ἔτω ἦ ἐν ξοάνοις καὶ ἐν πρείαις λίθων ἢ ξύλων ἢ ἀργυροτεύκτων ἢ χρυσῶν ἢ ἐξ ἄλλων τινὸς ὕλης κατεσκευασμένων, μόνον δὲ διὰ χρωμάτων καὶ εἰκόνων ἡ τῶ ἀνθρώπου διάνοια ἀφ' ἑαυτῆς ηὕρισκε τὴν κακίαν. *Nondum ad simulachra calatosve lapides aut ligna aut argenteas statuas alteriusve materiæ superstitiosus iste cultus adhæserat; nec aliud præter colores atq; effigies erat, in quo hominum mens novum per se genus nequitiæ excogitavit. In Picturis & coloribus omnis tum constitit*, ut Tertullianus *Idololatriæ paratura*.

Artem Pictoriam & Statuariam initia sua posuisse in Idololatriæ famulatu, facile esset probare; illam, vero hanc, in ea opera antevertisse, non item. Admodum rudis per aliquot sæcula duravit Ars γραφικὴ, nec Diis repræsentandis idonea nisi prius ex materia aliqua solida fingerentur. Initium in σκιαγραφία habuisse docet Plinius; similitudine rudi effigiata ex umbræ hominis observatione. Ita Athenagoras in *Legat: pro Christian:* καὶ σκιαγραφίας μὲν ευρηθείσης ὑπὸ Σαυρίου, ἵππον ἐν ἡλίῳ περιγράψαντος. *Saurias invenit Picturam umbratilem, Equi umbra in Sole circumscripta.* At ipsum Solem, quem imprimis pæne solum pro Deo habuerunt in Umbra pingere admodum difficilè. Addit, γραφικῆς δὲ Κράτωνος ἐν πίνακι λελευκωμένῳ σκίας ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἐναλείψαντος. *Graphicen* (quæ scilicet lineis colores addidit) *Craton primus ostendit, qui in tabula dealbata viri & mulieris umbras delineavit.* Alii adjecerunt alia. Inde distinctio ista Apostoli ad Heb: cap. 10. ver. 1. σκιὰν γὰρ ἔχων ὁ νόμος τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων. Seruchi per filium Nachorem nepos erat Thara; illum artem figlinam & statuariam exercuisse, atque imagines fabricasse finxerunt Judæi, crediderunt veterum Christianorum plurimi.

Secuta est ideo εἰκονοποιΐα Thariana Idololatriam Seruchianam annos circiter, 80. aut 100. Atque hic primus Idololatriæ progressus communiter assignatur. Nos rationes alias in primordiorum cultus superstitiosi investigatione inivimus; Quo cæpimus iter porro pergemus.

אלהים חדשים uti loquitur Spiritus Sanctus, Judic. 5. 8. seu novi Dei, quos sibi primæ comparauerunt Apostatæ Babylone dispersi, Sol erant & Luna, quod ostendimus, aliaque cælestia corpora. Eis quasi peregrinationum ducibus usi sunt. Cultum primum constituit simplex Adoratio. In alia Erroris germina, & teterrimos superstitionis ritus, sensim prolapsum est humanum genus. Id prout res atque tempus ferent paucis exponemus.

Ut Deus aliquis habeatur, & colatur, efflagitat ea Ratio quà homines sumus. Indè veri oblitos, donec asciscant falsos, exagitant conscientiæ stimuli. Ita ad Solem Lunam & sydera cœlestia à primis Apostatis itum est. Placuit ad tempus rei novitas, atque Deorum nomen. In novas autem rerum salebras, Charissimorum discrimine coactos, nova solicitudine & molestia affecerunt conscientiæ stimuli & horrores. Vera enim animi tranquillitate frui, ubi superstitione pravâ Bellum Deo vero indicitur, nemo potest. Primo ideo non satis præsentia videbantur ista numina; Nam nisi præsens sit Deus, pro numine habendus non est. Eodem naturæ instinctu quo Deum esse, & præsentem esse, persuasione imbuti sumus. Neque periculis propulsandis, qui maximus inter homines res terrenas solum sapientes, Numinis usus, sufficere potest, qui omni periculo præsentior non est, ideoque neque Deus esse. Inde Izraelitis Baaliticis Idoli absentiam exprobrat Elias. 1 Reg. cap. 18. ver. 27. *Clamate voce magna, quandoquidem Deus est, nam colloquium aut insectatio est ei, aut iter facit, fortassis dormit.* Omnem naturam divinam, omnia Attributa Deo convenientia, severa εἰρωνεία Idolo adimit, adeoque eripit ei omnem potestatem, & ab imperio divino summovet:

Atque ista consideratio omnes Idololatras ita semper suspensos tenuit, & sollicitos, ut quamvis timori & fluctuationi sacris columnis & simulachris mederi tentaverint, uti statim videbimus, tamen fieri non potuit, quin incertitudo illa mentis qua agitabantur, aliquoties erumperet, & se proderet. Inde erat quod populus Atheniensis Demetrium Poliorcetem, Vrbis liberatorem, divinis honoribus accipientes, Carmini Ithyphallico, seu Hymno sacro ei Mœnia ingredienti cantato, hæc inter alia inseruerint.

Ὦ τοῦ κρατίστου παῖ Ποσειδῶνος θεοῦ
Καὶ θεᾶς Ἀφροδίτης.
Ἄλλοι μὲν ἢ μακρὰν γὰρ ἀπέχουσιν θεοὶ
Ἢ οὐκ ἔχουσιν ὦτα.
Ἢ οὐκ εἰσὶν, ἢ οὐ προσέχουσιν ἡμῖν οὐδὲ ἕν.
Σὲ δὲ παρόνθ' ὁρῶμεν
Οὐ ξύλινον, οὐδὲ λίθινον, ἀλλ' ἀληθινόν.

Salve ô Neptuni Dei potentissimi, & Veneris fili: Alii profecto dii vel procul absunt, vel auribus carent, vel nulli sunt, aut rebus nostris curandis animum non advertunt, te vero nos præsentem cernimus, non lapideum,

deum, aut ligneum ſed verum numen. Refert, ex Duride Samio, Athenæus Deipnoſ: lib. 6.

Ob hanc cauſam Iſraelitæ in Deſerto Aaronem ad Vitulum aureum conflandum adegerunt, Exod. cap. 32. ver. 1. *Abeſt*, inquiunt, *hic Moſes, ſurge ergo tu & fac nobis Deos qui nos præcedant.* Non dicunt alios Deos, neque abſolute Deos, *ſed Deos qui nos præcedant*; & auxilio ſuo nobis adſint. Non enim alium Deum à Jehova efflagitarunt, ſed præſentiæ divinæ ad quod in rebus dubiis & arduis confugerent, ſignum aliquod viſibile. Atque iſtiuſmodi ſigna populo iſti carnali poſtea ſunt à Deo indulta; ab ipſo ſolum tamen inſtituta. Hocque initium fuit prævaricationis fatalis iſti populo. Unde in proverbium abiit אין לך ישראל פורענות שאין בה אוקיא מעון העגל; *non accidit tibi ô Iꝫrael ultio aliqua, cui non ſit uncia de iniquitate vituli.* Frivolum eſt & ἰνδαικώτατον quod Rabbinorum nonnulli, ex verbis iſtis Aaronis, *aurum in ignem conjeci, & prodiit hic vitulus*, quaſi ex improviſo & ſibi nihil tali cogitanti exſiliiſſet, peccatum formationis vituli in colluviem Ægyptorum, inter quos magi nonnulli fuere, quorum arte factum eſt, ut præter omnium expectationem vitulus prodiret, transferre conantur.

Hæc igitur primis Idololatris poſtquam Cœli ſydera numinis loco habenda duxerunt, novæ ſuperſtitionis occaſio extitit. Vt omne mendacium aliorum plenum eſt & fæcundum, ita maximorum maximum. Neque error ullus eſt, qui errantibus aut non plurimorum illecebras ſuggerat, aut neceſſitatem invehat. Abſentia fuere iſta numina. At in periculis, in rebus dubiis & arduis conſtitutis, Deo præſente opus erat. In anguſtias haſce conjectis, ex rectæ Rationis dictamine revertendum erat ad Deum ubique præſentem. *Sed non viſum eſt eis Deum illum verum in notitia retinere*, uti loquitur Apoſtolus; ad Rom. cap. 1. v. 28. ideóque tradidit eos Deus in mentem omnis judicii expertem. Ea mente præditis aliquid faciendum erat, quo Deos quos elegerant, ſibi præſentes ſiſterent.

Deindè cum Effectus operationum corporum cœleſtium, communes eſſent & omnibus æquales, admodum intellectu erat difficile, quo quiſque modo pèculiari eorum beneficiorum quæ ex iis emanare crederent, participem ſe redderet. Nam qui ita omnium Deus eſt, ut etiam ſingulorum curam non gerat, neque ulli aliter benefacit, quàm cùm univerſis quidquam largitur, revera nulli Deus eſt. Qui Deus meus non eſt; is mihi Deus non eſt. Atque hinc etiam ſe in difficultates incredibiles præcipitatos eſſe intelligerent facillimè. Sed jacta erat alea;

&

& quo cœperant, erat porro pergendum. Κοινῆς itaque ἐννοίας, & Naturæ ipsi vis inferenda erat. Non minori constitit abs unius Dei imperio & regimine, humani generis defectio. Novis Diis sensibilibus constitutis, reclamavit rationis rectæ quod erat reliquum, *præsentes non esse, singulorum curam non gerere, ideoque* neque Deos, aut colendos. Malis nodis, malus cuneus adhibitus; & mendacia mendaciis tecta, ne perplueret. Duplici enim huic defectui ex primo & maximo Idololatriæ peccato oriundo, ut occurrerent, ope Sathanæ novas vias inierunt Idololatræ, quibus absentia Numina, præsentia exhiberent, & influxus eorum beneficos contraherent, & in præsens aliquod objectum singulis expositum includerent. Atque hæc erat sacrarum columnarum, stelarum, statuarum & simulachrorum origo; quam deinceps exponemus.

Duo fuerunt, uti diximus, incommoda quibus se in novorum Deorum electione premi senserunt Idololatræ; primum quod absentes & procul distantes essent; quod singulorum curam non gererent alterum. Hisce columnarum & stelarum erectione mederi voluerunt. Etenim ex istarum ad solem, Lunam, Astráque relatione, vel incantationibus diabolicis inducta, vel dedicationis vi imposita, ipsa sydera præsentia sisti per Spiritum quendam Æthereum, & influxus salutares, ex eis, votis & precibus à quovis elici potuisse existimaverunt. Ita nos docet ex antiquis Zabaistarũ monumentis, Rambam in More Nebuch: par: 3. cap. 29. *Secundũ, inquit, sententias illas Zabiorũ erexerunt Stellis imagines & soli quidem imagines aureas, Lunæ vero argenteas, atq; ita metalla & climata terræ inter stellas partiti sunt. Dixerunt enim climatis, N. Deum & stellam N. Deinde Sacella ædificaverunt, imaginesque in illis collocarunt, arbitrantes vires stellarum influere in illas imagines, easq; intelligendi virtutem habere, hominibus Prophetiæ donum largiri, & denique quæ ipsis utilia & salutaria sunt indicare; ita dicunt de arboribus quæ sunt ex partione stellarum illarum, cum arbor quædam stellæ alicui dedicatur, nomine ejus plantatur, & hoc vel illo pacto colitur, quod virtutes spirituales stellæ in arborem illam infundantur.*

Totum mysterium pandit Plotinus Enead: 4. lib. 3. cap. 11. Καί μοι δοκοῦσιν (inquit) οἱ πάλαι σοφοὶ ὅσοι ἐβουλήθησαν θεοὺς αὐτοῖς παρεῖναι, ἱερὰ καὶ ἀγάλματα ποιησάμενοι εἰς τὴν τοῦ παντὸς φύσιν ἀπιδόντες ἐν νῷ λαβεῖν, ὡς πανταχοῦ μὲν εὐάγωγον ψυχῆς φύσις· δέξασθαί γε μὴν ῥᾷστον ἂν εἴη ἁπάντων, εἴ τις προσπαθὲς τεκτήναιτο δυνάμενον μοῖράν τινα αὐτῆς. *Atqui mihi videntur veteres sapientes quicunque optabant sibi adesse Deos* (quos scilicet propriis oculis longe à se dissitos esse viderent) *Sacra statuasque*

tuasque fabricantes in ipsam universi naturam mentis aciem direxisse; atque inde animadvertisse naturam animæ ubique ductu facilem admodum pronamque esse omniumque facillimè posse capi si quis fabricaverit aliquid quod facile ab ipsa pati possit, patiendoque portionem aliquam ab ipsa sortiri. Hoc est quod docuimus; nempe sperasse Idololatras, Plotinianos istos sapientes, se vim seu virtutem animæ Cœli syderumque capere, atque in stelas seu statuas includere, ita ut ipsis semper præsens adesset. Vt doceat vero hæc fieri potuisse addit; εὐπαθὲς δὲ τὸ ὁπωσοῦν μιμηθὲν ὥσπερ κάτοπτρον ἁρπάσαι εἶδός τι δυνάμενον: *facile patiens est quod qualicunque modo imitationi aptum est; velut, speculum speciem quandam erripere potens*: hoc est; ubi ἄγαλμα seu simulachrum virtuti cœlesti erigitur, in istud descendere illa prona est quo imaginationi respondeat illius fabricatoris; ἄγαλμα autem statim eam arripit, non aliter quam speculum speciem corporis sibi adpositum: καὶ γὰρ inquit, ἡ τοῦ παντὸς φύσις πάντα εὐμηχάνως πεποίηκεν εἰς μίμησιν ὧν εἶχε τοὺς λόγους· *Etenim universi natura omnia admirabili quodam artificio fabricat ad illorum imitationem quorum in se possidet rationes.* h: e: Nihil est inter hæc inferiora, quod non fabricatum sit ad instar virtutis alicujus quæ in mente universi prius extitit; quæ est Platonicorum doctrina de Ideis: sequitur apud Philosophum; ἐπειδὴ ἕκαστον οὕτως ἐγένετο ἐν ὕλῃ λόγος ὢν κατὰ τὸ πρὸ ὕλης διαμεμορφωμένος, συνῆπτο τῷ θεῷ ἐκείνῳ καθ' ὃν ἐγένετο, καὶ εἰς ὃν εἶδεν ἡ ψυχὴ καὶ εἶχε ποιοῦσα. *Cum ideo sic unumquodque fiat, certè ratio in materia quæ secundum rationem materia superiorem formata est, conjuncta est illi Deo secundum quem facta fuit, & in quem suspexit anima, habuitque, dum faceret.* Quæ verba totum mysterium absolvunt. Datur quædam materiæ in simulachrum conflatæ ratio, quæ exactè respondet rationi illi cœlesti quæ ante materiam istam extitit; hincque oritur inter simulachrum & illud ipsum cui consecratur Relatio. At vero cur simulachrum hoc, seu hæc pars materiæ hunc Deum seu hanc portionem vis cœlestis sibi adjunctam habeat potius quam aliam quamcunque, nondum constat. Id vero ob rationem duplicem fieri ostendit. Primò quia secundum Deum illum, fabricatum est: συνῆπτο τῷ θεῷ ἐκείνῳ καθ' ὃν ἐγένετο. At quomodo scire potuit simulachri fictor, secundum cujus Dei vim emanavit ista materia à se ita formata? id à sua ipsius anima perspectum habere potest; in quem enim anima suspexit cum ἄγαλμα fecerit is est secundum quem fabricatur. An autem meliores rationes cur hæc vel illa imago hunc vel illum Sanctum potius quàm alium quemvis referret, hodiernæ Iconolatræ reddere possint, equidem vehementer dubito.

Cæterùm,

Cæterùm, ut id obiter addam, delirium hoc Idololatricum apud plurimos qui artem nefandam ſub nomine Aſtrologiæ judiciariæ venditant, adhùc palam hæret. Figuras enim & imagines conficiunt, quas formæ cœleſtium corporum reſpondere fingunt; inde eas virtutem miroſque effectus acquirere à figura Cœleſti ſtolidis perſuadent. Habent & ſtatuas & imagines, in quibus ſyderum ſpiritus includi dicunt: Iſti autem Spiritus utrum corporum cœleſtium vires ſint, an dæmones ſtellarum pediſſequi, neſciunt. Sed craſſam Idololatriam hæc omnia ſapiunt, quamvis non puduit Albertum Magnum in ſpeculo, Marſilium Ficinum de vitâ cœleſti comparanda, Hieronymum Cardanum, alióſque, abſurdiſſima hæc ethnicorum hominum portenta, orbi Chriſtiano, ſine veritate aut modeſtia obtrudere. In hiſce autem conſiſtit omnis magiæ ratio; à quo crimine icuncularum apud Pontificios, quas *agnos Dei* vocant, *cereorum, aquæ luſtralis*, aliarumquer erum,conſecrationem,neutiquam liberare poſſum.

Lib: Tertius, Cap: Octavum.

Seu De Origine & Progreſſu Idololatriæ.

Caput Sextum.

Idololatriæ progreſſus. Primi cultus ſuperſtitioſi objecta viſibilia. κίονες πυραμοειδεῖς· λίθοι ἀργοί. Βαιτύλια. מצבה. στῆλαι· ἀγάλματα *quid. Clementis Teſtimonium. Phoronidis. Eumeli. Stelarum origo ex Clemente. Verior ſententia. Lapis columnaris in Agro Colceſtrenſi.* λίθοι ἀργοί. *Pauſaniæ, Maximi Tyrii, Suidæ Teſtimonia.* Θυσδενς. *Stonehenge. Agabalus; Idæa mater. Perſæ* ἀγάλματα *deſtruunt; & irrident. Dianæ Epheſinæ ſimulachrum. Germanorum Idola; luci imaginibus vacui: robora. Antiquiſſima templa ſine ſimulacris. Nulla antiquitus* ἀγάλματα; *lapides rudes & quadrangulares.* Βαιτύλια. *Lapides Sacri. Sanchuniathonis Teſtimonium. Lapides vivos Uranum excogitaſſe fingit. Pleráque quæ ex eo promit Euſebius ridicula. Finxerunt veteres lapides* ἐμψύχους. Βαίτυλος *apud Heſychium* βαίτυλον ἂν καταπίνοις, *proverbium unde natum.* Βαίτυλα *apud Da-*

Damascium Photii. θεανδρία *quid. Lapides Uncti, apud Clementem & Arnobium.* Βαίτυλα *unde dicta. Scaligeri conjectura. Erectio lapidis in Bethele Jacobaa.* מצבה *quid significat. Jacobi factum quale. Et cui fini.* מצבה *cur Titulum reddit vulgatus interpres. Deorum* ἐπιφάνειαι. *Dyony: Halicar: Cicero: festum Christianorum. Lapis Bethulicus cultus inter Phœnices. Idololatriæ progressus. Statuæ in effigiem oris humani Soli dicatæ, alia plura.*

EIs quæ de Progressu Idololatriæ in præsentium objectorum cultus religiosi inventione diximus, fidem facit quæ ex rerum monumentis primorum visibilium σεβασμάτων memoria superest. Illa antiquitus duum generum fuere; κίονες scilicet πυραμοειδεῖς, *Columnæ acuminatæ*, & λίθοι ἀργοί, *rudes lapides* & *informes*, quibus βαιτύλια addi possunt. Non nisi longo post, temporum decursu, simulachra ad formam humanam effigiata erant, cum scilicet mortuorum cultus per Hellenismum introductus esset.

Columnas Sacras στήλας vocant Græci. Ita מצבה reddunt LXX. prohibentur Levit: cap. 26. v. 1. Deut. cap. 16. v. 22. מצבה inquit Kimchi, *lapis est qui ad adorandum erigitur*, est à יצב *statuit*. Ita Απόλλων Αγυιεὺς, Pyramis erat, teste Hesychio, seu κίων εἰς ὀξὺ λήγων.

De hisce Clemens Alexandrinus, Lib. 1. πρὶν γὰρ ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ. Ἀφίδρυμα istiusmodi est simulachrum, quod quasi numinis *sedes* est. Id est quod diximus; cum ἀγάλματα nondum accuratè effigiarentur, columnas stiterunt quæ numinum absentium virtutem reciperent, & ita fierent quasi Deorum sedes. Ἄγαλμα autem est imago artificiosè fabricata; πᾶν ἐφ' ᾧ τις ἀγάλλεται, inquit Suidas; hoc est, quod ita oculos pascat, ut mentem lætitia quadam afficiat.

Huc spectant quæ ex Phoronidis autore, de Callithoe prima Junonis Sacerdote refert idem Clemens.

Καλλιθόη κλειδοῦχος ὀλυμπιάδος βασιλείης
Ἥρης Ἀργείης, ἣν στέμμασι καὶ θυσάνοισι
Πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.

Kallithoe janitrix Jononis Argivæ, quam primam infulis & vittis ornaverunt, circa reginæ columnam. μακρὸν vocat Poeta quia in longitudinem

 erecta

erecta erat στήλη; aliter quam λίθοι ἀργοί. Ita κίων apud Homerum aliquando μακρὸς, aliquando ὑψηλὸς dicitur.

Similia etiam ex Eumelo profert; scil:

Ὄφρα θεῷ δεκάτην ἀκροθίνια τε κρεμάσαιμι
Σταθμῶν ἐκ ζαθέων, καὶ κίονος ὑψηλοῖο.

Quamvis forsan nihil aliud voluerit Eumelius quam ἀκροθίνια & spolia ex antis & columnis suspendi solita; quod notissimum.

Dæmones autem hæc invenisse scribit Clemens ad imitationem columnæ istius quæ Israelitas in deserto præibat. Alii viderint; Ego non dubito quin eo ipso tempore quo erectum est Tabernaculum, istiusmodi columnæ & στῆλαι in communi usu apud multas gentes fuerint. Inde forsan prodierunt Dii Anthelii, ostiorum præsides; columellæ ad fores Templorum, aliarumque domuum. Hesychius, Ἀνθήλιοι θεοὶ οἱ πρὸ τῶν θυρῶν ἱδρυμένοι. Athenæus, Lib. 10. ἐπὶ τῆς αὐλῆς; hoc est in primo domus aditu sub Dio. Nondum hominibus in mentem venerat ἀγαλματοποιΐα, aut εἰκονοποιΐα, cum primum columnas & στῆλας Religionis causa posuerunt. Cum enim Sydera Cœlestia tantum numinum loco habuerunt, cur eis simulachra formâ humanâ ficta & fabricata erigerent causa nulla erat. Id quidem invalescente superstitione, cum idem scilicet Sol esset, & nescio quis Apollo, factum; sed cum nihil aliud in animis habuerint Idololatræ, quàm numina absentia visibili aliquo signo præsentia sistere, cujuscunq; animalis in eo signo repræsentatione, nihil iis opus erat. Istiusmodi columnam in Agro Colcestrensi Trinobantum memini me videre; cui sequentia sæcula imaginem crucis imposuerunt, atque in usum novæ superstitionis consecrarunt denuo.

Deinde cum columnis istis acuminatis, in eundem finem usi sunt saxis rudibus. Ita Pausanias in Achaicis: ἑστήκασι δὲ (inquit) ἐγγύτατα τοῦ ἀγάλματος τετράγωνοι λίθοι τριάκοντα μάλιστα ἀριθμόν· τούτους σέβουσιν οἱ Φαρεῖς, ἑκάστῳ θεοῦ τινος ὄνομα ἐπιλέγοντες· τὰ δὲ ἔτι παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι. Illustre Testimonium. *Prope simulachrum lapides ferè triginta erecti sunt, quadrangula figura; singulos certis Deorum nominibus appellantes Pharenses venerantur; & sane Græcis patrium fuit, rudes lapides pro Diis simulachrorum loco colere.* Istiusmodi lapidum meminit in *Bœoticis*. Hoc, inquam, moris erat Græcis istis antiquissimis, quos ex Platone docuimus, Solem, Lunam, & Cœli sydera alia, eâque sola coluisse. Et Maximus

Tyrius

Tyrius de Arabibus, Con: 38. Ἀράβιοι μὲν σέβουσι ὅντινα οὐκ οἶδα· τὸ δὲ ἄγαλμα ὃ εἶδον λίθος ἦν τετράγωνος. Dei ignoti *Signum erat lapis quadrangularis.* Sed Deus is Θευσάρης vocabatur; τουτέστι, inquit Suidas, θεὸς ἄρης, Deus Mars; qui in expositione nominis sine dubio errat; addit vero, quisquis fuit ille Deorum, τὸ ἄγαλμα, λίθος ἐστὶ μέλας τετράγωνος, ἀτύπωτος, ὕψος ποδῶν δ΄. εὖρος δύο. ἀνάκειται δὲ ἐπὶ βάσεως χρυσηλάτου. τούτῳ θύουσι, καὶ τὸ αἷμα τῶν ἱερείων προχέουσι· καὶ τοῦτο ἐστὶν αὐτοῖς ἡ σπονδή. *Simulachrum est lapis niger, quadratus, nullam figuram incisam habens, seu rudis, altitudine pedum 4. latitudine 2. innititur basi aurea: huic immolant & victimarum sanguinem profundunt, atque hac est ipsorum libatio.*

Ejus generis forsan lapides fuere heic in Anglia in Agro Sarisburiensi; Saxa sunt ingentia, & rudia, λίθοι ἀργοὶ ut loquitur Pausanias. Jonesius Architectus peritissimus, Libello peculiari ea sacra fuisse probat. Lunam sub Andrastes nomine antiquos Britannos coluisse, Author est Dio Cass: Histor: lib: 62. Soli, autem & Lunæ, istiusmodi lapides erecti fuerunt.

Lapides hosce, atque columnas, Syderum cultores erexisse ut in eis præsto haberent numinum quæ coluerant tutandi & benefaciendi vim & ἐνιδρύσεων, antea ostendimus. Id per Ætherei Spiritus lapsum fieri potuisse credebant. Tandem ipsi lapides, Dei aut divi nuncupabantur. Lampridius in vita Heliogabali. *Lapides, qui Divi dicuntur, ex proprio Templo Dianæ Laodiceæ, simulachrum ex adyto suo, in quo id Orestes posuerat, auferre voluit.* Non nisi istiusmodi λίθους ἀργοὺς Soli Lunæque consecratos intelligit Historicus; qui temporis decursu Deorum nomine censebantur. Inde mos jurandi *Jovem lapidem.* Et de Idolo Agabalo unde nomen suum mutuatus est hominis monstrum Pseudo-Antonius, Herodianus, λίθος τίς ἐστι μέγιστος, κάτωθεν περιφερής, λήγων εἰς ὀξύτατα. *Lapis maximus, basi circulari, in conum desinens.* Etiam עגלי בעל est dominus rotundus; quo nomine solem ipsum denotabant; nisi potius Sol אלה גבל Syriacè, hoc est Deus Gabalitarum dictus sit, nomine à loco cultus desumpto; ut Baal Peor.

Idæa mater quam tanta Religione Pessinunte Romam advectam tota civitas in Æde victoriæ collocavit, istiusmodi lapis erat teste Livio, lib. 29.

Priscis itaque temporibus apud multas Gentes, ἀγάλματα in nullo usu fuere, neque cognita, quibusdam etiam odio habita. De Persis in Κλειοῖ Herodotus. ἀγάλματα μὲν καὶ νηοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένοις ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιεῦσι μωρίαν ἐπιφέρουσι· ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖν ὅτι οὐκ ἀν-

ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς κατάπερ οἱ Ἕλληνες εἶναι. *Neque simulachra, neque Templa, neque aras extruere consuetudo est ; quinimo hoc facientibus insaniæ tribuere, ob id, ut mea fert opinio, quod non quemadmodum Græci, sentiunt Deos ex hominibus esse ortos.* Illustre Testimonium ; Persas Solem & Lunam cultu religioso prosequutos esse, superius ostendimus. Ei superstitioni à primis Idololatris acceptæ adhærentes, numina quæ invexit Hellenismus nunquam admiserunt, atque ob eam causam ἀγάλματα nulla habuerunt. Inde Xerxem in expeditione Europæa ἀγάλματα εἰκότως καθαιρεῖν *simulachra ex disciplinæ instituto sustulisse,* narrant qui Magorum Historiam scripserunt, apud Diogenem Laertium in operis Proæmio. Imo non tantum istiusmodi simulacra sustulerunt, sed & irriserunt suavitèr. Cum enim Cambyses Templum Vulcani Memphiticum ingressus esset, πολλὰ τῷ ἀγάλματι κατεγέλασε, Lib. 3. *Simulachrum multo risu excepit* ; & in Cabirorum fano ; τὰ ἀγάλματα ἐνέπρησε, πολλὰ κατασκώψας, *Simulachra concremavit, multis in ea jocatus.* Cremavit more patrio, quia hominum Simulacra, risit quia ridiculè fabricata. Eam ob causam etiam omnia Templa Asiatica igni dedit, teste Solino, Dianæ Ephesinæ solo excepto; cujus simulachrum erat Truncus acutus ulmeus, vel fagineus ; Ita nos docet Callimachus ; ὕμν. εἰς Ἄρτεμιν.

> Σοὶ καὶ Ἀμαζονίδες πολέμου ἐπιθυμήτειραι
> Ἔν κοτε παρραλίῃ Ἐφέσου βρέτας ἱδρύσαντο
> Φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ.

Cæterùm nullas statuas Persas habuisse, non dicit Historiæ Pater. ἀγάλματα non habuerunt, quia non crederent Deos esse ἀνθρωποφυέας. Columnas autem & Stelas eos omnes repudiasse, non dicit, neque verum est.

Idem refert de Germanis Tacitus ; de Mor: Germ: *Cæterum nec cohibere parietibus Deos ; neque in ullam humani oris speciem assimulare, ex magnitudine Cœlestium arbitrantur ; Lucos & nemora consecrant, Deorum nominibus appellant Secretum illud quod sola Reverentia vident,* At Paulò ante dixerat, *Deum adesse bellantibus credunt, effigiesque & signa quædam detracta Lucis in Prælium ferunt,* Non omni ideo effigie aut signis, sed istiusmodi tantum quæ in ullam humani oris speciem formantur, Luci vacui erant.

Forsan etiam lapidum loco & columnarum quas Orientales erexerunt, Germanis in usu fuere robora viva, vel antiqui roborum trunci. Sydera enim

enim Cœlestia in Arboribus etiam adorata fuisse, ex Maimonide ostendimus. Inde Claud: de Laud: Stilicon:

Ut procul Hercynia per vasta silentia sylva
Venari tuto liceat, lucosque vetusta
Relligione truces, & robora numinis instar
Barbarici.

Etiam——*habita Graiis oracula quercus.* Virgil: Georg: 2.

Et Galli apud Lucanum.

—simulachraq; mæsta Deorum
Arte carent, cæsisque extant informia truncis,
Ipse situs, putrique facit jam robore pallor
Attonitos:

Docet etiam Maximus Tyrius Celtas, id est Gallos, Jovem colere cujus signum altissima Quercus. Procopius etiam Cæsariensis Histor: Goth: lib. 4. affirmat, Asbasgos populum à Mare Pontico ad Caucasi radices projectum, *usque ad sua tempora*, hoc est Imperatoris Justiniani, *nemora & lucos superstitione veneratos esse, Arboresque barbara simplicitate Deos credidisse.* Similiter etiam Hunni primi Gothorum è sedibus antiquis Scythicis expulsores; quos Jornandes de Reb: Get. Cap. 24. mira credulitate abreptus, refert è mulieribus maleficis, quas Aliorumas vocabant, spiritus immundos procreasse; horum autem reliquiæ in Lithuania arbores ad sera tempora coluisse, donec eos exciderit sua manu Rex Jagellus, narrant Historici.

Gadibus etiam Templum antiquissimum Herculi dicatum fuisse narrat Philostratus. In eo ἀγάλματα nulla, sed βωμὺς ἀσήμυς tantum fuisse dicit. στήλας vero ejus loci incolas ignotis literis inscriptas habuisse ostendit; eas autem quadrangulares fuisse veluti incudes. Vita Apollon: lib. 5. cap. 1. De eodem etiam Templo Silius Italicus.

Sed nulla effigies simulacrave nota Deorum.

In Hercule autem, Apollinem seu Solem veneratos esse Tyrios, à quibus Gaditani, Curtius Narrat: Lib. 4. Cap. 1. Adeo verum est quod ait Themistius, Orat. 15. καὶ πρὸ μὲν Δαιδάλου τετράγωνος ἦν, οὐ μόνον ἡ τῶν Ἑρμῶν ἐργασία, ἀλλὰ καὶ ἡ τῶν λοιπῶν ἀνδριάντων· Δαίδαλος δὲ ἐπειδὴ πρῶτος διῆρε τὼ πόδε τῶν ἀγαλμάτων ἔμπνοα δημιουργεῖν ἐνομίσθη. *Etenim ante Dedalum, non modo Mercurii rudi informique mole, sed reliqua etiam simulacra fingebantur: ubi vero Dedalus simulacrorum pedes distinxit, viva ac spirantia fabricare creditus est.* De quibus postea.

Ad λίθους hos ἀργὺς pertinent Βαιτύλια. Eorum primus meminit apud Eusebium Sanchuniathon, in Phænicum Theologia. ἔτι δὲ, inquit,

quit, Θεὸς Οὐρανὸς βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος. *Præterea Cœlus seu Uranus Deus, bætulia excogitavit, animatos lapides, arte molitus.* Sanchuniathonem non אבנים נפשים seu *lapides vivos*, sed אבנים נשפים (פ & ש transpositis) hoc est uti ait, *lapides unctos* scripsisse vir doctissimus arbitratur. Ridiculum enim est inquit fingere Cœlum *lapides animatos* fecisse. Et est verè ridiculum; tamen haud inde constat Sanchuniathonem non ita scripsisse, cum ex horrenda confusione partim, partim ex portentissimarum nugarum mistura, omnia quæ eò loci ex Sanchuniathone promit Eusebius, sint prorsus absurda & ridicula; neque in alium finem ab eo memorantur, quàm ut pateret quàm absurda essent, & ab omni Theologia, imo & ratione abhorrentia. Deinde Uranus lapides istos excogitavit, ut sibi præsto essent & auxilio in belloquod pro regno recuperando moliebatur adversus Saturnum; quo ei opus erat lapidibus *vivis*, potius quam *unctis*. Etiam notissimum est veteres non minus finxisse istiusmodi lapides ἐμψύχους, quam simulacra Dædalea αὐτοκίνητα.

Hesychius aliò vocabulum trahit. Βαίτυλος· οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ Κρόνῳ ἀντὶ Διός. *Sic vocatur lapis qui Saturno loco Jovis datus est.* Notissima fabula. Unde proverbium; καὶ βαίτυλον ἂν καταπίοις; *etiam Batylum deglutires*; quod ex hoc loco Hesychii explicat in Adagiis Erasmus; *Batylus*, inquit, *dicitur illud Saxum fasciis obvinctum, quod pro Jove devoravit Saturnus.*

Certum autem est, alios fuisse lapides sacris usibus destinatos Βαιτύλια dictos, eum præter qui loco Iovis Saturno datus. Eorum meminit Author vitæ Isodori Philosophi, apud Photium, quem Damascium fuisse scribit Suidas; Cod: 242. Hic se vidisse ait, τὸν βαίτυλον διὰ τοῦ ἀέρος κινούμενον, ποτὲ δ' ἐν τοῖς ἱματίοις κρυπτόμενον, ἤδη δὲ ποτὲ καὶ ἐν χερσὶ βασταζόμενον τοῦ θεραπεύοντος, ὄνομα δ' ἦν τῷ θεραπεύοντι τὸν βαίτυλον Εὐσέβιος: *Bætulum in aere motum vestibus interdum tectum, aliquando etiam manibus medici portatum. Nomen medici qui Bætulum gestabat erat Eusebius.* Ita verba illa absurdè admodum interpretatur Andreas Scottus vir alioquin doctus. Quid enim *Medico* cum Batulo. Pueri norunt quid sit θεραπεύειν τοὺς θεοὺς. & ἡ περὶ τοὺς θεοὺς θεραπεία. Eusebius iste planus erat, qui Sacris famulatus est Bætulo; quem aliquoties manibus portavit, quandoque eum in Aere sese motasse finxit. ὄνομα δ' ἦν τῷ θεραπεύοντι τὸν βαίτυλον Εὐσέβιος. Nomen ejus qui in Sacris Bætulo famulatus est, erat Eusebius. Iulius Pollux Onomastic: Lib. I. περὶ ἐργασίας; ὀνόματα τῶν θεοὺς θεραπευόντων, τῶν θεῶν, θεραπευταὶ, ἱερεῖς, νεωκόροι; Docet præterea ipse Damascius, quomodo Eusebius iste Bætulum religiosè

coluerit,

coluerit, atque oracula ex eo elicuerit. Atque hic ex lapidibus istis ἐμψύχοις erat; quem motum & quasi animatum à Dæmone non pessimo, asseruit Isidorus. ἦν γάρ τινα δαίμονα, τὸ κινοῦντα αὐτὸν, ὅτι τῶν βλαβερῶν, ὅτι τῶν ἄγαν φρουρῶν. Temporis enim decursu ubicunque istiusmodi Idolum erectum erat, dæmones illico illud occupasse postea ostendemus. Alios etiam lapides Soli dicatos, quos ἡλιοδίαιτα vocat, paulo post memorat Damascius.

Fatendum autem est veteres Idololatras lapides hosce inungere solitos fuisse ita ut non minus *uncti* quam *vivi* dici potuerint. Clemens Stromat. 7. πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον λιπαρὸν προσκυνοῦντες. Et Arnobius de seipso cum adhuc esset Gentilis; *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ordinatum, tanquam inesset vis præsens adulabar.*

Primus quod sciam admirabilis vir Iosephus Scaliger lapides hosce, Βαιτύλια dictos fuisse à lapide quem Iacobus erexit in Bethele, seu à Bethele, quomodo locus in quo eum erexit abs eo tempore vocatus est, acutissimè conjecit, inde totam rudium lapidum in usus superstitiosos erectionem ἐκ κακοζηλίας Sathanæ prodiisse alii arbitrantur. Iacobi factum, Gen. cap. 28. v. 18. memoratur. Tulit lapidem quem posuit cervicale suum, & posuit eum מצבה in *Titulum*, Vulgatus interpres; στήλην Græci. A יצב statuit, est מצבה statua, ut ante diximus. Idem vocabulum quod in Idololatriæ prohibitione usurpatur; Levit. cap. 20. v. 1. Deut. cap. 7. v. 5. Cap. 12. v. 3.

Lapidem rudem, in agro casu repertum, in hunc modum erectum oleo unxit; & primus mortalium præcisis verbis conceptum votum solenne Deo nuncupavit. Lapidem inter alia istum sibi in posterum domum Dei fore promittit, v. 22. seu cultum Dei solenniter se eo locitum peracturum, cum ad manum essent, quæ Deo offerat, quorum omnium jam erat egenus. Postea à Deo admonitus fidem liberavit, cap. 35. v. 6, 7.

Iacobus autem rectene an secus fecerit statuam erigendo, quærunt interpretes. Duo respondet Abulensis. Primo hoc licitum fuisse ante legem, postea prohibitum. Deinde Iacobum *Titulum* hunc erexisse ad rei memoriam, non ut eum adoraret. In ejus sententia plurimi alii acquiescunt. Erat sine dubio ante legem latam, Viris Piis licitum, quocunque in loco altaria erigere, atque in eis sacrificia offerre. Iacobum autem hunc Lapidem erexisse in memoriam visionis Angelicæ ibi loci ei indultæ, neque adhibuisse in cultum religiosum, ex eo constat, quod

quod longo post tempore voti à Deo admonitus, ibidem altare struxerit cap. 35. v. 7.

מצבה autem *Titulum* reddit Interpres Latinus à more solito sacris istiusmodi saxis Titulos inscribendi, cui Deo dicarentur indicantes. Ita Damascius. καὶ γράμματα ἀνέδειξεν ἡμῖν τοῦ λίθου γεγραμμένα χρώματι τοῦ καλουμένου τιγγαβαρίνου κατακεχρωμένα. *Ostendit etiam nobis literas in lapide, Bætulio scilicet descriptas, colore, ut vocant, Tingabarino.*

E facto hoc Jacobi etiam veri Dei Visionem memoria recolentis, emanavit postea columnas erigendi ad fictas Deorum ἐπιφανείας mos superstitiosus. Ἐπιφανειῶν Deorum meminerunt plurimi. Dionysi: Halicar: Lib. 2. πάνυ δ' ἄξιον καὶ τῆς ἐπιφανείας ἱστορῆσαι τῆς θεᾶς ἣν ἀπεδείξατο ταῖς ἀδίκως ἐγκληθείσαις παρθένοις. *Illud est memorabile quomodo dea apparens virginibus periclitantibus opem tulerit.* Quibus subjungit Epicureorum ἔλεγξις. ὅσοι μὲν οὖν τὰς ἀθέους ἀσκοῦσι φιλοσοφίας, ἅπασας διασύροντες τὰς ἐπιφανείας τῶν θεῶν; irridentes deorum præsentias, uti Cicero eam vocem exponit. Etiam Athenæus, Lib. 12. ex Carystio Pergameno, refert Demetrium Phalereum fratris sui Himeræi ab Antipatro occisi, τὰ ἐπιφάνεια cultu religioso observasse, quod magnam ei invidiam apud Athenienses conflavit. Postquam enim finxisset, uti videtur Fratrem mortuum sibi apparuisse, cultu religioso eum prosequutus est, atque ita ξένον δαίμονα introduxit, quod Athenis illicitum. Actor: 17. v. 18. De Epiphaniis hisce Cicero in secundo de Natura Deorum. *Itaque & in nostro populo & in cæteris Deorum cultus, Religionumque sanctitates existunt indies majores & meliores; idque evenit non temere, nec casu, sed quod præsentiam sæpe suam divi declarant.* Et sciamus ex qua officina prodiit festum illud inter Christianos quod Epiphaniam vocant; de qua dubitavit Sacerdos mas esset an fœmina; magnum Sanctum, fuisse intrepide pronunciavit.

Lapidem autem istum Bæthulicum, Phænices postea coluisse, Judæi affirmant; atque admodum probabile est Saxa ista rudia quæ Diis suis erexerunt, à Bethele, Βαιτύλια dicta fuisse.

In hunc modum ideo crevit Solis cultus; simplici Adorationi, additæ sunt Columnæ & *lapides Bætulici*, quibus accessit primo unctio, deinde frugum & florum oblatio, postremo sacrificia ex animalibus.

Evenit quidem temporis processu ut ipse Sol statuis ad speciem oris humani formatis coleretur. Ejus generis erat Colossus Rhodius septuaginta cubitus altus. Macrobius etiam, Ægyptios & Assyrios solitos fuisse Solis simulacrum sinistra manu fulmen tenens & spicas, dextram elevans

elevans cum flagro in aurigæ modum, pompa vehere memorat. Saturnal: Lib. 1. cap. 23. Et Plinius Lib. 34. cap. 7. *Zenodorus*, inquit, *fecit Colossum Neronis principis destinatum simulacrum centum & decem pedum longitudine; qui dicatus Solis venerationi est, damnatis sceleribus istius principis.* Factum hoc à *Vespasiano*, teste *Suetonio. Colossi*, inquit, *refectorem insigni congiario magnâque mercede donavit.* Refecto Solis caput septem radios habens loco *Neronis* impositum: id verò postea à *Commodo* ablatum, qui propriū caput ei imposuit, teste *Herodiano.* τοῦ μεγίστου ἀγάλματος κολοσσιαίου ὅπερ σέβουσι Ῥωμαῖοι, εἰκόνα φέρον Ἡλίου, τὴν κεφαλὴν ἀποτεμὼν ἱδρύσατο ἑαυτοῦ. Locum mancum supplet *Scaliger* per καὶ τὴν ἑαυτοῦ ἀντιθείς: Hoc verò factum non est, nisi postquam homines demortui in Deorum numerum asciti fuêre; atque Apollo nescio quis Soli esset substitutus.

Quemadmodum igitur Jeroboamus uitulos aureos erexit, ne omni signo visibili præsentiæ divinæ destitutus, ad verum Dei cultum Hierosolymis peragendum populus rediret, non sine summo Regni sui damno forsan & ruina; ita Regno suo quod tā variis artibus & fraude multiplici in mundo obtinuerat consulens, ne in periculis Idololatræ constituti, atque de auxilio soliciti, ipsius naturæ voci clamantis ad Dominum naturæ attendentes, inciperent ζητεῖν τὸν κύριον εἰ ἄραγε ψηλαφήσειαν αὐτὸν, καὶ εὕροιεν, καίτοιγ᾽ οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα, uti loquitur Apostolus, atque ita se ejus regimini subducerent, illi alteri novum hunc errorem superseminavit Sathanas, quo in spem falsam erecti, à scelerato præjudicio removeri non possent.

Egregiè autem Superstitionis progressum hunc exponit *Clemens Alexan.* in Orat ad Gent. *Scythæ*, inquit, *antiquitus adorabant Acinacem, Arabes lapidem, Persæ fluvium; & ex aliis hominibus ii qui erant adhuc antiquiores ligna erigebant insignia, & columnas ponebant ex lapidibus, quæ etiam appellabantur* ξόανα: *eò quod eraderentur & expolirentur ex materia. In Icaro certè imago Dianæ lignum erat non laboratum, & Cithæroniæ Junonis Thespiæ truncus excisus; & Samiæ Junonis (ut ait Aethlius) prius quidem erat asser, postea autem cùm esset Archon Procleus, effecta est in formam statuæ. Postquam autem cœperunt statuæ formari,* βρέτη *dicebantur,* ἐκ τοῦ βροτοῦ, *quia hominibus similes. Romæ autem antiquitus statuam Martis fuisse hastam dicit scriptor Varro, cùm nondum pervenissent Artifices ad hoc speciosum quidem, sed improbum artificium. Postquam autem Ars floruit, auctus est error. Quod itaque ex lapidibus & lignis imagines fecerint hominibus similes, jam patet.* Hæc ille; atque deinde ordine recenset, quinam ubivis locorum primi imaginum fabricatores extiterunt.

Atque hic primus erat Belli Sathanici adversus genus humanum Revelationibus divinis destitutum, & sibi permissum successus, & εὐτυχία. Hæc totalis à Theologiæ naturalis fundamento defectionis origo. Heic Imperii istius quod in maximam hominum partem per innumerabilem annorum seriem longè latèque exercuit tenebrarum Princeps, fundamenta posuit.

Lib: Tertius, Cap: Nonum.

Seu De Origine & Progressu Idololatriæ.

Caput Septimum.

Idololatriæ ulterior Progressus. πολυθεϊσμὸς in ἀνθρωπολατρεία desinens. Hellenismus quid. Primordia eius incerta, obscura. Sententia Authoris Libri qui sapientia Solomonis dicitur. Dii deæque ex adulatione. Mater Demetrii ab Adimanto culta, & Lamia Poecreta scortum ab Atheniensibus, & Thebanis. Demetrii in Athenienses scomma. Lactantii Sententia, & Eusebii; ἀποθεώσεως ratio. Tharam Abrahami Patrem primum ἀγαλματοποιὸν fingunt Judæi. Origo fabulæ. Veterum Christianorum in ea consensus. Testimonium Epiphanii. Suidæ. Johannis Antiocheni. Haran mortuus ante Patrem. Non primus à mundi conditu, quod voluit Epiphanius. Thara vir sanctus. αὐτομάτων inventionem Rhodiis ascribit Pindarus. Prometheo Isidorus. Plures Dædalo. Quare dictus ἀγάλματα αὐτοκίνητα fecisse. Statua Memnonis apud Philostratum. Alia plura.

NOndum ea quæ adversus Deum hominesque impiè moliebatur, ad extremum exitum Sathanas perduxerat. Successu superius exposito, acriorem & elatiorem Dei Solium occupandi incessit lubido. In Hellenismo, seu hominum defunctorum cultu, fit voti compos. Ejus superstitionis obtentu, nihil usus circuitione objectum cultus religiosi ipsum se præstituit miseris homuncionibus. Atque ita πολυθεϊσμὸς, in ἀνθρωπολατρείᾳ definit. Sed non nisi decursis multorum annorum, forsan & sæculorum periodis, ad istud impietatis & nequitiæ spiritualis fastigium perventum. Non enim statim à prima defectione, θεοὺς ἀνθρωποειδεῖς sibi

ſibi comparavit humanum genus. Eorum cultu conſtitit Helleniſmus. Syderum Cœleſtium pertæſi, quæ lege inviolabili acta, vanitati & fluctuationi mentis humanæ ſatisfacere non potuerunt, Deos eligerunt ſibi ſimiles, faciles, propitios, quorum imitarentur mores, honores ſortirentur. Quamvis ideo per Helleniſmum, falſarum Religionum συνοχὴ quædam, & confuſio in cultu Cœli, Solis, aliorumque ſyderum, dæmonum, hominum mortuorum, Simulacrorum, fictitiarumque larvarum, totaque denique veterum Idolomania, rite intelligi poſſit; tamen nos heic loci eum ſeperatim à Sabaiſmo, ſeu in cultu ſyderum Cœleſtium ſuperſtitione, prout hominum defunctorum, & ſimulacrorum ad ſpeciem oris humani fictorum religionem induxerit, conſiderabimus.

Hujus ſuperſtitionis dubias, imo incertiſſimas eſſe origines fatentur omnes. Poſtquam aliorum ſententias retulimus, quas vel Autorum dignitas, vel ipſarum veriſimilitudo in celebritate poſuerunt, nonnulla adjiciemus quæ ad veritatem è puteo eruendam, adhuc deeſſe videntur.

Nota eſt Authoris Libri qui Sapientia Solomonis dicitur ſententia, cap. 14. ver. 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20. erctc: ὅτι γὰρ, inquit, ἦν ἀπ' ἀρχῆς, ὅτε εἰς τὸν αἰῶνα ἔσται, Κενοδοξίᾳ γὰρ ἀνθρώπων εἰσῆλθεν εἰς κόσμον, καὶ διὰ τοῦτο σύντομον αὐτῶν τέλος ἐπενοήθη. Ἀώρῳ γὰρ πένθει τρυχόμενος πατὴρ τοῦ ταχέως ἀφαιρεθέντος τέκνου εἰκόνα ποιήσας, τὸν τότε νεκρὸν ἄνθρωπον, νῦν ὡς θεὸν ἐτίμησε· καὶ παρέδωκε τοῖς ὑποχειρίοις μυστήρια, καὶ τελετάς. Εἶτα ἐν χρόνῳ κρατυνθὲν τὸ ἀσεβὲς ἔθος, ὡς νόμος ἐφυλάχθη, καὶ τυράννων ἐπιταγαῖς ἐθρησκεύετο τὰ γλυπτά. In quam ſententiam plura addit. Et ſanè huic ſententiæ, fidem faciunt, quæ poſtea acciderunt. Deos Deaſque innumeros fecit adulatio. Unum aut alterum exemplum proferamus: τῶν δὲ Δημητρίου τοῦ βασιλέως κολάκων οἱ περὶ Ἀδείμαντον τὸν Λαμψακηνὸν νεὼν κατασκευασάμενοι Θρίῳ ὠνόμασαν Φίλας Ἀφροδίτης, καὶ τὸν τόπον Φιλαῖον ἐκάλεσαν ἀπὸ τῆς τοῦ Δημητρίου μητρὸς Φίλας, ὥς φησι Διόνυσος ὁ τοῦ Τρύφωνος. Verba ſunt Athenæi, Lib. 6. *Ex Demetrii Regis adulatoribus, Adimantus Lampſacenus, Templum ædificavit ſtatuaſque poſuit in Thryo, Titulo Veneris Philæ, locumque Philæam nuncupavit à Phila Demetrii matre.* Etiam totum populum Athenienſem, templa *Lamiæ*, Demetrii Poliorcetæ ſcorto conſecraſſe, atque eam divinis honoribus proſequutum fuiſſe, atq; ſimiliter Thebanum, ſcripſit Demochares hiſtoricus Demoſthenis conſobrinus; ipſo Demetrio fœdam adulationem deteſtante, palamque dicente *apud inferos nullum unquam futurum magni excelſique animi civem Athenienſem.*

Sunt ideo qui arbitrantur ſimulacra primum mortuis poſuiſſe huma-

nos affectus ne cum vulgo oblivione sepelirentur, atque indè temporis decursu, superstitionis in cultu eorum ansam nonnullos arripuisse; sunt qui eos in Deorum numerum retulisse, simulacra demum iis posuisse eandem superstitionem. Lactantius ad stultorum populorum in Reges mortuos studium, initium simulacra constituendi, atque homines mortuos divinis honoribus colendi refert. Ita ut simulacrum alicui ponere, atque eum in Deorum numerum referre idem videatur.

Eusebius, χρον: λογ. πρῶτ. verisimili similia enarrat. Ἐκ τῆς φυλῆς Ἰάφεθ ἐγεννήθη Σερουχ (quod παρέργως superius notavimus) ὅτις πρῶτος ἤρξατο τοῦ Ἑλληνισμοῦ, καὶ τοῦ δόγματος τῆς εἰδωλολατρείας, αὐτὸς γὰρ καὶ οἱ σὺν αὐτῷ τοὺς πάλαι γενομένους ἢ πολεμιστὰς, ἢ ἡγεμόνας καὶ τι πράξαντας ἀνδρίας ἢ ἀρετῆς ἄξιον ἐν τῷ βίῳ τοῦ μνημονεύεσθαι, καὶ ὡς ὄντας αὐτῶν προπάτορας ἀνδρίασι στήλαις ἐτίμησαν (nos stelas Idololatricas erectas fuisse, longè antequam cuiquam in mentem venerat homines mortuos divinis honoribus prosequi, superius docuimus) καὶ ὡς θεοὺς προσεκύνουν αὐτοὺς, καὶ ἐθυσίαζον· οἱ δὲ μετὰ ταῦτα ἄνθρωποι ἀγνοοῦντες τὴν τῶν προγόνων γνώμην, ὅτι ὡς προπάτορας καὶ ἀγαθῶν εὑρετὰς ἐτίμησαν μνήμαις μόναις, ὡς θεοὺς ἐπουρανίους ἐτίμων. Quæ vero eo loci addit, de ratione & forma ἀποθεώσεων, eis considerata sunt dignissima, quæ Dypticha norunt Ecclesiastica; & quæ ex iis emanavit, superstitionem pravam: ἦν δὲ, inquit, τὸ τῆς ἀποθεώσεως σχῆμα τοιοῦτον. Ἐν ταῖς ἱερατικαῖς αὐτῶν βίβλοις ἐτάσσοντο τὰ ὀνόματα αὐτῶν μετὰ τελευτὴν; καὶ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἑορτὴν αὐτῷ ἐπετέλουν, λέγοντες τὰς αὐτῶν ψυχὰς εἰς τὰς τῶν μακάρων νήσους ἰέναι, καὶ μηκέτι κρίνεσθαι ἢ καίεσθαι πυρί. Insertis mortuorum in sacros libros nominibus, memoriæ eorum dies festos, anniversarios scilicet instituerunt, animas in beatorum sedes receptas, neque igne torqueri Purgatorio credentes.

Judæi Tharam Abrahami patrem primum imaginum & Simulachrorum fictorem fuisse fingunt. Eâ Fabulâ, historiæ non minus fabulosæ de Abrahamo in ignem conjecto ob non adoratam Nimrodi imaginem famulantur. Mirum verò, quanto veterum consensu figmentum putidum comprobetur. Epiphanius; Ναχὼρ δὲ γεννᾷ τὸν Θάῤῥα· ἐντεῦθεν γέγονεν ἀνδριαντοπλαστία ἀπὸ πηλουργίας καὶ κεραμικῆς ἐπιστήμης διὰ τῆς τοῦ Θάῤῥα τέχνης. *A Nachore Tharra genitus est; ex eo tempore simulachra ex argilla, figlinoque opere inventa sunt, Artifice Thara.* Similiter Suidas; Θάῤῥα ἦν ἀγαλματοποιὸς, ἀπὸ διαφόρων ὑλῶν εἰκόνας ἐργαζόμενος, καὶ λέγων τούτους εἶναι θεοὺς καὶ ὀφείλειν προσκυνεῖσθαι ὡς αἰτίους ἀγαθῶν. *Erat Thara simulachrorum fictor, imagines ex diversis materiis fabricans, quas & Deos esse, & coli debere tanquam bonorum autores affirmavit.* Atque Johannes Antiochenus Mallela, Lib. 2. ἦν γὰρ Θάῤῥα ἀγαλματοποιὸς πλαστουργῶν ἀπὸ λίθων

καὶ

καὶ ξύλων θεοὺς ποιῶν, καὶ πωλῶν, καὶ πλάνην ἀγαλμάτων καὶ εἰδωλολατρείας εἰσῆγε τοῖς ἀνθρώποις διὰ ἀπεικονισμάτων τῶν προγόνων, αὐτῶν μάλιστα τῶν εὑρηκότων τὰ γράμματα καὶ τὰς τέχνας. *Erat Thara statuarius, qui ex lapidibus & lignis Deos formavit, & venales habuit. Is simulacrorum cultúsque Idololatrici superstitionibus homines implicuit, fabricatione imaginum in majorum memoriam, præcipuè eorum qui literarum inventores fuerunt* (quorum revera ne unus tum temporis usquam extiterat) *& Artium.*

Filium Tharæ Haranem, ante eum mortuum esse Scriptura nos docet; Id vero tum tandem à mundi conditu accidisse notat Epiphanius, in pœnam impii Patris: οὐδεὶς, inquit, πώποτε τῶν προτέρων ἀνθρώπων πρὸ πατρὸς υἱὸς ἐτελεύτα, ἀλλὰ πατέρες πρὸ παίδων τελευτῶντες τοῦ υἱοῦς διαδόχους κατελίμπανον, Hæref: lib. 1. cap. 1. *Neque ex hominibus prioribus ullus adhuc filius ante Patrem obierat, sed superstitibus liberis relictis Patres ex hac vita migrabant.* Ad exemplum Abelis respondet eum violentâ morte præreptum esse. Sed manifestò deceptus est vir doctus; non enim tantum Lamechus *Antediluvianus*, aliquot annos ante mortem Patris sui obiit, sed et idem etiam Pelego, Tharæ ipsius at avo contigit, qui ante obitum Heberi Patris sui, annos circiter ducentos fato functus est. Sed hæc communis erat antiquorum Sententia. Ego insignem injuriam memoriæ Viri Pii & Sancti, qui Patriam reliquerat animo Canaanem adeundi, (sine dubio χρηματισθεὶς, Gen. cap. 10. v. 31.) fabulis istis fieri non dubito. Deest enim accusationi color omnis; & est planè figmentum Judaicum. Ἀγαλματουργίας peculiare aliquod Artificium Rhodiis ascribere videtur Pindarus; Olympic: Od: 7ma.

—Αὐτὰ
Δέ σφισιν ὤπασε τέχναν
Πᾶσαν ἐπιχθονίων
Γλαυκῶπις, ἀριστοπόνοις χερσὶ κρατεῖν.
Ἔργα δὲ ζωοῖσιν ἑρπόν-
τεσσί θ' ὁμοῖα κέλευθοι
Φέρον; ἦν δὲ κλέος
βαθύ.

Ipsa autem Casia Minerva præbuit illis artificium, ut omnes mortales optimè laborantibus manibus superarent, opera autem animalibus reptilibusque via similia ferebant; eratque gloria ingens. Rhodios innuit Poeta ejusmodi fuisse artifices, ut vivas animantium & reptilium imagines

exprimere

exprimere solerent; ita ut quasi in *via* & cursu se movere viderentur.

Isidorus Origin: Lib: 8. affirmat Prometheum hominum simulacra primum de Luto finxisse, ab eóque natam esse artem simulacra & statuas erigendi; ob eamque causam, Poetas finxisse, ab eo *homines esse factos*.

Celebris magis est eorum sententia qui artificium hoc Dædalo ascribunt. Hinc omnia simulacra veteres Δαίδαλα vocabant. Alii eum simulacra αὐτοκίνητα καὶ αὐτόματα invenisse scribunt. Ea etiam in Proverbia τὰ Δαιδάλου ποιήματα dicuntur. In eâ sententiâ fuere veterum plerique. Ut Plato; ὅτι, inquit, τοῖς Δαιδάλου ἀγάλμασιν οὐ προσέσχηκας τὸν νοῦν ἴσως δὲ οὐδ' ἔστι παρ' ὑμῖν· πρὸς τί δὴ τοῦτο λέγεις; ὅτι καὶ ταῦτα ἐὰν μὲν μὴ δεδεμένα ᾖ, ἀποδιδράσκει καὶ δραπετεύει· in Menone. *Quoniam non animadvertisti Dædali simulacra, fortassis ne sunt quidem apud vos; Quorsum istuc dicis: Quoniam illa ni revincta fuerint, discedunt atque aufugiunt.* Inde Herculis signum apud Tyrios, & Bacchi apud Chios, vinculis in sedibus suis fixa erant, quia αὐτοκίνητα credita. Meminit etiam Aristoteles Polit: 1. εἰ γὰρ, inquit, ἠδύνατο ἕκαστον τῶν ὀργάνων κελευσθὲν ἢ προαισθανόμενον ἀποτελεῖν τὸ αὐτοῦ ἔργον, ὥσπερ τὰ Δαιδάλου φασίν; *si fieri possit ut unumquodque instrumentum, vel jussum vel per se præsentiens, suum opus perageret, quemadmodum aiunt Dædali statuas facere.* Hoc autem eum fecisse aiunt, argento vivo infuso statuis; quod ostendit Idem Aristoteles de Anima primo; dixit Philippus quidam, τὸν Δαίδαλον κινουμένην ποιῆσαι τὴν ξυλίνην ἀφροδίτην ἐγχέαντα ἄργυρον χυτόν; *fabricasse ligneam Venerem quæ moveretur, argento vivo infuso.*

Occasio fabulæ sine dubio, quod Dædalus primus inter Græcos finxisset simulacra ad speciem oris & figuræ humanæ, pedibus præsertim distinctis, atque uno extra lineam alterius promoto, quasi ad gradiendum se compararent. Ita ænigma solvit Tzetzes.

Τοὺς ἀνδριάντας πρότερον πρὸ χρόνων τοῦ Δαιδάλου
Εἰδημιέργουν ἀχείρας, ἄποδας, ἀομμάτους
Πρῶτος δ' ὁ Δαίδαλος αὐτὸς διεῖλε χεῖρας πόδας,
Δακτύλους διηρμόσατο, καὶ βλέφαρα καὶ τ' ἄλλα
Ὅθεν ὁ μῦθος πέπτωκε κινεῖσθαι τὰ Δαιδάλεια.

Ita est; Prima simulacra λίθοι erant ἀργοὶ, sine manibus, pedibus, oculis; cum autem Dædalus omnia quæ ad externam formam hominis pertinent signis imposuerat, increbuit fabula eum simulacra fecisse

αὐτο-

ἀνυπόκινητα. Similia habent Diodorus Siculus, Palæphatus, aliique.

Imo rudia admodum fuisse ἀγάλματα à Dædalo fabricata Plato satis indicat; ut sunt rerum omnium initia, ab imperfectis inventa, imperfecta: εἰ ἄρα, inquit, νῦν δ' ἱππία ὁ Βίας ἀναβιοίη γέλωτ' ἂν ὄφλοι πρὸς ὑμᾶς, ὥσπερ καὶ τὸν Δαίδαλόν φασιν, οἱ ἀνδριαντοποιοὶ νῦν, εἰ γενόμενος τοιαῦτ' ἐργάζοιτο οἷα ἦν ἀφ' ὧν τοὔνομα ἔσχε καταγέλαστον ἂν εἶναι. *Si sane nunc ô Hippias Bias revivifcat, risum apud vos tulerit; quemadmodum & horum temporum statuarii, de Dædalo narrant, si nunc vivens talia proferat opera, qualia erant illa unde famam ac nomen adeptus est, deridiculum fore.*

Magnum autem erat simulacra ad hominis figuram manibus extensis & pedibus distinctis erigere; cum post columnas, stelas, saxa rudia, & Βαιτύλια, Soli, Lunæ, & Astris dicata, vetustissima simulacra ejusmodi fuisse videntur, qualia ex Ægyptiorum monumentis exhibentur, manibus nullis, aut ad latera adglutenatis, pedibus junctis, vel potius signis in basi desinentibus.

Inde Philostratus Lib: 6to: Cap. 3. de vit: Apollon: aliquid peculiare statuæ Memnonis ascribens, ait; λίθου δὲ εἶναι μέλανος; συμβεβηκέναι δὲ τὼ πόδε ἄμφω κατὰ τὴν ἀγαλματοποιίαν τὴν ἐπὶ Δαιδάλου. Quæ verba sic reddit interpres; *Est autem ex nigro lapide fabricata statua; atque utroque pede solum attingens juxta Dædali artem statuariam.* De qua interpretatione illud οὐδὲν ὑγιὲς usurpat Scaliger, Animad: Euseb: ad Num: 737. *Pedes conjunctos habens*; ipse reddit. Similiter verba Apollodori de Palladio interpretatur; ἦν δὲ τῷ μεγέθει τρίπηχυ, τοῖς δὲ ποσὶ συμβεβηκός, Tricubitale erat, *pedibus junctis*, alii; *pedibus ita compositis ut ambulare videretur.* Ex vi vocis, aut hac in materia usu, nil certo colligi potest. Si vero statua Memnonis pedibus junctis, hoc est revera sine omni pedum figura, prout factum communiter fuisse inter Ægyptios ostendunt signa quæ *Mumias* vocant, fabricata fuisset, nihil in ea peculiare esset, aut ea ex parte memorabile. Deinde cum ejusmodi fuerit, quales ἐπὶ Δαιδάλου, non πρὸ Δαιδάλου, factæ fuerunt, videtur mihi Philostratus clarè satis innuere, eam à cæteris simulacris Ægyptiacis in eo distasse, quod pedibus disjunctis, more Dædalæo, esset fabricata.

Atque hæc fermè sunt quæ de origine Hellenismi & ἀγαλματοποιίας apud veteres occurrunt. Hisce plura ejusdem generis addi possent, si omnia, & non quæ satis sunt referre statutum esset. Quæ nobis proximè ad veritatem accedere videntur, vel saltem verisimili sunt simillima proximo in loco dicemus.

Liber

Liber Tertius. Cap. Decimum.

Seu de ortu & progreßu Idololatriæ.

Caput Octavum.

Dii ex hominibus orti, Orientales omnes. Humani generis post Diluvium instauratores. Agminum Babylonicorum Duces. Græcia Deorum officina. Eis oriens Superi; Occidens Inferi. Orientalia Diis; occidentalia Dæmonibus sacra. Idolorum in Templis positura. Jupiter Capitolinus. Porphyrii Testimonium. Rerum in Oriente gestarum fama. Deorum acta. Nectar Vinum Babylonicum. Primi Idololatrarum Dii, ipsi à vero Deo primi Apostatæ. Retenta post Linguarum confusionem nominum veri Dei memoria aliqua. Ea Idolis ascripta. De pronuntiatione nominis Tetragrāmati. Sanchuniathonis fabulæ. יהוה. אל. עליון. ἰάω, ἰά הללו יה. ἀλελεῦ. ארני, ἱερόν. ἰε יה. ארמה ἄδης, תהו בהו *Thoth; Teoth.* θεός. Bacc. ערב ἔρεβος. ארץ *Earth. &c.*

OMnes eos qui primi in Deorum numerum sunt relati, in *Oriente* vixisse, certis Argumentis demonstrari potest. Ex eâ Orbis Terrarum plaga, statim à confusione linguarum Tribuum & familiarum ductores, in omnes Terræ partes deduxerunt Colonias. Isti, temporis decursu evaserunt אנשי השם *viri fama celebres*. Quaquaversum autem iter instituerunt, nulli dubium esse potest, novos Greges famam aliquam licet tenuem & obscuram magnorum etiam Progenitorum, Noachi scilicet, Shemi, Chami, aliorumque retinuisse. Hos tanquam Generis sui Authores, illos tanquam felices Peregrinationum suorum ὁδηγὰς memoria recolentes, cum jam essent in omnem superstitionem profusi, paulatim auctis, ut fieri solet, de statu ac gestis illorum Traditionibus, supra communem sortem humani generis nescio quid θεῖον eos habuisse, sibi finxerunt. Cum autem illos in terris, ac omnium frequentia vitam traduxisse scirent, ut arbitrarentur æquum esse senserunt aut eos è Cœlo descendisse ad facinora egregia inter homines elaboranda, aut rerum gestarum meritis, in Cœlos quoquomodo post mortem relatos.

Græci

Græci præcipui Deorum fabricatores erant; usque adeò ut Græcia non inepte patria & officina Deorum dici soleat, atque ea superstitio quæ in eorum cultu religioso sita est, is est de quo agimus Hellenismus. Eis Oriens Superi erant; Occidentem vero, & quidquid in Boreales mundi plagas vertebatur, vocabant Inferos. Qui in eas orbis terrarum partes trajecerunt, ad Inferos navigasse, vel quoquomodo permeasse existimabant; non aliam ob rationem quàm quòd Deos omnes ex Oriente accipissent. Amnis Lethe in Gallecia Hispaniæ est; Avernus in Italia, Cimmerii, Scythæ ad paludem Mæotidem, postea Hunni dicti; atque alii quidam in ipsa Italia. Hinc in cultu religioso θεοῖς τὰ ἀνατολικὰ; δαίμοσι δὲ τὰ δυτικὰ, *partes orientales Diis, dæmonibus occiduæ tribuebantur*; teste Porphyrio de Antro Nympharum Ithacensi apud Homerum. Itaque quamvis uti superius docuimus, antiqua templa Soli dicata portas sacras Australes habuerint, hisce Idolis posita Loca sacra ingressus semper habuere Orientales, atque simulacra versus Orientem spectantia, quæ ingredientes coluerunt respicientes Occasum. Unicus excipiebatur Jupiter Capitolinus, qui ex antiquis temporibus, facie versus Occidentem spectante positus, è consilio Haruspicum versus est erga Orientem, Consule Cicerone, seipso teste in Oratione contra Catilinam ad Quirites. Hæc nos docet idem Porphyrius: ὡς ἄν, γ᾽ ἔδον, inquit, πάντων τῶν ἱερῶν τὰ μὲν ἀγάλματα καὶ τὰς εἰσόδους ἐχόντων πρὸς ἀνατολὰς τετραμμένας· τῶν δὲ εἰσιόντων πρὸς δύσιν ἀφορώντων, ὅταν ἀντιπρόσωποι τῶν ἀγαλμάτων ἑστῶτες τοῖς θεοῖς τιμὰς καὶ θεραπείας προσάγωσι. *Omnia fermè templa statuas ingressusque versus ortum habent; ingredientes autem occasum respiciunt, ubi vultu statuis obversi, consistentes, Diis honorem cultumque tribuunt.* Ei superstitioni ut adversarentur, versus Orientem templa ingredientes, non minore, se incurvare, & nescio quid adorare, quibusdam veterum Christianorum in more fuit.

Primi, ideo Dii gentium ex hominibus orti, quos post adorata aliquot secula Cœli sydera in Deorum numerum retulerunt, familiarum & Tribuum ductores erant, vel qui in Oriente claruerunt, vel qui ex Oriente, sedes novas quærentibus populis duces fuerunt. Horum fama, fabulis mista, paulatim in fidem evasit; & memoria in cultum. Itaq; quæcunque de magnorum istorum Virorum vita, rebus gestis, moribus, Bellis, vel famâ vel traditione quacunque acceperant, vera falsaque, plerumque falsa veris mista, ac si de Cœlo dilapsa essent, in Numinum gesta, actâque relata fuerunt. Ipsum Nectar Deorum Potus, Vinum erat Babylonicum. Χαίρεας ἐν Βαβυλῶνι οἶνον φησὶ γίνεσθαι τὸν καλούμενον νέκταρ, ait Athenæ: Deipnos: lib. 1. *Chæreas vinum in Babylone esse tradit,*

quod Nectar indigena vocant. Inde Nectar πόμα θεῖον, quod quasi νεόκταρ dici ineptè autumat Suidas, διὰ τὸ νέους ποιεῖν τοὺς πίνοντας, *quod juvenes facit ipsum bibentes.* Et Autor Etymologici: νέκταρ τὸ τῶν θεῶν πόμα ὂν, ἢ τὸ ζωΐχον τοὺς πίνοντας αὐτὸ ἐν νεότητι, *bibentes retinet in Juventute.* Alii alias vocabuli origines Græcas referunt, ineptas omnes, cum ex Oriente in Græciam pervenerit cum ipsis Diis. Unde *Strabo* prudenter monet in appellationibus Gentium Barbararum, Græcas Etymologias non esse quærendas. Noachum Saturnum fuisse, Janum, & Bacchum; Chamum Jovem Hammonem; Japhetum, Japetum & Neptunum; Shemum Plutonem & Ditem, dudum est quod ab aliis ostensum. Horum aliorúmque Metamorphosin ex vulgatissimis fabulis huc referre, nihil opus est. Eorum verò qui postea in ipsa Græciâ Deorum numerum auxerunt, recentior est Historia, & notior quàm ut ei insistere debeam.

In obscuris itaque Traditionibus, & fama tenui corruptaque Virorum celebrium, qui aut Genus humanum primi post Diluvium restituerant, aut agmina Babylonica in varias Terrarum Orbis plagas traduxerant, fundamenta posuit Hellenismus. Hos primùm admiratione & laudibus, deinde cultu superstitioso in cœlum extulerunt Idololatræ, cùm eorum plerique turpissimæ à Deo vero defectionis Autores & Antesignani extiterint. Hinc in omni ea confusione, quam in Gentium Superstitionem irrepsisse sensim ostendemus, multa inveniuntur in quibus unanimiter conspiraverunt pæne omnes. Etenim plures de magnis istis variarum Stirpium Autoribus tradidit Posteritati fama. Postquam itaque magnos Progenitores homines Superstitiosi, Cœlo votis & vanâ quadam opinione intulissent, partim ne ex animis exciderent eorum memoria & laudes, partim quo eos sensibus præsentes sisterent, Simulachra ad formam hominis fabricata, cùm Sydera cœlestia colentes, Columnis & Saxis rudibus fuissent contenti, eis posuerunt. Evasit autem, ob rationes suprà allatas, Catholicus etiam hic Simulachrorum cultus.

Porro! post Linguarum confusionem, nonnulla veri Dei nomina in memoria qualitercunque retinuerunt, huc illuc dispersi Turris Fabricatores, filiis & nepotibus accepta relicturi. Isti verò temporis decursu quid, quémve referrent magna illa & veneranda nomina ignari, ea omnia Diis istis novis, quos sibi adsciverant, imposuerunt. Ita Sanchuniathon, inter Phœnicum progenitores, qui postea in Deorum numerum relati fuerunt, memorat Ελιοῦν seu ὕψιστον, hoc est, עליון; eum cœlum & terram genuisse scribit. Et Ιλον, qui nonnisi אל est. יהוה erat Jovis, & Jova, & *Jupiter* Nomen illud per Ἰαῶ reddit Sanchuniathon, cùm se multa didicisse narret παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως θεοῦ τοῦ Ἰευώ.

Diodorus

Diodorus verò lib.1.dicit Deum cui Moses leges suas ascripsit ἰάω vocatum fuisse; cui concinit Oraculum apud *Macrobium*, Saturnal. 1.

φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ἰάω.

Quo Sathanas incommunicabile nomen aliis Idolis ascribere conatur. *Eusebius* in Demonstrat: Evangel. lib.4. cap. ult. ἰώσουε δὲ ἐστὶν ἰάω σωτηρία, τοῦτ᾽ ἔστι θεοῦ σωτήριον. *Joshua verò est* ἰάω *salus, hoc est Dei salutare*. Inde verisimile altero illo loco, *Eusebium* scripsisse ex Sanchuniathone ἰάω non ἰεύω. ἰαοῦ est apud *Clementem Alexandrinum* Strom: 5. forsan etiam mendosè pro ἰαώ; & ἰαωΐα apud Originem, sed corruptè sine dubio. ἀπὸ τῶν ἑβραϊκῶν γραφῶν inquit τὸν ἰαωΐα παρ᾽ ἑβραίοις ὀνομαζόμενον, καὶ τὸν σαβαὼθ, καὶ τὸν ἀδωναῖον, καὶ τὸν ἐλωαῖον; τὰ δὲ ἀπὸ τῶν γραφῶν ληφθέντα ὀνόματα ἐπώνυμα ἐστι τοῦ καὶ ἑνὸς θεοῦ, ὅπερ μὴ συνιέντες οἱ ἐχθροὶ τοῦ θεοῦ, ὡς καὶ αὐτοὶ ὁμολογοῦσιν ᾠήθησαν ἄλλον μὲν εἶναι τὸν ἰάω, ἕτερον δὲ τὸν σαβαὼθ, contra *Celsum*, lib. primo. De Hæreticis loquitur, qui portentosa figmenta ex Ethnicismi lacunis hauserant. Cæterùm, utrum nomina ista, unius Dei veri epitheta ex Scripturis, an traditione antiquâ didicerunt res eadem est. Ex unoquoque nomine novum Numen extruitur. Cæterùm ἰαωΐα corruptè legitur pro ἰάω ἰὴ. Mendam primùm suspicatus est *Reynoldus*, de Idololat: lib:2.cap.5. Lectionem veram restituit *Sandfordius*, libro primo de descensu Christi ad Inferos: post eum *Grotius*, ad Matth. cap. 22. aliique.

Atque hinc apparet, quod obiter animadvertendum, olim notam fuisse pronuntiationem Nominis Tetragrammati. *Judæi* hodie atque à multis seculis eam ignorant; atque ita penitus obliti sunt Nominis Dei, olim sui. Usque enim adeò ab ipso sunt rejectanei, ut ne Nomen ejus invocare possint. Id erat quod tum primum eis patefecit, cum totam Gentem in populum peculiarem atque Ecclesiam sibi adsciverit, Exod. 3. Quamvis enim à mundi conditu notum erat fidelibus omnibus nomen יְהוָה, tamen Deus nullâ pacti sui confirmatione, nullo promisso, illo usus erat, sed nomine אֵל שַׁדַּי tantùm. Postquam ideo Gens ista, populus Dei & Ecclesia esse desiit, omnem memoriam istius Dei nominis quod gratiosè patefecit eâ fœderis pactione, qua illam ascivit in populum peculiarem, ultroneè abjecit, aut ejus oblivione multata est.

Deinde, אל.האל.עליון, Deus, Fortis, Altissimus in ἥλιον conversa sunt. אדני Adonis erat; Evan, & Evius, ab Eheie ortum duxerunt; ἐλελεῦ ab הללו־יה; vocem illam σπεύδοντες ἀναφωνεῖν καὶ παιανίζοντες εἰώθασι, inquit *Plutarchus* in *Theseo, festinantes & ovantes exclamare solent*. ἱερὸν, quæ vox omnia sacra respicit, ab יה deduci scribunt, nihil prorsus Græcè significante; neque aliud est quàm יה. Ab ארמה erat ὁ ἍΑδης,

 Postquam

postquam Deus dixisset Adamo, reverteris אל-ארמה hoc est, εἰς ἀδην. *Jupiter Sabasius*, à *Jehova* Sabaoth est. Tædio essem Lectori, si omnia quæ hujus generis occurrunt, recenserem.

Rerum præcipuarum quæ in mundi Creatione memorantur nomina, Hominum, Sapientum, Regum appellationes fuisse fingit Sancuriathon, atque inde longas incœptat fabulas. Θεογονίαν suam non aliunde texit Hesiodus. Ab ארץ est **Earth**, Dea maxima apud Anglos, aliósque Germaniæ populos, ut Autor est Tacitus. *In commune* (inquit) **Ærthum**, id est *Terram matrem* colunt; תוהו & בוהו sunt Thoth & Theoth, unde etiam Θεὸς,& Bau: ערב ἔρεβος est; & ex eo verborum ordine qui habetur Gen. I. ויהי ערב ויהי בקר יוםאחד multi populi noctem Diei prætulerunt. De Germanis Tacitus; *nec dierum numerum sed noctium computant, sic constituunt, sic condicunt, nox ducere diem videtur*; & revera duxit? Lux enim ex Tenebris. Idem mos apud Anglos usque adhuc obtinet. Pro Hebdomade **seven-night** dicimus, & **fortnight**, hoc est, **fourteen nights** pro duabus. Et Antiqui Britanni etiam quos nunc Wallos vocamus, quibus septimana est *Withos*, hoc est, octo noctes; & duæ, *Pymthec nos*, hoc est, quindecim noctes, quod Celticæ etiam originis monumentum est. Idem mos apud antiquos Gallos ex eodem Traditionum fonte promanans, & non, quòd Cæsar voluit, quia se Dite patre prognatos arbitrarentur. Hujusmodi fuère Hellenismi primordia, seu confusæ istius Superstitionis quæ totum pænè invasit terrarum orbem.

Lib.3. Cap. 11.

Lib: Tertius, Cap: Vndecimum.

Seu De Origine & Progressu Idololatriæ.

Caput Nonum.

*Idololatria Britannica. Vetustissimi Insulæ incolæ ignoti: atque unde Britannia dicta. Gentium nationumque origines obscuræ: ejus obscuritatis causæ: quanta in iis indagandis ignoratio: Græcorum, & Latinorum ignorantia & malitia. Antiquitates Judaicas mendaciis obruerunt veteres. Inde in cæteris sublesta fides. Ignorationis, originum Britannicarum causæ peculiares. Situs Insularis: sapientum in celandis rebus præteritis ambitio & astutia. Insulæ Europeæ à posteris Japheti occupatæ, Gen.*10.5. *A primo incolatu ad Cæsaris in hanc insulam adventum, omnia tenebris involuta. Testimonium Cæsaris: interiora Insulæ Gallis ignota: incolas interiores* αὐτόχθονας *statuit: Tacitus plurimarum gentium colluviem; uterque ineptè. Britannos & Gallos eâdem linguâ usos fuisse, eandem gentem fuisse probandi conatus, Cambdeni, & Boxhornii. Filius Japheti natu maximus Gomer. Ab eo Cimbri; Britanni se Komeros aut Cymeros vocant. Gomeri seu Cimbri.* גמר *quid significet. Britanni Cimbri: aliud nominis Cymro etymon. Camber filius Bruti. Inde Cambria. Britannia unde dicta: variorum originationes rejectæ.* [illegible]. *Brytona nympha Cretensis. Britannia in Gallia. Bridanium. Prid Cain. A Bruto Trojano ita dictum plurimi arbitrantur. Ea sententia à Cambdeno exagitata. Cambdeni conjectura. Brith, Tania: ei accedunt viri docti: contra eam rationes. Bocharti, conjectura probabilissima. Insula hæc Tyriis nota.* ברת־אנך, *barat, anac, seu ager stanni dicta. Conjecturæ defensio, adversus Hornium.* Ido*lolatria Britannica.* Anti*stites sacrorum Britannicorum, notissimi. Druides Unum Deum adorâsse scribit Origines.* Is *Sol: eosdem cum Gallis Tacitus. Mos preces fundendi, sparsis ad cœlum manibus. Andraste, &* Andate, A*starte, Luna. Boadiciæ, ei votum nuncupatum. Gallorum apud Cæsarem; à Græcis Massiliensibus accepti. Britannis ignoti. Antiquissimi Galli simulachris caruerunt. Eorum* Dii, *Teutates, Hesus, & Taranis. Teutates à Diw Taith, dux viæ. Sol: ejus cultus. Hesus,* עוז *& Hand. Taranis, inde Taran tonitru apud Wallos. Thunder, donder*

der; Thursday. Horum Deorum simulachra. Antistites Druides: eorum superstitionis in Galliam & Germaniam provectio: ortus in Britannia. Druides unde dicti. Druys rex Celtarum: ei successit Bardus. Drw magus. Dru & Trou verax divinus: vera Etymologia ἀπὸ τοῦ δρυός. Drw Britannicè, Quercus: superstitionis sedes roborum luci. Idem Saronidæ dicti ob eandem causam. Bardi qui: eorum officium: memoria apud Cambro-Britannos, & nomen. Strabo notatus. Druidum habitus peculiaris: in Sacris vestis candida. Academiæ & studia: ad eorum disciplinam adolescentum confluxus. Ejus rationes, privilegia, & autoritas. docendi in Scholis mos; discendi tempus; promotio discentium. Philosophia quam docuerunt. Magia. Medicinam qualem exercuerunt. Theologia peculiaris: præcipuum illius dogma: animarum immortalitas: mundi finis: docuerunt etiam Rhetoricam, Geographiam, Astronomiam, Philosophiam naturalem, Ethicam. Druidum inter se ordo: in Republica Autoritas. Prætextu Religionis, omnibus se immiscuerunt negotiis. Excommunicatio peccantium: eorum sacra: ἀνθρωποθυσία: humanorum hostium duo genera. ἀνθρωποθυσίας mos, ex Diodoro, Cæsare, Strabone, Dione, aliisque. Superstitionem abolendi, Romanorum conatus irritus. Liberata Britannia per Evangelium. Christianæ Religionis in Insula hac primordia. Josephus Arimathensis. Claudia. Pudens; de Lucio rege. Inter eum & Eleutherium commercium Epistolicum. Autor Historiæ Beda. In tempore assignando error. Henricus de Erfordia. Ado. Epistola Eleutheriana successus secundùm Galfridum, & Lelandum. Lucius an Apostolatum suscepit. Præjudicio cedit Camdenus. Historiæ falsitas ostenditur. Historia Britanniæ sub Romanis compendium. Devicta à Claudio. in formam Provinciæ redacta; pæne excisa à Paulino Suetonio; pacata per Agricolam. Regium nomen & Autoritas per totam provinciam sublata. Tempore Commodi Imperatoris nullus in Britannia Rex. Non Lucius. Defensio Historiæ Baronianæ examinatur. Nullus Lucius regnum obtinens, neque intra neque extra murum Hadrianum. Lucius iste quis. Epistola Eleutherii ficta.

IDololatricam Superstitionem in insulas hasce Britannicas, post Diluvium unà cum primis incolis delatã fuisse, tam certum est, quàm incertum quinam illi primi incolæ fuerint, aut undè ipsæ insulæ Britanniæ, aut Britannicæ dictæ sint. Etenim primas Gentium Nationúmque omnium pænè Origines ita obscurârunt temporum intervalla, rerum humanarum vicissitudines, sæculorum antiquissimorum barbaries, atque in iis quæ primis proximè successerunt Scriptorum defectus

ctus, cum inanium fabulatorum audacia, ut frustra plerumque in iis eruendis sudent præstantissima ingenia. Plurima itaq; sunt quæ penitus se ignorare ingenuè fatentur Viri docti; eorum verò nonnulla quæ se pulchrè callere opinantur, vereor ne majori revera cum sui & veritatis dispendio ignorent, quàm ea quæ se penitus nescire sentiunt; cùm longiùs à veritate deflectere nos cogat falsorum pro veris approbatio, quàm mera ignoratio veri. In plerisque, ultra ea quæ à Græcis & Romanis discimus, meræ dominantur conjecturæ. Qua autem fide, religione, & rerum antiquarum peritiâ, in populorum primordiis referendis, illorum scriptores nominatissimi versati sint, satis ex eis compertum habemus, quorum nobis aliunde certissima est notitia. Nemo ignorat, quibus origines Judaicas mendaciis, uno quasi ore obruere conantur, fabulis scilicet portentosissimis, ex vanis traditionibus concinnatis, vel quas ex proprio cerebro finxerunt, ut araneæ telas. Vt eis autem in rebus incertis, quibusque ad metas hæreo animi dubius, fidem adjungam, quos in omnibus quorum mihi certa contigit notitia, splendidè, imò prodigiosè mentitos esse sum expertus, haud facilè adducor. Britannicarum ideo Gentium Origines in tenebris latere non est cur miremur; cùm omnium pænè nationum primordia, iis solis exceptis quæ extra controversiæ aleam posuit sacra pagina, eadem premat nox caliginosa. Id autem Britannis cum paucis aliis peculiare est; quòd ad communem calamitatem duplex accesserit incommodum; utrumque temporum antiquissimorum tenebris augendis, nimis opportunum. Cùm enim insulares essent, & à reliqui orbis commercio exclusi, neque sui nominis memoriam cum aliis communicandi, neque aliorum seu traditiones seu notitias sibi comparandi facultatem habuerunt. Deinde, si tantum nefas, fas sit credere, post cognitum literarum usum, illi qui inter eos oculatissimi & sapientes habebantur, qua ipsi in perenni essent admiratione, utque ne quidquam sine eorum opera, cognosci à quoquam posset; (quod in animo habuisse antiquos jurisconsultos ostendit Cicero pro Muræna) Scriptis, nihil antiquitati commitere voluerunt; cùm itaque plurima, si non omnia, quæ ad origines harum nationum accuratè investigandas necessaria sunt, oblivione penitus sint deleta, satis mihi erit eorum quæ supersunt, seu verorum, seu verisimillimorum vestigia, premere.

Insularum harum incolas à *Japheti* posteris ortum duxisse, consentiunt omnes, verbis Spiritus sancti freti; Gen. cap. 10. v. 5. *Ab istis* (hoc est Japheti filiis) *separatæ sunt insulæ Gentium in terris suis, singulæ ad linguam suam, ad familias suas, in gentibus suis.* Ab hisce verbis, ad

tempora

tempora Cæsariana, (quantum seculorum inane) liceat illud Poetæ usurpari;

Quocunque aspicio nihil est nisi Pontus & Aer
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.

Quæ manent veritatis vestigia, conjecturis sunt eruenda. Quamvis enim certissimum sit Insulas hasce, contra ac sentit doctissimus Camdenus, antiquis Græcis ac Tyriis cognitas fuisse, nemo tamen repertus est, qui de iis seculorum memoriæ quidquam mandavit. *Qui mortales* (inquit Tacitus) *Britanniam initio coluerunt, indigenæ an advecti, ut inter Barbaros parum compertum.* Annal. 14. Quaque in obscuritate res Britannæ omnes, sibi homini sapientissimo, & omnis scientiæ orbis terrarum beneficiis instructissimo, in proxima Gallia aliquot annos agenti, obvolutæ erant, ipse Cæsar testatur, lib. 4. de Bell: Gall. *magno sibi* (inquit) *usui fore arbitrabatur, si modo insulam adisset, genus hominum perspexisset, loca, portus, aditus cognovisset; quæ omnia ferè Gallis erant incognita, neque enim temere præter mercatores illo adit quisquam, neque iis quidquam præter Oram maritimam, atque eas regiones quæ sunt contra Galliam, notum est.* Is libro Quinto, incolas interiores Aborigines seu αὐτόχθονας statuit. *Britanniæ pars interior*, inquit, *ab iis incolitur, quos natos in insula ipsa, memoriæ proditum dicunt*; quasi scilicet, homines, terra quasi fungos aut blita germinasset. Pleniùs Tacitus in vita Agricolæ; *Cæterùm Britanniam qui mortales initio coluerunt, indigenæ an advecti, ut inter Barbaros parum compertum. Habitus corporum varii, atque ex eo argumenta. Namque rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem asseverant. Silurum colorati vultus, & torti plerunque crines, & positu contra Hispaniam, Iberos veteres trajecisse, easque sedes occupasse fidem faciunt. Proximi Gallis & similes sunt, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris, positio cœli corporibus habitum dedit; in universum tamen æstimanti, Gallos vicinum solum occupasse credibile est.* Ineptum est, quòd insulas hasce à Gentium vicinarum colluvie habitatas innuat; proprius à vero quod incolas è Gallia trajecisse putet. Dudum enim est quòd doctiorum plurimi discesserint in Camdeni sententiam, asserentis Gallos & Britannos eadem stirpe esse prognatos, atque hos ex Gallia huc trajecisse. Eandem contendit fuisse utriusque Gentis linguam, quamvis ægrè consentiant Cæsar & Tacitus, ex variis vocabulis, quæ cum Gallis in usu fuisse antiqui Scriptores testentur, adhuc retinent Walli, genuinæ antiquorum Britannorum reliquiæ. Eandem telam, ope Lexici Davisiani nuperrimè pertexere aggressus est, in *Originibus Gallicis* Boxhornius.

Diximus

Diximus è Filiis & Posteris *Japheti* Insularum Europæarum incolas ortum duxisse. Filius autem ejus natu maximus *Gomer* dicebatur. Ab eo *Cymbros* prognatos esse plurimi arbitrantur. *Walli* verò, qui soli antiquorum Britannorum posteri germani, *Kymroes*, hoc est *Gomeros* se appellant; nationem suam *Cumro*, & linguam *Cumrax*. Hinc contendit Camdenus antiquos Britannos Cimbros fuisse, atque è proxima Gallia huc trajecisse, cùm iidem sint Galli, Cimbri, ac Celtæ. Adde quod *Gomer*, *finiens* significat, à גמר *finire*; quasi ominis aliquid in ὀνοματοθεσίᾳ fuisset, ac prædictum illum terrarum orbis *Fines* occupaturum. Atque hæc quidem sunt admodum verisimilia, quæque sum amplexurus, donec quis meliora docuerit. Taceri autem non debet, Britannorum plurimos se *Kymroes* seu *Cambros* dici; Cambros autem à Cambria, quod nomen ei parti insulæ impositum, quæ Cambro Bruti filio sortito obtigit, arbitrari. Atque hæc omnia in eodem nos loco, quo invenimus, relinquimus; ista contenti retulisse, quibus certiora non suppetunt.

Hæc de incolis ipsis Britanniæ nomen antiquissimum est. Ejus multæ extant originationes à pluribus excogitatæ, falsæ plurimæ, si non omnes, aliquæ ridiculæ. *Eliota*, vir nobilis & doctus, in Dictionario quod à se auctum edidit *Cooperus*, Britanniam arbitratur, à Græco vocabulo πρυτανεία dictam esse. Πρύτανις Athenis Rector erat Fori, & πρυτανεία dignitas ista *Prutanica*; etiam per πρυτανεῖα, nundinas publicas aliquoties intelligebant. Cùm ideo insulam hanc rebus ad commeatum opportunis abundare perciperent Græci, πρυτάνειαν eam vocarunt; unde nata est *Britannia*. Sed multimodè peccat hæc conjectura; primo enim Insulas hasce Græcis antiquissimis non tantùm notas reddit, sed & admodum familiares; cùm *Herodotus* testetur, se nescisse unde Stannum advectum esset, quod non aliunde habuerunt, quàm ex his Insulis. Deinde quamvis ego neutiquam cum Camdeno dicerem, Regiones hasce Græcis ante Cæsaris adventum penitus ignotas fuisse, nullus tamen dubito quin Britannicæ dictæ sint, longè antequam Athenienses huc appulisse quisquam fingere audeat, cùm novitia fuerit eorum θαλαττοκρατία. Balæus nomen Britannicum arcessit à *Brytona* nymphâ Cretensi, quæ quo vitaret Minois vim stuprum inferentis, in aquas præcipitem se dedit. Istiusmodi fabulas sexcentas cuivis sciscitanti suppeditabit Græcia mendax. Beda, à Britannia in Gallia, quæ Armorica prius dicta, à Britannis hinc illo trajectis nomen accepit. Omnium autem stultitiam exuperat delirium Goropii Becani, qui *Britanniam* dici vult quasi *Bri-danium*, hoc est, prout ipse intepretatur, *libera Dania*; cùm toto orbe celeberrimum esset nomen Britannicum, ante illud Daniæ aut Danorum notum aut

natum. Humfredus Lluddus, nomen hoc à *Prid* & *Cain*, duabus voculis Britannicis, quæ *formam candidam* significant, deducit. Ei conjecturæ nemo est quod sciam qui suffragatur, quamvis haud æquè ac aliæ, quæ stipulatores nactæ sunt, sit absurda.

Hisce omnibus rejectis, duæ restant nominis hujus Etymologiæ, quæ adhuc Virorum doctorum suffragiis munitæ, stationem suam tutantur. Prima ea est quæ Historiæ adventus in hanc Insulam Bruti, *Trojano à sanguine*, innititur; abs eo enim insulam Britanniam, ac incolas Britannos dictos fuisse olim creditum erat. Vetus est opinio, & quæ in publicis aliquot Regum hujus Insulæ Actis, mentionem obtinuit. Eam autem totam historiam à Camdeno & Eliotâ exagitatam, & loco suo motam, nullo tandem loco numerandam censent, ex recentioribus plerique. Horum ego in sententiam totis animis vadam, tum cùm de alia nominis ratione, quidquam exploratum habeam. Secunda est ipsius Camdeni, qui à *Brith* vocabulo Britannico nomen illud fluxisse asserit. Brith autem, uti ait, *pictum* significat; atque à Davisio sanè in Dictionario redditur *diversicolor* seu *maculosus*. Ei voci terminatio Græca *Tania* addita, produxit Britanniam. Certè Britannos se pingere solitos fuisse, atque inde *Pictos* Romanis dictos fuisse, memoriæ plurimi prodiderunt. Ipse Cæsar lib.5.de Bell. Gall. narrat, *omnes Britannos vitro* (verbum variè à variis emendatum, per *nitro*, *luteo*, *glauco*, *glasto*, *ultro*, *guasto*,) *se inficere, quod cæruleum efficit colorem, atque hoc terribiliori esse in pugna aspectu*. In sententiam itaque hanc Camdeni discesserunt plurimi. Georgius Hornius vir doctissimus in præfatione sua ad *origines Gallicas* Boxhornii, incolas quod toto corpore picturati essent, cum sua lingua, id est, Cimbrica, *Prith* (*Brith* dicere voluit) pictum significet, Britannos dictos esse, quasi res extra controversiam sita esset, intrepidè pronuntiat. At verò, si summo illi Antiquitatum Britannicarum promicondo absentiri fas sit, fateor me conjecturæ huic subscribere non posse, idque, ut propter rationes alias, ita etiam quod in ea expromenda, sibi ipsi adversatus fuerit, Vir alioquin magnus, & impensè doctus. A quibus enim quæso Insularum harum incolæ, *Britten*, à *Brith*, seu Picti dicerentur? à seipsis? at ostendit prius Camdenus, quod verissimum est, eos se non aliter quàm *Cymeroes*, ac linguam suam *Cymraec* aut vocare, aut unquam vocasse; indeque illos ex antiquis Cymbris prognatos probat idem vir doctus. An à Græcis ipsis? at Insulas hasce ante tempora Cæsariana, saltem diebus Polybii Megalpolitani, Græcis ignotissimas fuisse pronuntiat, & neque Græcorum ullos scivisse qui mortales oras has possiderent, picti, an nitidè vestiti, contendit. Vellet ideo, Græcos

cum

cùm conspicerent hujus Insulæ incolas, corpora sua colore cæruleo infecisse, ab iis didicisse quomodo, Pictus, eorum lingua diceretur, eíque vocabulo *Tania* addidisse, unde profluxit *Britannia*, cùm nondum scirent quinam mortales, albi an atri, sedes in ea posuerint. Neque Græcis in sua lingua verba defuerint, ad *pictos*, & *gentem pictam* exprimendam, si ab iis arcessenda sit vocis originatio. Cùm itaque certum sit Britannos se nunquam *Britten* seu Pictos vocâsse, à Brith picto, sed Cymeros constanter, atque insulam hanc *Britanniam* dictam fuisse longè ante quàm Græci cognoverint qui qualésve mortales eam possiderent, cúmque absurda videatur nominis compositio in qua terminatio Græca longè superat fundamentum Cimbricum, ut illud prætercam non mihi usque adeò verum videri omnes Britannos pictos, aut dictos, aut fuisse, (nam quamvis omnes colore cæruleo se infecisse Cæsar testetur, non ideo tamen eos pictos fuisse dicit, atque notum est gentem fuisse Caledoniam habitantem, quæ peculiariter picta dicta erat) non possum negare decollâsse mihi eam spem omnem, cujus aliquandiu plenus fui, aliquid certi de origine nominis Britannici, ex hac Viri summi conjecturâ colligendi.

Veritati extricandæ novam adhibet conjecturam Vir undiquaque doctissimus Sam: Bochartus Geog: sac: p.2.cap. 39. Postquam enim ostenderit Insulas hasce Oceano circumlatas, Græcis notas fuisse, atque à Plumbo & Stanno, quibus sunt fœcundissimæ, *Cassiterides* dictas, hanc etiam Tyriis cognitam, atque ob eandem causam ברת־אנך *barat anac*, seu *Agrum* aut *Terram stanni* appellatam fuisse docet; inde inter Græcos & Latinos, nomen *Britannia* profluxisse, videri potest. Longior res est quàm ut ei mihi aliud agenti fas sit insistere. Brevi dicam quid sentio; vel quia aliæ omnes attentè diu consideratæ, aut displiceant prorsus, aut placeant minus, conjectura hæc Viri summi ipsa novitate commendetur; vel quia veri lumen aliquod ex ea maximis in tenebris elucescere mens sentiat, eam supra alias omnes mihi arridere fateor. Scio hanc nominis Britannici originationem à viro doctiss: Georgio Hornio, in *Introductione ad Geographiam antiquam*, atque præfatione *ad Origines Gallicanas Buxhornii*, sugillatam & repudiatam esse. Qua ratione? eâ scilicet, quod Phænices non nisi serò admodum; ídque post gentes alias septimo loco aut octavo, inter quas nonnullæ Græcæ, θαλαττοκρατίαν obtinuerint, atque in maria hæc navigaverint. Atque ita eâdem opera, & Etymologiam Britanniæ rejicit, & fundamentum plurium aliorum, quæ mihi è tenebris eruisse conatu Heroico, & successu mirabili visus est Bochartus, dejicere & evertere contendit. Nolo Ego in messem alienam

 falcem

falcem immittere; dicam tantum, mirum mihi videri, quenquam hominem Græcorum fide & autoritate nixum, in animum suum inducere posse ut crederet, Phœnices, qui in ipsam Græciam colonias intulerant, aliquot seculis antequam Græci usquam domo pedem retulerint, nonnisi serò, eorum respectu, orbis terrarum maritima perspecta habuisse.

Quæcunque autem tandem vera sit nominis Insulæ hujus origo, quicunque incolæ antiquissimi fuerint, certissimum est, Britannos Idololatrica superstitione penitissimè fuisse inquinatos. Ab ultima autem Antiquitate notiores fuerunt Sacrorum Antistites Britannici, quorum scilicet Disciplina in alias Gentes longè latèque se diffuderit, quam ipsa Numina quæ eorum opera coluerunt Britanni. Ii Druidæ seu Druides fuerunt, de quibus posthac agendum. Eos *Deum unum colendum docuisse* affirmat Origines in cap. 4. Ezech: si id verum sit, ipse unus *Sol* erat; non Sanctissimus cœli ac terræ Conditor, à cujus cognitione longissimè abfuit sæva Druidum superstitio. Ei Luna addita, à fœminis culta. Inde Dio Histor. lib. 62. ἡ Βουνδουίκα τὴν χεῖρα ἐς οὐρανὸν ἀνατείνασα εἶπε, χάριν τε σοὶ ἔχω ὦ Ἀνδράστη, καὶ προσεπικαλοῦμαί σε γυνὴ γυναῖκα. *Boadicia manu ad cœlum erecta, Gratias tibi ago inquit Andraste* (fortè Astarte) *teque mulier mulierem invoco.* Luna autem communiter Regina cœli, atque apud Britannos Victoriæ largitrix. Quia autem sydera cœlestia coluerunt, *sublatis ad cœlum manibus* eos preces fudisse narrat Tacitus, in vita Agric: ut & de Boadicia Dio. Druidum superstitionem in Britannia ortam fuisse Cæsar affirmat. Lib 6. de Bell. Gall. *Disciplina,* inquit, *in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur; & nunc qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque discendi causa illo proficiscuntur.* Tacitus etiam quo probet Gallos vicinum solum occupasse, addit, *eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasione.* Gallos verò Mercurium, Apollinem, Martem, Jovem, & Minervam coluisse, refert Cæsar. Eorum autem & nomina & cultum eos à Græcis Massiliensibus accepisse, alibi ostendimus. Ab iis etiam imaginum & Simulachrorum usum didicerunt; antiquis Gallis, teste Lucano, ignotum.

Simulachraque mæsta Deorum
Arte carent, cæsisque extant informia truncis
Ipse situs, putrique facit jam robore pallor
Attonitos.

Horum itaque superstitio Britanniam nunquam invasit. Antiquissima Gallorum Numina, eis cum Britannis communia, illa erant quæ memorat idem Lucanus.

Et quibus immitis placatur sanguine diro

Teutates,

Teutates, horrenſque feris altaribus Heſus.
Et Taranis, Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Teutates à *DiwTaith* profluxiſſe nonnulli cenſent. Vocabula ſunt Britannica, *Ducem itineris* ſignificantia. Cunctas autem pæne gentes Babylone diſperſas, Solem, tanquam itinerum & peregrinationum ſuarum Ducem coluiſſe, ſuperius oſtendimus. Moloch Ammonitarum Idolum, Solem fuiſſe conſentiunt Docti omnes. Ejus ſacra enarrabimus in Idololatriæ Judaicæ expoſitione. Eis nihil pene uſquam par aut ſimile in Gentium ſuperſtitione occurrit, ea præter quæ de Gallis qui cultum omnem religioſum à Britannis acceperunt, memoriæ à Cæſare prodita ſunt. *Immani*, inquit, *magnitudine ſimulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent, quibus ſuccenſis circumventi flammâ exanimantur homines.* Teutates itaque Sol. Heſus quis fuerit incertum: & ut conjecturarum incertitudinem videas, nomen ab עזוז hizzus voce Hebraicâ, quæ *fortem* ſignificat, deducit apud Bochartum Goſſelinus. Camdenus ab *Haud*, vocabulo Britannico, quod *Canem* denotat.

Taranis à Taran deducitur, hoc eſt, tonitru; ita Wallis dicitur, ut Anglis **thonder**, Belgis *donder*; unde *donderſdag*, & **thunderſday**, ſeu **thurſday**. Numen aliquod aeri præſidem intelligebant; niſi fortè à *Tarian* quod eſt Clypeus aut ſcutum ita dictum putemus. Sed mallem à *taran*, quia eum aſperrimis victimis placare mos erat.

Deos ullos ἀνθρωποφυῆας eos coluiſſe nullum teſtimonium extat aut memoria. Varia tamen temporis proceſſu ſimulacra Idolis hiſce, teſte Gilda, poſuerunt. *In Britannia*, inquit, *ſunt portenta ipſa diabolica, pæne numero Ægyptiaca vincentia, quorum nonnulla lineamenta adhuc deformibus intra vel extra deſerta mænia ſolito more rigentia torvis vultibus intuemur.* Nec plura de Idolis Britannorum memorantur, quamvis ſine dubio maximum fuerit apud eos ſuperſtitionis Chaos. Sed notior erat Inſularum harum ſuperſtitio ab adminiſtris, quàm à Diis; de iis ideo agendum.

Sacris Britannicis præfuerunt Druides vel Druidæ. Eo nomine celebres fuerunt per totam undique gentem Celticam, ſeu Cimbricam. παρά τε Κελτοῖς καὶ Γαλάταις τοὺς καλουμένους Δρυΐδας Diogenes Laert. in operis procœmio. Hominum ordini & ſuperſtitioni Britanniam originem dediſſe, ex Cæſare antea docuimus. De vocis Etymo inter doctos non convenit. Incertiſſima ſunt quæ referuntur de Dryide, & ſucceſſore eius Bardo, Celtarum Regibus, aliaque quæ Balæus collegit. Montanus, *Dry, magum* ſignificare dicit, atque inde Druydes à Græcis ita dictos fuiſſe, cùm *magi* fuerint. Voſſius à *Drw*, ſeu *Trou*, voce Germanica, quæ veracem &

& fidelem, ut Anglica true significat, nomen illud profluxisse arbitratur. Communior, & sine dubio verior vocis originatio ea est, quam primus Plinius tradidit lib. 16. cap. ult. *Nihil*, inquit, *habent Druidæ visco & arbore in qua gignatur (si modo sit robur) sacratius; jam per se roborum eligunt lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Græca possint Druidæ videri.* Δρῦς robur est; & Druides ἀπὸ τῆς δρυός. Adde quod *drw* Britannicè idem sonat. In lucis autem roborum, & Quercetis Druides sacra peragisse agnoscunt omnes. *Excisi luci sæva superstitione sacri*, inquit Tacitus. Ob eandem etiam causam *Saronides* dicti. Theologos Σαρωνίδας ὀνομάζουσι ait Diodorus lib. 5. à Quercubus scilicet. Unde Callimachus Hym: in Jovem.

Η πολλὰς ἐφύπερθε σαρωνίδας ὑγρὸς Ἰάων
Ἤειρεν.

Certè multas supernè quercus humidus Iao
Ferebat.

In quem locum Scholiastes, Σαρωνίδας δρῦς; atque vocis rationem subjungit. Signum etiam Jovis apud Celtas quercum altissimam fuisse, testatur *Maximus Tyrius.*

Bardi an ex Druidibus fuerint ad opus peculiare destinati, an aliud genus hominum incertum. Eorum officium celebrat Lucanus.

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Et Marcellinus; *Bardi fortium virorum illustria facta heroicis composita versibus, cum dulcibus Lyræ modulis cantitârunt.* Atque ante eum Diodorus; εἰσὶ δὲ, inquit, παρ' αὐτοῖς καὶ ποιηταὶ μελῶν, οὓς Βάρδους ὀνομάζουσι. Similiter etiam Possidonius apud Athenæum lib. 6. τὸ δὲ ἀκρόαμα αὐτῶν εἰσὶν οἱ καλούμενοι βάρδοι, ποιηταὶ δὲ οὗτοι τυγχάνουσι, μετ' ᾠδῆς ἐπαίνους λέγοντες. Sunt etiam adhuc inter Cambro-Britannos nonnulli Carminibus & Genealogiis texendis occupati, quos Bardos vocant.

Sacrorum inter Celtas Antistites, in tria genera distribuit Strabo, lib. 4. Bardos scilicet, Vates, & Druides; rectius si duo genera Vatum dixisset, Bardos, & Druides: nam Vatibus, ea quæ Druidis propria erant, assignat, Ὀυάτεις δὲ (inquit) ἱεροποιοὶ καὶ φυσιολόγοι, *vates sacrificant, & naturam rerum contemplantur, seu docent.* Sacris enim omnibus Druides præfuisse ex Cæsare ostendimus.

Habitu autem peculiari, quo ad se Vulgi venerationem attraherent, Druides usi sunt. Refert Johannes Theophilus se eum in sex lapideis imaginibus deprehendisse expressum. *Erant*, inquit, *septem pedum singulæ,*
nudis

nudis pedibus, capita intecta; Græcanico pallio & cucullato, perulâque & barba ad inguina dimissa, & circa naris fistulas bifurcatâ; in manibus liber, & baculus Diogenicus; severa fronte, & tristi supercilio, obstipo capite figentes lumina terris.

In Sacris veste usi sunt candidâ, teste Plinio, lib.16. cap. ult. *Sacerdos candida veste arborem scandit, falce aurea demetit, candido id accipitur Sago.*

Academias studiorum gratiâ in lucis instituerunt.

nemora alta, remotis
Incolitis lucis; Lucanus.

In iis, Scholas habuerunt studiosâ juventute refertissimas. *Ad eos,* inquit Cæsar, *magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit.* Mela etiam lib 3.cap.11. *Docent multa, nobilissimos gentis, clam & diu vicenis annis.* Tot annos in studiis posuisse antequam ad Doctoratum essent promoti Cæsar testatur. *Nonnulli,* inquit, *annos vicenos in disciplina permanent.* Studiorum illecebræ, privilegia studiosorum, & summa provectorum autoritas. *Druides,* inquit, idem Cæsar, *à bello abesse consueverunt, neque tributa unà cum reliquis pendunt, militiæ vacationem omniumque rerum habent immunitatem: tantis exciti præmiis & suasponte multi in disciplinam conveniunt, & à propinquis parentibusque mittuntur.* Autoritatem statim videbimus.

Institutionis methodum Idem narrat. *Magnum numerum versuum ediscere dicuntur: neque fas esse existimant, ea* (sacra) *literis mandare, quum in reliquis ferè rebus publicis privatisque rationibus literis utuntur. Id mihi,* inquit, *duabus de causis instituisse videntur; quod neque in vulgus disciplinam efferri velint, neque eos qui discunt literis confisos minus memoriæ studere, quod fere plerisque accidit, ut præsidio literarum,* diligentiam *in perdiscendo, ac memoriam remittant.* Philosophiam variam excoluerunt, & pæne omnigenam. Magiam eis adscribit Plinius. *Sed quid ego,* inquit, *commemorem in arte oceanum quoque transgressa, & ad naturæ inane provecta? Britannia hodieque eam attonita celebrat, tantis ceremoniis ut dedisse Persis videri possit.*

Medici etiam fuere, teste eodem Plinio. lib.3.cap.1. *Tiberii Cæsaris principatus, sustulit Druidas, & hoc genus vatum medicorumque.* Medicinam autem Magiæ mistam eos coluisse idem docet, lib.16.cap.33.

In Theologia multa peculiaria docuerunt, nonnulla præstantia. Singulariter ac seorsim ab aliis sapuisse notat Lucanus, lib.1.

Et vos Barbaricos ritus moremque sinistrum
Sacrorum Druiaæ, positis repetistis ab armis:

Solis

Solis nosse Deos & cœli numina vobis
Aut Solis nescire datum.

Præcipuum Theologiæ dogma, animas non interire neque mundum; Αφθάρτους ϗ λέγουσιν τὰς ψυχὰς ϗ τὸν κόσμον, inquit Strabo; *animas & mundum immortales statuunt.* Et Cæsar, *inprimis hoc volunt persuadere, non interire animas; sed ab aliis post mortem transire ad alios; atque hoc maximè excitari ad virtutem putant, metu mortis neglecto.* Quæ verba Cæsaris ita egregiè effert Lucanus.

vobis autoribus Umbræ
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt; regit idem spiritus artus
Orbe alio; longæ, canitis si cognita, vitæ
Mors media est; certè populi, quos despicit Arctos,
Fœlices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud urget, lethi metus; inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis; & ignavum est rediture parcere vitæ.

Mundum verò tandem igne & aqua destruendum docuerunt. Ἐπικρατήσειν δέ ποτε ϗ πῦρ ϗ ὕδωρ, ut Strabo; dubium an rectè mente eorum percepta, qui forsan ex antiqua traditione, per aquam mundum olim destructum, per ignem denuo consumendum docuerunt.

Operam etiam dederunt Eloquentiæ & Rhetoricæ. *Habent tamen,* inquit Mela, lib.3. *& facundiam suam, magistrosque sapientiæ Druides.* Et nemini ignotum Symbolicum Herculis Ogmii simulachrum.

Theologiæ etiam miscuerunt Geographiam & Astronomiam. Idem Mela; *Hi terræ mundique magnitudinem & formam, motus cœli & syderum scire profitentur.* Atque ipse Cæsar; *multa de syderibus atque eorum motu, de mundi & terrarum magnitudine, de rerum natura,* (Philosophia naturali) *disputant, & Juventuti transdunt.*

Hisce addiderunt Ethicam, teste Diogene; op: procem: ϗ φασὶ τοὺς Δρυΐδας αἰνιγματωδῶς ἀποφθεγγομένους φιλοσοφῆσαι, σέβειν θεοὺς, ϗ μηδὲν κακὸν δρᾶν, ϗ ἀνδρείαν ἀσκεῖν: *aiunt Druidas obscurè & per sententias* (memoriter scilicet ediscendas) *philosophari; colendos Deos, nil mali faciendum, exercendam fortitudinem.*

Plurimi cùm fuerint, eum ordinem inter se coluerunt, ut unus reliquis omnibus præesset Papa. *Hoc mortuo,* inquit Cæsar, *si quis ex reliquis excellit, dignitate succedit; at si sunt plures pares, suffragio Druidum adlegitur; nonnunquam etiam de principatu armis contendunt;* quod & Romæ inter Christianos factum esse novimus.

Qua

Quâ autem Gratiâ,& Authoritate apud populos valuerunt, Idem nos docet. *Rebus divinis*, inquit, *intersunt, sacrificia publica & privata procurant, religiones interpretantur; de omnibus ferè controversiis publicis privatisque constituunt; & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, si de finibus controversia est, iidem decernunt, pœnasque constituunt.* Ita rerum alienarum satagentes, sub Religionis prætextu in res omnes publicas privatásq; se intruserunt, ipsi interim ab omni officio Reipublicæ debito immunes, imperium suum curantes in alieno. Cùm autem munus magistratus ordinariè non sustinuerint, atque adeò neque fasces aut secures, aut potestatem vitæ necisque habuerint, quæ ad obedientiam exigendam sunt prorsus necessaria, meritò quæri potest, quomodo populos in officii regionibus se continere, ac sibi in omnibus dicto esse audientes, coegerint. Huic itaque incommodo Excommunicationis Politico-religiosæ inventione succursum est; atque ita completa Autoritas quædam Cæsareo-papalis. *Si quis* (idem Cæsar) *aut privatus aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt; hæc pœna apud eos est gravissima; quibus ita est interdictum, ii numero impiorum & sceleratorum habentur, iis omnes decedunt, aditum eorum sermonémque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.* Aut nullus est, aut nihili, qui non intelligit totum hoc iniquitatis mysterium dudum traductum in Christianismum.

Restant Sacra, & Deorum cultus. Ea varia fuerunt, & immania pœnè omnia. Cæsare post primum in Insulam hanc ingressum, reverso, seu potiùs fugato, *Britanni diversa sacrificia facientes occisioni pecudum indulserunt; litaverunt ibi quadraginta millia boum, & centum millia ovium, diversorúmque generum volatilia quæ sub numero non facilè cadebant: præterea triginta millia silvestrium ferarum cujuscunque generis collectarum,* Verba sunt Galfridi, lib.1 cap 24. hoc est projectissimæ ad quidvis fingendum audaciæ & impudentiæ hominis. Præcipuum quod ab Authoribus fide dignis de sacrificiis Druidum memoratur, ἀνθρωποθυσία est. Duo verò fuerunt hostiarum humanarum inter eos genera; primum privatum, cùm quis scilicet, vel se vel alium pro alterius salute devoveret; *Qui gravioribus sunt morbis affecti, quique in prœliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur, quod pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortalium numen placari arbitrantur*, ait Cæsar. Hæc autem, ut ex Strabone aliisque patet, ejus immolationis forma erat. Admotâ ad aram hostiâ, sacerdos vinum, seu

ubi hoc deerat, alium quendam liquorem fronti ejus inspergebat, deinde capillis primoribus manu læva arreptis, igni libamina affundebat, preces simul seu vota Diis peragens, mox ipsa hostia gladio feriebatur; ut observat Cluverius. Alterum genus publicum erat, nec uti prius observavimus, ei dissimile quo colebatur in Oriente Molocus. *Publicè etiam*, inquit Cæsar, *habent instituta sacrificia. Habent enim immani simulachra magnitudine, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent, quibus succensis, circumventi flamma exanimantur homines.* Hæc ille de Gallis, qui Druidas ipsos, atque totam hanc superstitionem à Britannis acceperunt. Similiter Strabo, lib. 4. ἄνθρωπον γὰρ κατεσπεισμένον παίσαντες εἰς νῶτον μαχαίρᾳ, ἐμαντεύοντο ἐκ τοῦ σφαδασμοῦ, ἔθυον δὲ οὐκ ἄνευ Δρυϊδῶν, καὶ ἄλλα δὲ ἀνθρωποθυσιῶν εἴδη λέγεται. καὶ γὰρ κατετόξευόν τινας, καὶ ἀνεσταύρουν ἐν τοῖς ἱεροῖς, καὶ κατασκευάσαντες κολοσσὸν χόρτου, καὶ ξύλον ἐμβαλόντες εἰς τοῦτον, βοσκήματα καὶ παντοῖα θηρία καὶ ἀνθρώπους ὡλοκαύτουν. Hostiarũ publicarũ quibus sacrificabantur homines, præter illud à Cæsare memoratum, hic tria genera alia refert; aut enim feriebantur immolandi, gladio, aut configebantur sagittis, aut etiã in cruces acti sunt; atq; his addit morẽ illũ homines comburendi in simulachris Colossæis inclusos. Aliud adhuc mortis genus in sacrificiis hisce usurpatum memorat Diodorus lib. 5. τοὺς κακούργους, inquit, κατὰ πενταετηρίδα φυλάξαντες ἀνασκολοπίζουσι τοῖς θεοῖς, καὶ μετ' ἄλλων ἀπαρχῶν καθαγίζουσι πυρὰς παμμεγέθεις κατασκευάζοντες. *Noxios quinquennio servatos sudibus adfixos Diis sacrificant, cumque aliis primitiis super ingentes pyras immolant.* Igne itaque, gladio, sagittis, cruce, sudibus præacutis, prout libuit, immolandos sustulerunt. Neque in noxios solum scelus hoc perpetratum; *etiam ad innocentium supplicia descendunt*, inquit Cæsar. Qua immani autem feritate se in sacrificiis publicis ferebant Britanni, testatur lib. 62. Historiarum Dio. τοῖς δὲ ἁλισκομένοις ἀνθρώποις ὑπ' αὐτῶν οὐδὲν τῶν δεινοτάτων ἐστὶν ὅ,τι οὐκ ἐγίνετο· καὶ ὃ δὴ δεινότατον καὶ θηριωδέστατον ἔπραξαν, τὰς γὰρ γυναῖκας τὰς εὐγενεστάτας, καὶ εὐπρεπεστάτας γυμνὰς ἐκρέμασαν, καὶ τούς τε μαστοὺς αὐτῶν περιέτεμον καὶ τοῖς στόμασι σφῶν προσέρραπτον, ὅπως ὡς καὶ ἐσθίουσαι αὐτοὺς ὁρῷντο· καὶ μετὰ τοῦτο πασσάλοις ὀξέσι διὰ παντὸς τοῦ σώματος κατὰ μῆκος ἀνέπειραν, καὶ ταῦτα πάντα θύοντές τε ἅμα καὶ ἑστιώμενοι καὶ ὑβρίζοντες ἔν τε τοῖς ἄλλοις σφῶν ἱεροῖς, καὶ ἐν τῷ τῆς Ἀνδάτης μάλιστα ἄλσει ἐποίουν: h.e. *captis autem hominibus omnia gravissima facta sunt. Id verò & crudelissimum & immanissimum, quod fœminas nobilissimas & honestissimas, nudas suspenderunt, excisasque mammas earum ad ora ipsorum adsuerunt, ut eas comedere viderentur. Ipsas deinde mulieres palis præacutis per totum corpus secundùm longitudinem transfixerunt; faciebant autem hæc omnia rem sacram simul peragentes, & epulantes, & petulanter se gerentes quum aliis in templis suis, tum in Andatæ præsertim*

luco

luco. Atque hujusmodi Sathanæ mancipia fuimus Britanni.

Ob infanda hæc sacrificia omnem Druidum Superstitionem tollere tentarunt Romani. Strabo de Gallis, lib.4. τούτων δ᾽ ἔπαυσαν αὐτοὺς Ῥωμαῖοι καὶ τῶν κατὰ τὰς θυσίας καὶ μαντείας ὑπεναντίων τοῖς παρ᾽ ἡμῖν νομίμοις. *Romani ab his eos deduxerunt, ac à sacrificiorum & divinandi ritibus qui nostris pugnabant.* Et Suetonius in Claudio, *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum civibus sub Augusto interdictam penitus abolevit.* Hoc est, voluit, in Gallia, sed frustrà; sedes & origo superstitionis Britannia, intacta. Solùm in insula Mona occisi Druides, & excisi luci à Suetonio Paulino. Factum narrat Tacitus; Annal.14. *Stabat,* inquit, *pro littore diversa acies, densa armis virisque, intercursantibus fœminis, Druidæque circum, preces diras sublatis ad cœlum manibus fundentes; novitate aspectus perculère militem, ut quasi hærentibus membris immobile corpus vulneribus præberent. Dein cohortationibus ducis & se ipsi stimulantes, ne muliebre & fanaticum agmen pavescerent; inferunt signa, sternuntque obvios, & igni suo involvunt; præsidium posthac impositum victis, excisique luci sævis superstitionibus sacri; nam cruore captivo adolere aras, & hominum fibris consulere deos fas habebant.*

Impiam verò hanc superstitionem, tandem Deo miserente, sensim sustulit Religionis Christianæ veritas cælestis. Quamvis autem Insula hæc *à toto penitus orbe divisa sit,* & à fonte Aquarum Sanctuarii quæ ad sanandas gentes exierunt remotissima, Deo tamen gratiosè illud procurante, statim pœnè ab ipsis Evangelii incunabulis delati in eam fuere gratiæ divinæ nuntii & præcones. Petrum, Symeon Metaphrastes & Menelog: Paulum, Theodoretus, & Sophronius; Simonem zelotem Dorotheus; Aristobulum, cujus meminit in Epistola ad Romanos Paulus, Nicephorus, Josephum Arimathensem pœnè omnes, præsertim recentiores è nostratibus, Balæus, Parkerus, Foxus, Camdenus, aliique, Evangelium hìc prædicâsse asserunt; & de Josepho vix apud ullos dubitatur. Hinc Britanniam, fidem Christianam suscepisse memorant antiquissimi Scriptores Christiani Tertullianus & Origenes; hic in Comment: ad Ezekiel: cap.4. Ille lib: adver: Judæos: cap.7. Claudiam etiam Ruffinam, fœminam Britannam, nobilissimam & eruditissimam, celebrat Martialis, lib.11. Epig.58.

Claudia cæruleis cum sit Ruffina Britannis
Edita, cur Latiæ pectora plebis habet!
Quale decus formæ? Romanam credere matres
Italides possunt, Atthides esse suam.

Eam Claudiam, illam fuisse cujus in 2. Episto: ad Timoth: cap.4. v. 21. Pau-

21, Paulus meminit sentiunt viri docti, & tempora conveniunt. Adde, quod eam cum Pudente sociat, quem etiam idem Martialis celebrat, lib. 7. Epig. 10.

Cogis me calamo manuque nostra
Emendare me Pudens libellos,
O quam me nimium probas amasque
Qui vis Archetypas habere nugas.

Lucium etiam Regem, cujus fertur ad Papam Eleutherium Epistola cum ejusdem Eleutherii rescripto, Regum omnium primum fidem Christianam amplexum esse, plurimi scripserunt; sicut haud pauciores Philippum Arabem, primum Imperatorem Christianum fuisse retulerint. Verùm ut liberè agam, & prout illum decet cui nihil est veritate antiquius, dudum esse, ex quo si non totius historiæ de Lucio isto, at Epistolici istius Commercii, multorumque aliorum quæ historiæ vulgo assuuntur, admodum mihi suspecta fides fuerit, ingenuè fateor.

Historiam, quòd sciam, Primus memoriæ tradidit Beda; Ecclesː Histor: lib. 1. cap 4. Is Lucium ait ad Eleutherium scripsisse An: Chr: 156. Eum sequitur Nauclerus; Eleutherium autem Ecclesiæ Romanæ, ante Annum Christi 178 non præfuisse, ostendit Baronius in Annal: Erratum itaque est in temporis assignatione. Henric: de Erfordia Anno Dom: 1169, Imperatoris Veri, decimo nono, (qui tot annos neutiquam regnavit) illud factum fuisse refert. Ado in Chronico tempus rectius disponit, & Eleutherium sub Commodo Imperatore vixisse, & Ecclesiam Romanam rexisse scribit, quod verum est; Nam finis tertii anni Eleutherii, incidit in Imperii Commodiani initium: Hoc ergo tempus esto, quo habitum est, si unquam, Epistolicum istud inter Lucium Regem, atque Eleutherium, Commercium. Incæpti successum pluribus enarrat Galfridus Monumetensis. *Nec mora*, inquit, *concurrentes undique nationum populi regis exemplum insequuntur, eodemque lauacro mundati Cælesti regno restituuntur. Beati ergo Doctores (Fugatius scilicet & Damianus Roma per Eleutherium missi) cum per totam pane insulam paganitatem delevissent, templa quæ in bonore plurimorum Deorum fundata fuerant, uni Deo ejusque Sanctis dedicaverunt, diversisque ordinatorum cætibus repleverunt. Fuerant tunc in Britannia viginti & octo Flamines & Archiflamines tres. Horum potestati cæteri judices in insula subjiciebantur. Hos autem ex præcepto Apostoli Idololatriæ eripuerunt, & vbi erant Flamines Episcopos, ubi erant Archiflamines Archiepiscopos posuerunt. Sedes autem Archiflaminum in tribus nobilioribus civitatibus fuerant, Londoniis videlicet, Eboraco, & in urbe Legiorum, quam super Oscam fluvium in Glamorgantia*

gantia veteres muri & ædificia sitam fuisse testantur. His ergo tribus, evacuata superstitione, octo & viginti episcopi subduntur.

Hæc ille; qui quid sit pudere, penitus nescivit. Quam pueriliter autem hæc commentus fuerit, statim apparebit. Neque plures habuit Flamines, aut Archiflamines superstitio Britannica, quam Galfridos Monumetenses. Cæterum haud negem distinctionis istius originem inter sacrorũ Christianorum ministros eum rite aperuisse fatente Ecclesia Romana, decret: p: pri: distinc 21. *Inter sacerdotes*, inquiunt, *quædam discretio servata est, ut alii appellentur simpliciter Sacerdotes, alii Archipresbyteri, alii Chorepiscopi, alii Episcopi, alii Archiepiscopi seu Metropolitæ, alii Primates, alii Patriarchæ, alii summi Pontifices; Horum discretio à Gentilibus maximè introducta est, qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant.* Hæc, distinctionis Autor, nudè & apertè. Modestius, & intra verecundiæ limites, doctior Lelandus. *Superest* inquit *ut insinuem casum, qui tantam e medio tulit superstitionem. Edicto cautum Romano, ne usus aut existimatio in provinciis, religione Druydarum ulla exhiberetur. Barbaræ tamen gentes patrios ritus ab ipsis Druydis ante tot secula datos & acceptos mordicus retinuerunt; donec Christus servator optimus maximus, discussis errorum & crassæ ignorantiæ tenebris lumen universo, consultore suo spiritu conspicuum orbi infunderet. Tunc Lucius ille magnus, Brytannorum decus immortale, spreta Druydarum disciplina, Evangelicam lubens doctrinam suis omnibus communem esse voluit. Eluanus ergo & Meduinus nobiles Brytanni oratores à Lucio ad Eleutherium Romam missi; ac Fugatius una cum Damiano a Romano huc remissus, religionem nunquam morituram, Deo propitio id volente solidè constituerunt.* Addunt Bavari quidam, teste Balæo, Scripto: Britannic: Centur: 1. cap: 29. Lucium hunc Apostolatum postea suscepisse, gentemque eorum ad fidem convertisse, atque id sibi laudi ducunt, se a Rege magno fuisse conversos; sed reclamant nostrates, affirmantes Lucium nunquam ex proprio regno pedem tulisse, sed fato functum esse Claudio cestriæ, anno regni sui duodecimo. Doctissimus Camdenus (cujus vestigia premit in Analectis suis Anglo Britannis Seldenus) communi cedit præjudicio. Postquam enim eorum temporum historiam ex probatissimis quibusque Historicis accuratissimè contexuisset, atque ante omnium oculos luculente posuisset, res Britannicas in eo fuisse statu & conditione à diebus Claudii Cæsaris qui Insulam in formam provinciæ redegerat, ut Regi tali, qui totam hanc insulam ditione teneret qualis Lucius hic fingitur, locus nullus reliquus esset, ipsam tamen historiam interserendam operi suo prudentèr

dentèr duxit; quam ipsa, quam exposuit rerum temporumque series, penitus exigendam clamat.

Evellere ex animis hominum tantam opinionem, tam penitus insitam, tam vetustam, non est nostri ingenii, neque propositi. Cum autem nullo in loco, multum firmamenti aut virium habeat falsitas, si id primum quod æquissimum est a lectoribus obtinuero, ut nequid huc præjudicati afferant, nullus dubito quin τιλαρχαίοις persuasurus sim, me suspicionis meæ, quæ neque mihi uni inest, causas satis justas habere, imo gravissimas

Britanniam, a Julio Cæsare, bis pænè frustrà tentatam, ab Augusto & Tiberio neglectam, cujus Oceani Conchylia in littus Gallicum ejecta maximo exercitu stipatus, triumphavit Caligula, civilibus bellis & partium studiis attritam, cum diversis Regibus incolæ paruerint, per Aulum Plautium Prætorem aggressus Claudius Cæsar, in Provinciæ formam redegit, & Plautio tradidit regendam. Historiam rerum ab eo in insula hac gestarum prolixè referunt, Dio, & Suetonius. Hujus victoriæ tanta erat iis temporibus gloria, ut non tantum ipsi Claudio nomen Britannici, & splendidissimum triumphum decreverit Senatus, sed & Plautio orcationem, & Vespasiano qui Belli reliquias prosequutus est, ornamenta triumphalia. Neque minus in ejus Provinciæ ad imperium adiectione triumphant Poetæ. Ita Seneca Tragicus; in Octau: A. 1.

— Cui totus paruit orbis
Ultra Oceanum; cuique Britanni
Terga dedere
Ducibus nostris ante ignoti
jurisque sui;

Quibus mox subiungit;

En qui Britannis primus imposuit jugum,
Ignota tantis classibus texit freta,
Interque gentes barbaras tutus fuit
Et sæva maria;

Primus versiculus vulgo legebatur;

En qui ora Tanais primus &c.

En qui Britannis, restituit Scaliger, not: ad Tibull: sed sine dubio legendum.

En qui ora Tamisis primus imposuit jugum

Cum primus *Tamisim* transmiserit Claudius, quod observatum doctissimo Cambdeno. De eodem Claudio prius cecinerat Ann. Seneca.

Ille

Ille Britannos:
Ultra noti
Littora Ponti,
& Cæruleos
Scoto Brigantes
Dare Romuleis
Colla catenis
Jussit, & ipsum
Nova Romanæ
Jura Securis
Tremere Oceanum

Elegantissima etiam sunt epigrammata illa, quæ in catalectis suis protulit Magnus ille Scaliger. Eorum nonnulla subtexere placet.

Ausoniis nunquam tellus violata triumphis
Icta tuo Cæsar fulmine procubuit.
Oceanusque tuas ultra se prospicit aras,
Qui finis mundo est, non erit imperio.
Victa prius nulli jam jam spectata triumpho
Illibata tuos gens jacet in titulos.
Fabula visa diu, medioque recondita ponto
Libera victori jam modo colla dedit.
Libera non hostem, non passa Britannia regem
Æternum nostro quæ procul orbe jacet.
Felix adversis & sorte oppressa secunda
Communis nobis & tibi Cæsar erit.
Mars Pater, & gentis nostræ tutela Quirine
Et magno positus Cæsar uterque Polo
Cernitis ignotos Latia sub lege Britannos
Sol citra nostrum flectitur imperium.

Tumultuantes autem iterum Britannos, ob civilia inter Regulos qui Romanũ jugum susceperant dissidia, (nam diebus *Cæsaris*, aut deinceps, unum Regem Insulæ imperasse somnium est Galfridianum, quodq; nemo præter eum somniaret) per Proprætorẽ P. Ostorium idem Claudius compescuit. Bellum istud accuratè memoriæ prodidit Tacitus. Sub Neronis Imperio, Boadiciæ, reginæ Icenorum injuriis & animis utrisque maximis eixctata tota Gens, omnisque in ea populi, jugum è cervicibus Romanum depellere, & libertatem avitam recuperare, fortiter & strenuè, sed frustrà, tentarunt. Finis belli, administrante Suetonio Paulino, Gentis qua excidium, quà servitium. Mortuo Nerone, dum bello civili Galba, Otho, Vitellius & Vespasianus totum penè orbem distractum tenuerunt, eousque sibi animos sumpserunt Silures, & Ordovici aliique populi, ut occasionem dederint ei bello funestissimo, qno Julius Agricola Proprætor, Taciti Historici Socer, totam Insulam in Romanorum potestatem

tem redegit, atque jure legibusque Romanis uti coegit: uno tantum in aliqua parte insulæ Regulo cum autoritate precaria relicto, Cogiduno scilicet, ut hic etiam instrumentum servitutis Regem haberent. Eo bello Galgacus devictus est, Britannorum ultimus. Parte autem aliqua Boreali insulæ, ut aspera & infrugifera Barbaris relicta, reliquam in Provinciam planè & plenè, ut loquitur Cambdenus, redegit Agricola; atque eam teste Tacito *quietam tutamque* tradidit Successori. Sublato regio nomine, atque omni ista Regulorum autoritate, quam antea populi venerati sunt, Provincia Præsidialis, seu Cæsarum, facta est Britannia. Nerva Regnante quievit; deficientes nonnullos in ordinem redegisse Trajanum refert Spartianus. Barbaros, Provinciam ex partibus insulæ borealibus bellis & latrociniis aggredientes, Muro per LXXX. m: pas: erecto coercuit Hadrianus; quod idem Spartianus narrat. Nec Bellis aut Tumultibus immune erat, in Insula hac, Antoninorum Pii & Philosophi regimen; quæ tamen omnia Lollii Urbici & Calphurnii Agricolæ virtute compressa fuêre. Commodo etiam imperante, omnia ad tempus in ipsa Provincia seditionum erant plena, atque barbaræ gentes murum transgressæ, Romanis Britannisque negotium facesserunt plurimum, & aliquoties incolarum qui proximi muro degebant, strages maximas ediderunt. Omnia vèro adventu, Ulpii Marcelli, referente Dione & Lampridio ita pacata fuere, ut ad mortem usque Commodi, adversus pacem Romanam nihil tentatum videatur. Hoc rerum Britannicarum statu & conditione, Ego, ut ingenuè fatear quæ mea est hebetudo, videre nequeam, ubi Lucius ille fuerit, qui totam hanc Insulam ἀνυπεύθυνος, & Dei solius vicarius, ut in Epistola Eleutherii vocatur, tenuit; nam in Britannia hâc nostra, eum non fuisse nimis est verisimile. Alia plane Insula videtur, quam ille inter Archiepiscopos & Episcopos distribuit, ex Britannorum procerum consensu; aliud Londinum, aliud Eboracum quibus præfuit, nam hæc nostra Romanorum imperiis subfuerunt.

Multa, adhæc reponit Cardinalis Baronius ad An: C: 183, ubi historiam hanc de Lucio profert & defendit. Primo itaque *nunquam* inquit *ante hæc tempora tota Britannia potiti sunt Romani; sed in ea complures populos indomitos permansisse liquet, qui Romanis exercitibus negotium sæpe facesserent; Rursum vero eosdem qui in Britannia Populi à Romanis fuerunt debellati, sæpe sæpius desciviße ac penitus rebellaße certum est. Nam ut de remotioribus temporibus dicere prætermittamus, constat quidem auctore Juliano Capitolino, sub Marco Aurelio conflatum eße Britannicum Bellum, sed per Calpurnium Agricolam illuc à Marco missum fuiße compreßum. Rursum verò post obitum Marci, imperante Commodo instauratum,*

tum, adeo ut Britanni (quod scribit Lampridius) voluerint contra ipsum alium Imperatorem creare, recusantes omnino parere Commodo; sed per Duces fuisse sedata omnia idem autor affirmat; Addit insuper ad hæc Dio, Britannicum Bellum his Commodi temporibus fuisse omnium maximum, sed per Vlpium Marcellum prorsus extinctum.

Mirum est Baronium hominum doctissimum, & cautum, non animadvertisse hæc & ἀσύστατα esse, & ubi veritatem habent, jugulum causæ petere, quam in se defendendam suscepit. Ἀσύστατα sunt, quibus Lucium regnasse inter populos à Romanis indomitos, & qui sæpe à Romano imperio desciverunt, quique alium Imperatorem contra Commodum creare voluerunt, innuit Nam hi plane diversi fuere. Populi enim qui à Romanis indomiti dicuntur, Barbari fuerunt extra murum, iique soli, Qui adversus Romanos sæpius rebellarunt, Britanni provinciales erant; Quique alium Imperatorem creare voluerunt Romani milites præsidiarii, ita ut planè impossibile sit ut unus idemque his omnibus imperaret. Suo autem sibi se penitus jugulat gladio, cum bellum Britannicum prorsus extinctum esse regnante Commodo per Vlpium Marcellum ex Dione docet; adeoque totam Provinciam potestati Romanorum pacate cessisse. Eo enim rerum statu, quod antea ostendimus, impossibile erat, ut Lucius in Provincia regnum obtineret; neque id quisquam unquam credet, qui non nescit quid sit Provincia Romana præsidialis. Deinde nulli Scriptores fide digni, neque indigni, quidquam memoriæ prodiderunt, de istiusmodi à Romano imperio defectione Britannorum, quâ ipsi Regem constituerent qui totam Insulam ditione teneret; qualem cum sui juris essent, & liberi, nunquam habuerunt. Bellum aliquoties, nunc ab uno, deinde ab alio, pluribusve junctis viribus adversus Romanos excitatum fuisse, ostendimus; quod tamen intra breve tempus semper erat extinctum. Tumultibus istis, extitisse istiusmodi Regem qualem Lucium fingit, non solum mendacissimus Galfridus, sed & Epistola Eleutheriana, non nisi nimio præjudicio obcæcatorum, est opinari. *Notum* illud Taciti, de Britannorum hisce temporibus statu. *Rarus*, inquit *duobus tribusque civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus; ita dum singuli pugnant universi vincuntur. Sed in ipsa provincia populi semper aliqui fuere indomiti*, inquit Baronius, quibus Lucius imperare poterat; Sed quinam quæso fuere isti indomiti populi; Miselli barbari, sedibus propriis pulsi, sine Rege, aut lege, lucos & montes, & insulæ angulos desertissimos incolentes; quibus Regē aliquem summo imperio præfuisse nulla docet fides historiæ; non doceret, si revivisceret Galfridus. Adde quod cōjectura hæc omni rei sive gestæ, sive fictæ traditioni, oblo-

quitur; supponit enim rudes & indomitos barbaros, fidem ante provinciales recepisse: cui figmento reclamant omnia rerum antiquarum monumenta, omnes Historici, qui tempore Lucii, non feros aliquot & agrestes, sed ipsam Provinciam fidem amplexam esse scribunt; Hinc est quod Sabellicus dicat *Britanniam omnium provinciarum primam publicitus cum ordinatione Christi nomen suscepisse*; Reclamat Epistola Eleutheriana, quæ Lucium totum Regnum Britannicum ex Procerum consilio moderantem producit. Cum ideo hæc infirma prorsus sint, pergit in responsionibus ad objecta Cardinalis. *Tradit*, inquit, Dio *Britannos murum illum esse transgresos qui inter ipsos & Romanorum Castra positus erat Medius*; *Quibus plane significatur Britanniam sic eo tempore fuisse divisam, ut partem illam quæ citra murum esset, Romani occuparent, alteram, vero transmurum positam Britanni libere possiderent, qui sæpe Romanis murum illum egressi præliis provocarent. Sic igitur quod Lucium Regem fuisse Britanniæ nihil prohibet*; *quantumvis Romani ex parte insulam detinerent, quin alterius ejus partis, quam Britanni liber possiderent* Rex *esse potuisset*. Sed ὐδὲν ὑγιὲς, Primo enim virum doctissimum decepit Dionis interpres; Non enim scripsit Dio, Britannos esse murum transgressos, prout versio habet Latina, *sed nationes quasdam insulæ*, Britannis scilicet proprie sic dictis, infestissimas, murum esse transgressas. Τῶν γὰρ inquit ἐν τῇ νήσῳ ἐθνῶν ὑπερβεβηκότων τὸ τεῖχος, semperque eos populos, à Britannis distinguunt Scriptores; quamvis dubitari non debet, quin multi ex Britannis, seu antiquissimis Insulæ incolis trans murum vitam egerint. In ea ideo Insulæ parte quæ extra Murum Hadrianum sita est, Lucium istum regnasse vult Cardinalis. At quotusquisque quæso est nostratium, qui novit ubi locorum murus iste erectus & ductus esset, ea quæ de Lucio, atque Regno Britannico dicuntur, Regulo nescio cui barbaro extramurali, convenire credet. Neque in dubium vocatur, utrum Lucius aliquis alicubi terrarum ad fidem Christi sit conversus, sed an istiusmodi Rex, qui Regno Britannico sub Deo solo præfuit, quem in Regni administratione instrueret Eleutherius Episcopus Romanus, publicè fidem Christianam sit amplexus. Ut taceam Archiflamines & Flamines Galfridi, quos commentum hoc una cum Londino, & Eboraco, ac Legionum Vrbe, seu Caer leon extra murum Hadrianum ejicit; Quis quæso unquam audivit Fugatium & Damianum, provinciam Romanam, quæ totum pæne Angliæ Regnum & Walliæ hodiernum amplexa est, prætereuntes, se ad barbaros extramurales contulisse; Illud etiam fabulam istam penitissime evertit, quod certissimum sit atque notissimum, barbaras gentes illas quæ ultramurales partes insulæ tenuerunt, non nisi longo post tempore, &

postquam

postquam Britannia provincialis per aliquot secula publice fidem susceperat Christianam, Christi jugum subiisse, quod ex uno Gilda de excidio Britanniæ satis constat. Tertio ideo in loco, sed obiter, & quasi sibi ipse vix fidem adjungeret, addit Cardinalis. *Potuit insuper & Lucius aliquis esse Regulus, sub Romana ditione in Britannia positus, Romanoque imperio parens.* Quamvis autem responsum hoc uno verbo, quasi eis quæ supra posuerat minime comparandum, expediat, certissimum tamen est, omnem historiæ non tantum fidem & probabilitatem, sed & colorem deesse nisi hinc arcessatur. Videamus ideo paucis num hoc etiam cum iis quæ de Lucio dicuntur, quæque Epistola Eleutheriana de eo prædicat, ullo modò conciliari possint. Primo ideo Reguli istius, apud probatos historicos qui res Britannicas scripserunt, Dionem, Julium Capitolinum, & Lampridium, altissimum est silentium; neque quidquam ab eis dicitur, quod Regulum ullum in tota Provincia, qui autoritate Regia polleret, innuat; imo ita describunt eorum temporum statum & conditionem ut nullum fuisse indicent. Deinde Lucium ad Eleutherium scripsisse ut leges Romanas sibi mittendas curaret, asserit Epistola, quod ut nulli extra muralium, nomini scilicet Romano infensissimi, facerent, ita nemo provincialium opus habuit Legatos Romam mittendi eas leges acceptas, relaturos, quas in tota Provincia, à summis viris expositas, & administratas conspicerent. Imo longe ante hæc tempora Britannos Legem Romanam apprimè calluisse, innuit Poëta. etenim

Gallia causidicos docuit facunda Britannos.

Neque Reguli isti, quos servitutis instrumenta ullubi tolerarunt Romani, ea potestate in subditos suos erant, ut penes illorum esset arbitrium quibus uterentur legibus. Etiam ridiculum est Regulum sub Romana ditione, quique ut loquitur Cardinalis, *Romano pareret imperio*, Leges imperiales ab Episcopo Romano petiisse; Quid autem hæc ad Lucium Eleutherii, ne dicam Galfridi, qui Dei Vicarius, illique soli subditus toti præfuit Regno Britannico, illudque consilio subditorum administrabat. Deinde suppositittius iste Eleutherius, cujus Epistola neutiquam antiquissimorum istorum temporum spiritum sapit, Leges Imperatorias damnat, & reiicit, tanquam civili Regni administrationi ineptas; quod verus Eleutherius nec fecisset, neque facere ausus fuisset. Ego sane minimè negarem, Lucium quendam, forsan regio sanguine prognatum, maximæ etiam inter Britannos autoritatis, Christianæ Religionis professionem circa ea tempora suscepisse, atque pro virili fidem promovisse. Eum autem, in Regem maximum, & quia notissimum erat, nemini ei in Regno successisse, ἄπαιδα mutasse fabulatores, atque Eleutheri ad

cum, quæ dicitur, Epistolam esse fictitiam, nemo, opinor, negabit, qui ab inveteratis præjudiciis, avertet animum ad veri cognitionem cogitationemque.

Libri Tertii Caput Decimumtertium.

Seu de Origine & Progressu Idololatriæ.

Caput Vndecimum.

Veri dei notitia. Qui solus cognosci potest, ignotus dicebatur. Urbis Atheniensis δεισιδαιμονία *notissima. Urbis in Idolorum nomina & cultum distributio. Gemina apud Judæos superstitio.* Πάνος *quid significet. Unum Deum naturalem agnoscunt Plurimi. Antisthenes. Brachmanes. Sophocles. Menander. Numæ Libri inventi, & combusti. Valerius Soranus. Orpheus. Homerus, Prudentius, Nomen* ἑπταγράμματον.

MEdiis hisce in tenebris, hacque rerum & Religionum omnium confusione, plurimos liquet unius veri Dei ab omnibus Diis istis fictitiis quos superstitiose coluerunt infinitè distantis, notitiam aliquam & memoriam retinuisse. Id docent Historicorum pænè omnium & Philosophorum Scripta. Quotusquisque enim est veterum Sapientum, qui non celebret Naturam aliquàm divinam super omnia existentem, regentem cuncta, conservantem, & arbitratu suo disponentem. Cùm autem solus hic Verus Deus, sui in rebus omnibus exhibeat τὸ γνωστὸν, usque adeo ut is solùm cognosci possit, quia solus est, atque penitus ignorari non possit, quia Deus est, tamen quia eis non visum est hunc solum verum Deum in notitia retinere, is solus ἄγνωστος vocabatur. Vnde cum Dei Judæorum mentio facienda erat, solemne erat addere; ὅστις ποτὲ οὗτός ἐστι, quicunque is tandem est; ut est apud Dionem Histor. lib 36. Et Νὴ τὸν ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις, apud Lucianum est in Philopat. Καὶ ταῦτα Ἀθήνησιν, οὗ ἀγνώστων δαιμόνων βωμοὶ ἵδρυνται; ut Philostratus in Vita. Apollon. lib. 6. cap. 2. *Et hæc Athenis ubi ignotis Diis aræ constitutæ.* θεῶν habuit inscriptio, δαιμόνων reposuit Philostratus, more Pythagoræorum. Ortus Religionis Socrati tribuitur. Is teste Justino Apol. 1. Athenienses πρὸς θεοῦ τοῦ ἀγνώστου αὐτοῖς διὰ λόγου ζητήσεως ἐπίγνωσιν προυτρέπετο, ad *Ignoti illius Dei per Rationis inquisitionem, cognitionem cohortatus est.*

Quicquid autem Socrates fecerit, certissimum Paulum ex Aræ Epimenidianæ

nidianæ inscriptione, quæ inter alios θεῷ ἀγνώστῳ dicata est, ansam arripuisse Deum verum prædicandi. Hæcque Athenis erant, ubi nihil pænè nisi Sacrum; cum ipsa Urbs ὅλη βωμὸς, ὅλη θῦμα θεοῖς, καὶ ἀνάθημα esset Teste Xenophonte, de Repub, Athenien. Totam enim Civitatem in partes distribuerunt Deorum nominibus insignitas. (1) Κρόνου Πάγος (2) Πανὸς Πάγος, (3) Ποσειδῶνος Πάγος, (4) Ἄρεος Πάγος, (5) Ἑρμοῦ Πάγος, Vrbē constituerunt. Πάγος autem apud Græcos, non *Pagum* Latinum, sed Saxum significat. Ita autem Vrbis vici dicti sunt, quia unicuique Saxum aliquod, (hoc est columna seu stela) huic vel illi Idolo consecratum, impositum est. Inde ad partem aliquam Urbis significandum usus Vocabuli primo traductus. Idem ac Athenis etiam Hierosolymis factum. Jerem. cap. 11. v.13. *Nam pro numero civitatum tuarum sunt dii tui o Jehuda, & pro numero platearum Hierusalem disposuistis altaria pudendo, altaria ad suffitum faciendum Bahali.*

Sed neque Athenis solum aræ *Ignoto Deo* positæ; πρὸς αὐτῷ δέ ἐστιν ἀγνώστων θεῶν βωμὸς; Pausan: in Eliac.

Ignotum hunc Deum unicum fuisse aliquoties fassi sunt. *Populares Deos multos, Naturalem Unum*, dixit Antisthenes apud Ciceronem de Natura Deorum lib. 1. *Magnum illud Vivens, atque animam mundi,* dixerunt Pythagorici. Huic omnes, saltem supremum in Cœlis locum assignarunt. Ita Apollonium instruunt Brachmanes apud Philostratum, lib. 3. cap. 11. τὴν μὲν γὰρ δὴ πρώτην καὶ τελεωτάτην ἕδραν ἀποδοτέον θεῷ γενέτορι τοῦδε τοῦ ζώου, τοῖς δὲ ἐπ' ἐκεῖνον θεοῖς, οἳ τὰ μέρη αὐτοῦ κυβερνῶσι. *Prima quidem & perfectissima sedes Deo tribuenda, hujus animalis Genetori; secunda vero diis qui ejus partes gubernant.*

Imo eosque Rationis sub auspiciis & ductu nonnulli progressi sunt, ut hujus unius Dei opificis causa, omnem cultum Idololatricum abjiciendum arbitrarentur. Egregie Sophocles.

Εἷς ἐστιν ὁ θεὸς ὃς τὸν οὐρανὸν ἔτευξε: &c.
Est unus Deus qui Cæli machinam solus condidit
Cærulea ponti terga & infranes notos
At nos miselli pectore errantes vago
Calamitatum finximus solatium
Formas Deorum saxeas aut ligneas
Aurove ductas fusili aut eburneas,
His dum immolimus dum stato Augustos die,
Reddimus honores, & nos remur pios.

Et Justinus Apol. ad Imp: τὰ δὲ καὶ μὴ δεῖν χειρῶν ἀνθρώποις προσκυνεῖν Μενάνδρῳ τῷ κωμικῷ καὶ τοῖς ταῦτα φήσασι, ταῦτα ἐργαζόμενοι. *Opera autem manuum*

nuum hominum, non esse adoranda, Menandro Comico, & qui eadem dixerunt suffragamur.

Probabile etiam est Libros istos Numæ Pompilii, quos sub Janiculo inventos An. ab. V. C. DLVI. in comitiis publicis cremari jussit Senatus, quoniam eis lectis, juramentum pollicitus est Q. Petilius Prætor Vrbanus, ad Religiones dissolvendas illos spectare, unum Deum, eumque sine simulachris colendum docuisse.

Hunc autem Deum unum summum, Jovem vocandum gentiles sui temporis contendisse ostendit Lactantius. Inde Valerius Soranus.

Jupiter omnipotens, Regum, Rerumque, Deumque
Progenitor, genetrixque Deum, Deus *unus & omnis.*

De eo notissimum est aureum illud Orphei ad Musæum Carmen.

------ μοῦνον δ᾽ ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα
Εἷς ἔστ᾽ αὐτογενής, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται
Ἐν δ᾽ αὐτοῖς αὐτὸς περιγίγνεται. οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράᾳ θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται
----- Solum Regemque hunc orbis adora
Unicus est, per se existens, qui cuncta creavit,
Inque his ipse extat, nulli è mortalibus unquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.

Atque iterum.

Εἷς Ζεύς, εἷς Ἀΐδης, εἷς ἥλιος, εἷς Διόνυσος,
Εἷς θεὸς ἐν πάντεσσι.
Jupitur est unus, Pluto unus, Bacchus & unus,
Unus Sol, Deus *unus in omnibus.*

Is est de quo Virgilius ex Homero solenne illud toties decantat;

----- Divum *Pater atque Hominum Rex*

Etiam Serapim esse voluerunt; ut in epigrammate.

Ἑπτά με φωνήεντα θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ
Γράμματα τῶν πάντων ἀκάματον πατέρα
Εἰμὶ δ᾽ ἐγὼ πάντων χέλυς ἄφθιτος, ἣ τὰ λυρῴδη
Ἡρμοσάμην δίνης οὐρανίοιο μέλη.

Nam Serapis est nomen ἑπταγράμματον; atque ita dicebatur teste Hesychio; Nisi quis Nomen *Jehovah* per ἑπτὰ φωνήεντα indicari arbitraretur; Recte ideo Tertullianus; Apol. cap. 17. docet, *etiam cultores Idolorum cum in angustiis sunt, oculis ad cælum, & oblitos Deorum, unum Deum naturaliter invocare.* Similia habent, Justinus de Monarchia Dei, & in Apologiis, Athenagoras in Legatione; Clemens Strom. 3. Arnobius lib. 2. contra Gentes, Lactantius, lib. 1. cap. 3. Eusebius. lib. 11. præparat:

parat: Evangel. cap. 9. Theodoretus de curand. Græcor. affect. lib. 2. Egregie in Apotheosi Prudentius.

Consule Barbati deliramenta Platonis,
Consule & hircosos Cynicos, quos somniat, & quos
Texit Aristoteles torta vertigine nervos;
Hos omnes quamvis anceps labyrinthus & error
Circumflexus agat, quamvis promittere & ipsi
Gallinam soleant, aut Gallum, Clinicus ut se
Dignetur præstare Deus morientibus aequum,
Cum ventum tamen ad normam rationis & artis
Turbidulos sensus, litigiosa fragosis
Argumenta modis, concludunt numen in unum,

Omnes autem has unius Dei notiones gentium sapientissimos inclusas tenuisse, neque eum cultu & obedientia tanquam Deum glorificasse, luculentèr ostendit Apostolus Epist. ad Rom. cap. 1.

Libri Tertii caput Decimumquartum

Seu De ortu & progreßu Idololatriæ.

Caput Duodecimum.

Notionum unius summi Dei corruptio nova & pestifera. Locum ejus occupat Jupiter Homericus. Veri Dei contemptus. Ciceronis de Judæorum Religione judicium. Jupiter Cretensis, ubi natus, & mortuus. Papinii, & Callimachi sententia. Sepulchrum Jovis in Creta. Callimachi Scholiastes. Jovis Manes. Summanus. Dis Pater, Manes qui & quales. Simulacra ad effigiem corporum ficta. Anima in Cælis & umbra apud inferos. Sabaismi reliquiæ. Veri Dei notiones cum Jovis & Solis superstitione confusæ. Duodecim Dii. Origo superstitionis, Δαιμονίων cultus antiquus recensque. convivium δωδεκάθεον. Deorum turba innominata.

OBscura ista unius Summi Dei notione antiquus generis humani hostis abutens, nova & mirifica ludificatione Idololatras adortus est. Ex Diis fictitiis aliquem, in locum ejus suffecit. Alios omnes ei Altissimo aut assidere, aut famulari finxit. Is Jupiter erat Homericus, qui de potestate sua in numina inferiora ineptissimè gloriatur;

Ιλιαδ. θ. Κεκλυτέ

Κέκλυτέ μευ πάντες τε Θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι
Ὄφρ' εἴπω τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι κελεύει.
Μήτε τις οὖν θήλεια θεὸς τό γε, μήτε τις ἄρσην
Πειράτω διακέρσαι ἐμὸν ἔπος. ἀλλ' ἅμα πάντες
Αἰνεῖτ' ὄφρα τάχιστα τελευτήσω τάδε ἔργα.
Ὃν δ' ἂν ἐγὼ ἀπάνευθε θεῶν ἐθέλοντα νοήσω
Ἐλθόντ', ἢ Τρώεσσιν ἀρηγέμεν, ἢ Δαναοῖσι,
Πληγεὶς οὐ κατὰ κόσμον ἐλεύσεται Οὔλυμπόνδε
Ἤ μιν ἑλὼν, ῥίψω ἐς Τάρταρον ἠερόεντα,
Τῆλε μάλ', ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι, καὶ χάλκεος οὐδός,
Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.
Γνώσετ' ἔπειθ' ὅσον εἰμὶ θεῶν κάρτιστος ἁπάντων
Εἰ δ' ἄγε πειρήσασθε Θεοὶ, ἵνα εἴδετε πάντες,
Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες,
Πάντες δ' ἐξάπτεσθε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι
Ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε
Ζῆν' ὕπατον μήστωρ' οὐδ' εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε;
Ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλοιμι ἐρύσσαι
Αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ' αὐτῇ τε θαλάσσῃ
Σειρὴν μέν κεν ἔπειτα περὶ ῥίον Οὐλύμποιο
Δησαίμην· τὰ δέ κ' αὖτε μετήορα πάντα γένοιτο
Τόσσον ἐγὼ περί τ' εἰμὶ θεῶν, περί τ' εἴμ' ἀνθρώπων.

Hæc ille; quæ omnia ex Doctrina Stoicorum, Platonis aliorumque ad res naturales frustra conatur accommodare Eustathius. Sed eo is Homeri dicta sæpè deducit, quo ipse pertinere nunquam est suspicatus; non aliter quam quod Donatus facit in explicatione Conciliorum Terentii. Egregie Plato in Phædro; *Si quis*, inquit *fabulis Poeticis n n habens fidem ad convenientem sensum eas velit traducere, tanquam rusticana quapiam fretus sapientia, otio nimirum magnopere indigebit.* Jupiter autem hic cui Dominii supremi prærogativam atque quæ Deo summo propria arbitrati sunt, assignarunt, non alius erat à famosissimo illo nebulone Cretensi, seu ipso potius Diabolo, Jovis illius Cretensis Traditione larvato. Maximus Orator ad Pontifices pro domo sua; *Te Capitoline quem propter beneficia Populus Romanus Optimum, propter vim Maximum nominavit; Teque Juno Regina, &c.* Deum Optimum, Maximum, Simulacrum Capitolinum, Junonis Maritum, turpissima confusione eundem fingit. Et statius; Thebaid. lib. 5.

Qualis

----- *Qualis Berecinthia Mater*
Dum circa parvum jubet exultare Tonantem
Curetas trepidos.

Itaque quamvis unum summum Numen profiterentur, Deum unicum quomodo se ipsum revelaverat, penitus spreverunt. Inde Religionis Judæorum contemptus, qui soli Vnius Dei veri notitiam habuerunt? Cicero oratione pro L.u. Flacco testis est locupletissimus. *Sua cuique civitati Religio est*, inquit *Lali, nostra nobis; stantibus Hierosolymis*, (hoc est dum sui juris esset Judæa, nondum Romanis subjecta, nam Vrbs neutiquam tum temporis eversa erat) *pacatisque Judæis, tamen istorum Religio Sacrorum, a splendore hujus imperii, gravitate Nominis Nostri, majorum institutis abhorrebat; nunc vero hoc magis quod illa gens quid de imperio nostro sentiret ostendit armis; quam chara diis immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata, quod servata.*

Hinc de Jove isto suo, quem hominem ex hominibus ortum scirent, animi consilium explicare nunquam poterant. Doctissimus Poeta qui Tonantem suum parvum fuisse agnoscit, mortuum tamen negat. Thebaid. 1.

——— *tamen hic tibi templi*
Gratus honos; placet Ida nocens, mentitaque manes
Creta tuos.

Quæ ille ex Callimacho hauserat; Hymno in Jovem.

Ζεῦ σὲ μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσι φασὶ γενέσθαι
Ζεῦ σὲ δ' ἐν Ἀρκαδίῃ, πότεροι πάτερ ἐψεύσαντο
Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Jupiter te quidam Idæis in montibus aiunt natum esse;
Jupiter te in Arcadia, utri Pater mentiti sunt.
Cretenses semper mendaces; Etenim Sepulchrum O Rex tuum
Cretenses extruxerunt; Sed tu non mortuus es, nam semper es.

Vt Cretenses autem Mendacii arguerent in Sepulchro Jovis, figmentum non ineptum excogitarunt, cujus meminit in Calimachum vetus Scholiastes.

Ἐν Κρήτῃ (inquit) ἐπὶ τῷ τάφῳ τοῦ Μίνωος, ἐπεγέγραπτο Μίνωος τοῦ Διὸς τάφος· τῷ χρόνῳ δὲ τὸ τοῦ Μίνωος ἀπηλείφθη, ὥστε περιλειφθῆναι Διὸς τάφος· ἐκ τούτου λέγουσι Κρῆτες τὸν τάφον τοῦ Διός. *In Creta Minois sepulchro Titulus inscriptus erat, Minois* τοῦ Διὸς, seu filii *Jovis sepulchrum; Cum autem temporis successu obliteraretur Nomen Minois, mansit tantum Jovis sepulchrum; atque ex eo dixerunt Cretenses, Jovis illud esse Sepulchrum.*

Hoc autem nomine Callimachum ridet in Legatione Athenagoras, quod cum genitum ex hominibus Jovem suum crederet, non admitteret hominis mortalis Sepulchrum. Ineptus etiam erat cum rogaret utri mentirentur, Arcades an Cretenses, ortum Iovis sibi vindicantes, cum tres Ioves fuisse doceat Cicero Libro Tertio de Natura Deorum, quorum duos priores ab Æthere, & Cælo genitos, in Arcadia, tertium à Saturno, in Creta natum fuisse scribit. Antiochum etiam Sophistam, Cretensium ob Iovis Sepulchrum causam egisse, memorat Philostratus in Vit. Sophistarum; lib. 2. ibidemque sepultum probat ex Ephemero, Lactantius.

Ipse etiam Pluto, non nisi Iovis mortui manes erat; atque inde *Summanus* hoc est Manium summus dictus. Vnde initium Carminis devotorii; *Dispater, sive Jovis manes, sive quo alio nomine fas est nominare.* Nam rectissimè adnotat Salmasius *Diatriba de Mutuo*, quorum animæ erant Cælo receptæ eorum Manes apud Inferos positos fuisse. Manes enim isti fuere quasi Simulachra corporum anima carentium, quæ Græcis σκιαὶ & εἴδωλα καμόντων dicebantur; de quibus multa egregiè differit in Prælectionibus Doctissimus Reinoldus contra Bellarminum, qui contendit εἴδωλον esse tantum Simulachrum rei falsæ seu nunquam existentis. Vmbra hæc Lucretio est, *spoliatus lumine aer.* Sic Herculis Simulacrum, quamvis dudum in Deorum numerum relati, apud inferos collocatur ab Homero. Et simulacrum illud Achillis quod ab Inferis excitatum est ab Apollonio Mago, sibi à Thessalis tanquam Deo cuidam sacra institui reposcebat. Anima ideo umbra non erat, quam superne collocarunt; neque corpus quod in terra deficere viderunt; sed simulacrum ita ad corporis effigiem, fictum ut videri possit, & cognosci, ab iis quibus notus erat ille cujus erat umbra, non autem tangi. Ænæas apud Virgilium;

Quærenti ---
Infælix simulachrum atque ipsius umbra Creusæ
Visa mihi ante oculos & nota major imago.

Deiphobi etiam umbram mutilam fuisse ad corporis instar quod malè, multaverat Menelaus. Æneid. 6.

Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidi lacerum crudeliter ora.

Hunc itaque Iovem, quem natum fuisse confitebantur omnes, sepultum plurimi, cujusque manes apud inferos collocabant, in summi Dei solium evehere, & omnem conati sunt in eo Vnius veri Dei notitiam exhaurire. Hinc etiam in gentium cultu, & sacris omnibus, mirifica semper erat frustratio, non illa minor, nec minus ridicula, quam in duplici Amphitruone, duplicique Sosia, finxit Plautus.

Neque

Neque adhuc finitur confusionis acervus. Apud omnes pænè ubivis Idololatras, Sabaismus, seu Corporum Cælestium cultus stationem, aliquam saltem, si non illam quam ab initio obtinuerat, firmiter tutatus est. In eo Sol, solus erat; Supremus, Altissimus, pænè unicus Deus. Hic etiam Summi Dei locum occupavit. Id antea pluribus ostendimus. Hinc nova delusio, nova frustratio orta est, quasi ludos facere miseros homunciones cæcitate & sceleribus sibi mancipatos, antiquo Serpenti fuisset volupe. Veri Dei notiones, Jupiter Cretensis, seu Sathanas eo Idolo larvatus, & Sol, sydus cæleste, optima, pessima, in unum Idolum confusa fuere.

Sed ulterius adhùc progressa est misera hæc Superstitionis Idololatricæ confusio. Deo vero in cælis inserviunt nutum ejus in omnibus expectantes Angeli nobilissimæ creaturæ. Hujus etiam notitias aliquas retinuerunt Gentes; Ut est apud Orpheum;

Σῷ δὲ θρόνῳ πυρόεντι παρεστᾶσιν πολύμοχθοι
Ἄγγελοι οἷσι μέμηλε βροτοῖς ὡς πάντα τελεῖται.

Sed in hoc etiam lucis divinæ radio obtinet illud Iudæ; ὅσα φυσικῶς ὡς τὰ ἄλογα ζῶα ἐπίστανται, ἐν τούτοις φθείρονται. Angelos hosce in nescio quos Deos minores, mundi fabricatores & gubernatores inferiores, summa Religione, & cultu divino adorandos & colendos, mutaverunt. Hisce in Hellenismo Deos quos vocant majorum Gentium, qui semper Iovi adstiterunt, hominum Deificatorum præcipuos substituerunt; Dei loco & Angelorum, umbras Jovis, & Deorum majorum Gentium, amplexantes.

Etiam Soli minora numina, deastros inserviisse finxerunt. Præcipuè ficta duodecim zodiaci signa; Inde duodecim Deos secundi ordinis aut undecim cum ipso Iove in Hellenismo etiam admiserunt. Omnes Disticho hoc Ennius inclusit.

Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iovi, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Alii duodecim præter ipsum Iovem, ei scilicet consiliarios & adsessores attributos, fuisse dicunt. Ita Seneca; *Secundum quidem mittet Jupiter, sed ex consilii sententia; Duodecim enim Deus advocat:* Inde *consentes* dicebantur quia in omni Sententia in Cælis ferenda eorum consensus interrogatus. Vnde illud *Augustini. Quis ferat quod neque inter consentes Deos, quos dicunt in Consilium Jovis adhiberi, neque inter Deos quos selectos vocant, fælicitas constituta est.*

Alii undecim præter ipsum Iovem statuunt; *Si undecim Deos præter sese secum adducat Jupiter*; Plautus, *Epid.* 5. 1. *&* *duodecim* Deis

 plusquam

plusquam in cælo est Deorum immortalium, mihi nunc auxilio adjutores sunt; quibus innuit totidem esse in Cælo. Et Demochares; ὦ Θεώφραστε, Ἀθηναῖοί ποτε ἀλλ' οὐχ οἱ δώδεκα θεοὶ οἱ δικάζοντες; *Judices erant Viri Athenienses non Dii Duodecim.* Hisce omnibus simul Aræ passim erectæ; In agro Iliensi, ἐπὶ τῷ Λεκτῷ βωμὸν τῶν δώδεκα θεῶν δεικνύουσι; καλοῦσι δὲ Ἀγαμέμνονος ἵδρυμα. Strabo, Geog. lib. 13. atque iterum; εἶτ' Ἀχαιῶν λιμὴν ὅπου οἱ βωμοὶ τῶν δώδεκα θεῶν. Et Athenis in ipso foro à Pisistrato Tyranno, quod testatur Thucidides Histor. lib. 6. Isti, teste Apollodoro, arbitri adhibiti fuerunt inter Neptunum & Minervam, de nomine Athenarum litigantes, coramque iis Mars Cædis Halirschothii reus, causam capitis dixit in Areopago; hoc est ad Saxum ab eo Iudicio postea ita vocatum. Inde cæna δωδεκάθεος Augusti apud Suetonium, cui tot aderant hospites cultu Deorum ornati.

Ortus superstitionis ex Ægypto referente Herodoto lib. 2. δώδεκα θεῶν inquit ἐπωνυμίας ἔλεγον πρώτους Αἰγυπτίους νομίσαι, καὶ Ἕλληνας παρὰ σφέων ἀναλαβεῖν; *Duodecim Deorum Nomenclaturam dicunt primos Egyptios invenisse, atque Græcos ab illis cepisse.* At Duodecim Dii apud Ægyptios nihil aliud erant quam totidem signa zodiaci.

Hos inter, unum ut diximus, cæteris omnibus infinitè prætulerunt, reliquos autem ad illius arbitrium se componere finxerunt. Vnde illud Plauti in Casina: A 2.

Unus tibi hic dum sit propitius Jupiter
Tu istos minutos cave Deos floccifeceris.

Et Vlisses de Hectore ad Achillem apud Homerum;

Μαίνεται ἐκπάγλως πίσυνος Διΐ, οὐδέ τι τίει
Ἀνέρας οὐδὲ θεούς.
Perfurit immensum fretus Jove, nec reveretur
Mortalèsue Deosue.

Hos ideo munere quodam Mediatorio, mortalium vice, apud Deum illum summum functos esse arbitrati sunt. Nullum drama frequentius occurrit apud Poetas, quam secundi ordinis Deorum, precum, ad summum illum pro illis cum quibus iiscum aliqua intercesserat necessitudo. Sic Venus pro Teucris periclitantibus, apud Virgilium.

O Pater, o hominum divumque æterna potestas,
Cernis ut insultent Rutuli, Turnusque feratur
In medios insignis equos.

Qualia sunt ista Pindari.

---- μάλιστα μὲν Κρονίδαν
Βαρυόπαν στεροπᾶν κεραυνῶν τε

Πρύτανι

Πρύτανι θεῶν σέβεσθαι.

Ipsos autem Mediatores, mortales, orationibus, precibusque prosequuti sunt; perinde ac hodiè etiamnum inter Pontificios Δαιμόνων cultus peragitur; de quo consulenda Doctissimi Medi, de *Posteriorum temporum Apostasia*, Diatriba.

Atque ita Deo & Angelis, Sole & zodiaci signis, Jove Cretensi aliisque demortuis, horrenda superstitionis dementia confusis, omnes de uno Deo notiones, corruptæ, vanæ, & inutiles prorsus redditæ sunt.

Nihil opus est ut de cætera Deorum turba quorum origo incertissima quidquam dicamus. Eos in *superos, inferos & medioxumos*, alibi *in magnos minimos & patellarios* dispescit Plautus. Superum plebem, vocat Ovidius in Ibim.

Vos quoque plebs superum, Fauni, Satyrique Laresque
Fluminaque & Nymphæ semideumque genus.

Horum fabulis concinnandis vix ullubi idem senserunt veteres; Proinde Pausanias in Boeotic: postquam Thebanorum circa Deos aliquot opinionem recensuerat, addit, καὶ μεγαρίζουσι ταῖς αὐτὴν ἢ ὁμολογοῦσι· διάφορα καὶ τὰ λοιπὰ ὡς τὸ πολὺ ἀλλήλοις λέγουσιν Ἕλληνες. *De rebus hisce plerumque inter se dissentiunt Græci.* Omnes in certas classes distribuerunt, nonnullos Cælo assignantes, qui ὑπουράνιοι, οὐράνιοι, & ἐπουράνιοι dicti, quosdam Aeri, qui αἰθέριοι, & ἀέριοι; Alios terræ marique, qui communiter ἐπίγειοι, & distinctè, ἐπιχθόνιοι, ἐνάλιοι, θαλάττιοι, ἐνθαλάττιοι, Inferis alios, qui ὑπόγειοι, χθόνιοι, ὑποχθόνιοι, καταχθόνιοι; Dicebantur & ab officiis peculiaribus, & curis; πολιοῦχοι, πολιοῦχοι, πατρῷοι, ξένιοι ὅριοι; ἀγοραῖοι· ἐπικάρπιοι, στράτιοι· τροπαιοῦχοι· ἱκέσιοι· τροπαῖοι· ἀποτρόπαιοι λύσιοι καθάρσιοι· σωτῆρες· ἀσφάλειοι· παλαμναῖοι· προστροπαῖοι· γενέθλιοι· γαμήλιοι, &c. Nemo autem pæne est qui nescit, totum hoc scenæ Ethnicæ Choragium, in Religionem Christianam intulisse Papismum.

Libri Tertii Caput Decimumquartum.

Seu de Origine & Progressu Idololatriæ

Caput Duodecimum.

Idololatriæ in omnem confusionem progressus. Gentiũ Dii Peculiares ab ipsis adsciti. Plurimorum αὐτοθεισμός. *Alexandri apud Lacedæmonies* ἐκθέωσις. *Fabula de Tiberio Christum in* Deorum *numerum referre volente. In fingendis simulacris; & Diis pingendis, Religionis omnis contemptus. Ægyptiorum amentia. Pœna adversus* Deos *peregrinos legibus constituta, unius veri* Dei *cultoribus solum inflicta, Justini Martyris verba vere aurea.*

DIximus de iis, quos vulgò & communitèr, consentientibus suffragiis per totum pæne terrarum orbem religiose venerata est Idololatrarum turba. Invalescente Polytheismo, quæque gens, omnis civitas, cuncti populi quoscunque vellent sibi Deos asciverunt. Seriò, joco, publicè, privatim, ex Traditione veteri, authoritate præsenti, vanis affectionibus, ubique pullulavit Numinum seges amplissima. Has novorum Deorum Origines refert Pausanias, Attic. 1. θεὸν inquit δὲ Ἀμφιάραον πρώτοις Ὠρωπίοις κατέστη νομίζειν, ὕστερον δὲ καὶ πάντες Ἕλληνες ἥγηνται. καταλέξαι δὲ καὶ ἄλλους ἔχω γενομένους τότε ἀνθρώπους, οἳ θεῶν ἐν Ἕλλησι τιμὰς ἔχουσι, τοῖς δὲ καὶ ἀνάκεινται πόλεις, *In deorum numerum Amphiaraum primi omnium Oropii retulerunt, quos reliqui Græci sequuti sunt. Possum etiam alios recensere, quibus cum homines antea fuissent Græci divinos honores habuerunt, quibusque etiam Urbes dedicatæ sunt.* Passim enim tandem consuetudo obtinuit, ut cum quis hominibus placuisset, Deus esset; Vnicuique enim populo jus erat, quemcunque vellent, in Deorum numerum referendi. Atque hinc non levis controversia Publicanos Romanos inter & Græcos oriebatur. Cum enim lege Censoria cautum esset ne Deorum immortalium agri vectigal penderent, strenuè negabant Publicani immortales esse ullos, qui aliquando homines fuissent, teste Marco Tullio, lib. 3. de Natura Deorum.

Etiam Alexander, Caligula, Claudius, Domitianus, aliaque scelerum monstra, vivi, Dei censeri voluerunt, securi forsan quod mortui forent apud Inferos. Insaniam istam eleganter exagitat apud Curtium Calisthenes; *scilicet* inquit, *Ego & tu Cleo* Deos *facimus; à nobis divinitatis*

sua

sua authoritatem accepturus est Rex; *potentiam tuam experiri libet*; *fac aliquem Regem si* Deum *potes facere*; *facilius est imperium dare quam Cælum.* Lacedæmonibus autem ob negatum jus Deitatis vis intentata, donec eo more admissus est, quem legitimum fuisse negaret Cicero, qui adeo exagitat dedicationem domus suæ Clodianam; *Quoniam*, inquiebant, *Alexander vult Deus esse, Deus esto.* Athenienses etiam tum temporis, Demadem Oratorem decem Talentis multasse, quia ut Alexandrum pro Deo agnoscerent iis persuadere conatus est, testatur Athenæus, lib. 5. quamvis eosdem postea Demetrio Poliorcetæ, quantillæ Alexandri parti, vivo & præsenti divinos honores detulerunt. Claudii αὐτοθεΐσμὸς ad Tonitrus sonitum evanuit; in tentorium enim fugiens, *Hic Deus*, inquit, *est non Claudius.*

Ex hac inter Gentes consuetudine enata est fabula, Tiberium tentasse Christum in numerum Deorum Romanorum referre, Senatu vero refragante, proposito destitisse. Istiusmodi fabulas divulgasse, utinam nunquam bonis viris in mentem venisset; Deus ne sinerit quis in posterum eis fidem adhibeat.

Reges, etiam & Imperatores Romani quoscunque vellent in censum Deorum retulerunt; Ipsi omnes post Julium, aut Dii, aut hostes à Senatu judicati: Unde moribundi Vespasiani scomma; *ut Puto*, *Deus fio.* Vt autem qui pro Deo haberetur plerumque necesse erat, ut moreretur purpuratus; Vnde de Diocletiano Eutropius, *contigit ei quod nulli post natos homines*, *ut quum privatus obiisset*, *inter divos tamen referretur.* Quod tamen haud usquequaque verum. Alexander divinos honores Hephestioni amico deferri jussit, & Sacrificari, Curt. lib. 10. Et Ipse Antonius Caracalla, hominis monstrum, à Macrino qui eum occiderat inter Deos relatus est; teste Ælio Spartiano. De Hadriano Antinoum Amasium primum sacrificante, ut extis ejus ad μαντείας & μαγγανείας uteretur, deinde in Deorum numerum referente, atque ubivis terrarum simulacra ei ponente, horrenda historia est apud Dionem Histor. lib. 69. quam impietatem pro meritis exagitant Clemens in προτρεπτικῷ, & Tertullianus in Apologia.

Privatis etiam quoscunque vellent privatim colere concessum. Testatur Corneliæ dictum ad Cajum Grachum Filium; *ubi mortua ero parentabis mihi*, *& invocabis* Deos *manes parentis*; *eo tempore nè pudeat*, *eorum* Deum *preces expetere*, *quos vivos & præsentes relictos & desertos habueris.*

Hic vero omnis Religionis, omniumque Deitatis notionum contemptus eousque progressus est, ut Ludus demum fuerit turpissima quæque

scelera

scelera pudendis superstitionibus immiscere, Quibus flagitiis usi sunt, in fingendis & pingendis deorum Simulachris, videat Lector apud Plinium, lib. 35. cap 9. 10. Nihil pictoribus (de quibus inquit Cicero, *nos Deos omnes ea facie novimus, qua Pictores, Fictoresque voluerunt,*) usitatius erat quam meretricum sibi delectarum imaginibus, deas pingere; quod fecit Arellius,qui nunquam non alicujus fœminæ amore flagrabat. Et Simulachrum quod in Domo Ciceronis nomine *Deæ Libertatis*, consecrabat Clodius, probat ipse in Oratione ad Pontifices pro domo sua, Tanagræam fuisse meretricem. Ita nullubi magis quam in ipsa Religione, omnem Religionis sensum abjecisse videantur. Victum itaque genus humanum, etiam triumphavit Serpens antiquus; neque satis habuit devinctos sibi tenere, nisi insuper captivos pro ludibrio haberet, atque inter se armis & bello fœdè committeret, ineptissimarum superstitionum causa. Tale est egregium illud cæcitatis & miseriæ humanæ sub jugo Sathanæ laborantis documentum, quod in vicinis, ut ille loquitur, Ægypti populis exhibet Satyricus. Satyr. 15. Tæda Belli Crocodilus.

Inter finitimos vetus antiqua simultas
Immortale odium & nunquam sanabile bellum
Ardet adhuc Ombos & Tentyra, summus utrinque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, cum solos credat habendos
Esse Deos, *quos ipse colit*.

Eousque autem pugnam, causa hac, susceptam continuasse scribit utrumque populum, donec Victos Victores comederent.

Labitur hic quidam nimia formidine cursum
Præcipitans capiturque, ast illum in plurima sectum
Frusta, & particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret, totum corrosis ossibus edit
Victrix turba; nec ardenti decoxit aheno
Aut verubus, longum usque adeo tardumque putavit
Expectare focos, contenta cadavere crudo.

Fide pænè Historica Poetam hanc incredibilem Ægyptiorum feritatem retulisse mihi persuadent, cum innatus adhuc & cæcus plurimorum ob dissensiones circa res nullius pænè in Religione momenti furor, tum nonnullorum ferè ejusdem generis facinora, quæ ipsi nomine tenus Christiani perpetrarunt, adversus innocuos Christianæ Religionis Professores.

Verum, utcunque inter se lites & inimicitias exercuerint Idololatræ,in eo omnes conspirasse videntur, solum verum Deum ejusque cultum

tum aspernari. Quamvis ideo lege cautum esset Athenis ne quis ξένα δαιμόνια veneraretur, atque Romæ duodecim Tabularum, *ne quis separatim Deos haberet, neve novos, neque advenas nisi publicè adscitos privatim coleret,* nemo tamen, uno excepto Socrate, cujus erat Accusatio ἀδικεῖ Σωκράτης οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος, Religionis violatæ ob alium Deum præter eos qui publicè adsciti fuerunt adoratum, postulatus inveniri potest, nisi qui unicum verum Deum veneraretur. Exoriente autem Christianismo maxime eruperunt ista hominum insania, & Sathanæ invidia; Cæcitatem autem istam & rabiem elegantissimè Imperatoribus Philosophicis exprobrat Justinus antiquissimus Scriptor Christianus, cujus verbis verè aureis, digressioni huic finem imponere placet. Μόνοι inquit μισούμεθα διὰ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, καὶ μηδὲν ἀδικοῦντες, ὡς ἁμαρτωλοὶ ἀναιρούμεθα, ἄλλων ἀλλαχοῦ καὶ δένδρα σεβομένων καὶ ποταμοὺς, καὶ μῦς, καὶ αἰλούρους, καὶ κροκοδείλους, καὶ τῶν ἀλόγων ζώων τὰ πολλά: καὶ οὐ τῶν αὐτῶν ὑπὸ πάντων τιμωμένων, ἀλλὰ ἄλλων ἀλλαχόσε, ὡς εἶναι ἀσεβεῖς ἀλλήλοις πάντας, διὰ τὸ μὴ τὰ αὐτὰ σέβειν. ὅπερ μόνον ἐγκαλεῖν ἡμῖν ἔχετε, ὅτι μὴ τοὺς αὐτοὺς ὑμῖν σέβομεν θεοὺς, μηδὲ τοῖς ἀποθανοῦσι χοὰς καὶ κνίσας καὶ ἐν γραφαῖς στεφάνοις καὶ θυσίας φέρομεν; ὅτι γὰρ οὐ τὰ αὐτὰ παρ' οἷς μὲν θεοὶ, παρ' οἷς δὲ θηρία παρ' οἷς δὲ ἱερεῖα νενομισμένα ἐστὶν ἀκριβῶς ἐπίστασθε. *Soli odiis expetimur ob nomen Christi; & cum nihil in leges committamus tanquam peccatores ad necem rapimur; aliis alibi & arbores & flumina, & mures, & feles & Crocodilos & ratione carentium animalium, multa colentibus. Et quidem non eadem cunctis, sed alia alibi venerantibus, ita ut in universum impii alii aliis sint, quia non eadem colant Sacra. Atqui id unicum habetis quod nobis criminis loco objiciatis, non eosdem nos vobiscum Deos colere, neque mortuis libationes, & nidores adipum, neque signis atque statuis coronas & victimas offerre; cum eadem animalia, apud hos quidem numina, apud alios feras, apud quosdam hostias esse certo sciatis.*





LIBER QUARTUS.

De Theologia Abrahamica.

CAPUT PRIMUM.

Piorum Theologorum status & conditio post Apostasiam Babylonicam. Abrahamus superstitionibus implicitus ante vocationem, Josh. 24. 2. *Fabulæ Judaicæ de Ur Chaldæorum, & Abrahamo in ignem conjecto; vocatio Abrahami, quomodo facta, & quando. Theologiæ Noachicæ ampliatio. Fæderis divini renovatio. Circumcisionis institutio. Ecclesiæ à mundo nova separatio completa.*



B*Abylonicæ* seu *Nimrodicæ* Apostasiæ, ortum, progressum, eventum exitialem, Idololatriæ primordia investigantes superiore dissertatione exposuimus; ita Theologiam Naturalem ex præsenti nostro instituto expedivimus. Ecclesiam Apostaticam *Catholicam* penè fuisse ex eventu patet. *Noachus* quidem cùm Turris *Babylonica* extrueretur adhùc erat in vivis; & superfuit rebellium nepotum dispersioni. Accidit enim superba hæc defectio, Anno vitæ *Noachi* septingentesimo secundo, cui superfuit annos ducentos quadraginta & octo, aut eo circiter; atque adeo *Shemus* multò plures. Eos unquàm à vero Dei. Veri cultu defecisse, impium esset suspicari Vivente itaque adhuc *Noacho*, multi sine dubio, præsertìm ex iis apud quos mansit linguæ primævæ peritia, & usus Deo Creatori omnium in Redemptore promisso adhæserunt, & in sacro cultu ejus perstiterunt. Prout mos est veritatis testibus, in omni Apostasiâ *Catholicâ*, hîc illic dispersi, odio habiti, impiorum latius & persecutionibus obnoxii, vitam in terris æsum nosam egisse videntur. Rebus itaque divinis, atque humanis in hunc statum redactis, cùm Idololatria indiès cresceret, & multiplicaretur,

cúmque

cúmque impietas & nequitia hominum magìs magísque invalescerent, omni spe Reformationis *Ecclesiasticæ*, aut ad bonam frugem revocandi humanum genus, abjectâ; novam Ecclesiam, novâ Theologiâ instructam, erigere Deus constituit. Hoc vero nisi per aliquorum a reliquis separationem visibilem fieri non potuit. Factum itáque illa est in vocatione *Abrahami*(quæ *Geneseos* undecimo & *duodecimo* memoratur) quâ propositum istud suum Deus absoluit.

Ab Ecclesiæ autem Renovatione in familiâ *Noachi* post diluvium, per ampliationem Theologiæ Adamicæ postlapsariæ in fœderis expressi pactione, usque ad Apostasiam & maledictionem *Chami*, Anni intercesserunt 40, aut eò circitèr. Tam diu pura, recens post diluvium instaurata Ecclesia duravit. Abs ea Reformatione quæ in ejectione *Chami* & familiæ ejus, è cœtibus & communione piorum facta est, ad defectionem *Babylonicam*, Anni fuere; 62. Tam brevi temporis spatio, horrendum in modum à veri Dei cultu descivit Ecclesia ista Reformata. Inter defectionem autem istam & separationem *Abrahami*, inque ejus Vocatione novæ Ecclesiæ institutionem, Anni intercesserunt 324. Omne ideo temporis spatium quo cultus divini & obedientiæ Deo debitæ, regula & norma erat *Theologia Noachicha*, anni fuerunt 426.

Ipsum *Abrahamum* ante Vocationem solennem, *Babylonicæ* defectionis & sceleris contagione aliquatenùs contaminatum fuisse, Scriptura refert, Josh. 24. 2. *Trans fluvium* (*Joshua* Israelitas alloquitur) *habitaverunt Patres vestri primævi Thera pater Abrahæ, & pater Nachoris & servierunt Diis alienis.* Ipsum *Abrahamum* hìc intendi negant *Judæi* omnes; superbum & præfractum genus hominum omnia sibi & Patribus suis secundum carnem ascribere, gratiæ & misericordiæ divinæ nihil, gestiens: Paternum genus ab *Abrahamo*, maternum à *Nachore* totus iste populus duxit. Non alio autem fine Deus hìc totius stirpis *Israeliticæ* authores ejus sceleris insimulat, quam ut eos quicquid supra cæteros mortales obtinuerint, non nisi meræ gratiæ suæ beneficio obtinuisse ostenderet. Prænovit enim quantâ superbiâ duræ cervicis populus, justitiam suam in semine promisso, & misericordiam despecturus esset, glorioso patrum nomine, & *Abrahamidarum* titulo, inflatus. Neque hìc solùm illos á vanâ propriæ justitiæ persuasione retrahere conatur Spiritus Sanctus. In hunc autèm usque diem per totum terrarum orbem dispersi, nil nisi Patrum merita, & obedientiam, suamque justitiam jactitantes, gratiæ *Evangelicæ*, miserè pereuntes, obstrepunt.

Ut vero inanis gloriolæ opinationi colorem aliquem inducerent, fabulam putidissimam de *VR Caldæorum* ex quâ Deum *Abrahamum* vocasse testatur sacra Pagina commenti sunt. *Targum Jonathani Ben Uziel* ascriptum in Cap.11. Gen.v.28. rem ita narrat; *accidit autem cum projecit Nimrod Abramum in fornacem ignis eo quod non coleret Idolum suum, ut non esset potestas igni comburendi ipsum; & ideò dubitatio orta est, Haran dicendo, si vicerit Nimrod stabo a partibus ejus sin vero vicerit Abram, ero a partibus ejus. Cum autem viderunt omnes populi qui erant ibi non dominatum ignem in* Abramum, *dixerunt apud se an non Haran, frater* Abram *plenus est divinationibus & auguriis, ipse vero incantavit ignem ut non comburat fratrem suum. Statim cecidit ignis ex cælis excelsis & consumpsit eum, & mortuus est Haran ante conspectum fratris sui, quando combustus est in terrâ nativitatis suæ in fornace ignis quam fecerunt Chaldæi fratri suo*; ita ille, more suo, ineptissimus fabularum consarcinator. VR ignem interpretatur scilicet; quæ est vocis significatio; cùm sit apertè nomen loci; & על פני hoc est *vivente & superstite adhuc patre, in conspectu patris:* cum alii, prout superius dictum est *Haranom* ante Patrem mortuum esse in ejus pœnam eo quod esset imaginum fictor augentur. Fabulæ ansam arripuisse ab historia *Nebuchadnezaris* tres-viros Sanctos in fornacem ignis cojicientis ob non adoratum Idolum quod erexerat, quæ Dan. 3. extat, mendaces Judæos arripuisse nemo non vidit.

A*brahamum* ob negatum Idolorum cultum non igne sed *exilio* à Rege *Chaldæorum* multatum fuisse, ex traditionibus *Zabiorum* refert *Maimonides Mor: Nebuc.* p.3.cap 29. paulò alitèr Historiam concinnant Judæorum magistri in *Bershith Rabba*, Cap 38. *Abrahamum* scilicet fregisse imagines Patris sui perhibent atque eo nomine ab ipso Patre ad Regem *Nimrod* fuisse delatum; a quo post varias disputationes in ignem conjectus est, & ab Angelo exemptus. Injuriam autem summam memoriæ *Tharæ* viri uti videtur pii & *Sancti*, à fabulatoribus factam esse nullus dubito Ipse *Maimonides* Libro Primo *de sydcrum cultu*, ob disputationes adversus Idola, ac simulachris vim illatam Regem *Chaldæorum* eum occidere voluisse pluribus enarrat. Et satis antiqua est fabula; nam meminit ejus *Hieronymus* quæst: Heb.in Gen. Et ante eum longè *Josephus*; Lib I. Antiguit.cap.8. Χαλδαίων τε καὶ τῶν ἄλλων Μεσοποταμιτῶν στασιασάντων πρὸς αὐτὸν, μετοικεῖν δοκιμάσας κατὰ βούλησιν καὶ βοήθειαν τοῦ θεοῦ, τὴν Χαναναίαν ἔσχε γῆν. *Cum Chaldæi & Mesapotamitæ cæteri contra ipsum insurgerent, consilium migrandi cæpit, & voluntate ac favore* Dei *fretus terram Chananæam tenuit.* Neque sanè veri est dissimile, impios Idololatras

latras postquam cognitione Dei vera esset instructus, contra ipsum insurrexisse. Contentionem verò *Abrahæ* cum patre *Thara* de fabricatione & cultu simulachrorum Antiquorum etiam Christianorum penè nemo non credidit. Ita Johan. Antioch. Mal. nugator ἀνέκδοτος in Bib. Bod. lib. 3. Ὁ δὲ Ἀβραὰμ ἐπιγνοὺς καὶ λογισάμενος ὅτι τὰ ἀγάλματα, ἃ ἐποίει ὁ πατὴρ αὐτοῦ Θάρρας, ἀνθρώπων τεθνηκότων ὑπάρχει, καὶ οὐκ ἔχειν τιμᾶσθαι αὐτοὺς, ὡς θεοὺς ἐν τῷ οὐρανῷ γενομένους γῆν καὶ κόνιν, κατεγίνωσκεν οὖν τῷ ἰδίῳ πατρὶ Θάρρᾳ λέγων. Τί πλανᾷς τοὺς ἀνθρώπους διὰ κέρδος; οὐκ ἔστι γὰρ ἄλλος. Θεὸς εἰ μὴ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὁ δημιουργήσας τὰ ὁρώμενα ταῦτα πάντα. καὶ λαβὼν ἔκλασε τὰ ἀγάλματα πάντα καὶ ἀνεχώρησεν ἐξ αὐτοῦ καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὴν Μεσοποταμίαν. *Abrahamus verò cum ad Dei notitiam jam pervenisset, secumque reputasset, imagines a Tharâ patre fabricatas hominum esse defunctorum; idque nec eos, pulvis cum sint cinisque, pro Diis cælestibus esse colendos; talibus ipsum verbis increpare ausus est: ut quid (inquiens) turpis lucri causâ mortales in errorem ducis. Unus quippe Deus est cælestis, qui ista formavit, quæ videmus omnia. Dictóque citiùs, Imagines confregit omnes, patréque derelicto, Mesopotamiam versus ducit iter.*

Quòd autem *Tharam* non tantum factorem, sed & simulachrorum *venditorem* inducant, prodit se fabula. Ἡ ἀγαλματοποιΐα ἡ ἀρχαία οὐ τοῦτο ἐπεχείρει, περιιέναι τὰς πόλεις ἀποδιδομένη τοὺς θεούς; ajebat statuario simulachra Deorum vendenti *Apollonius* apud Philostratum Lib 5. cap. 7. *De Diis mercaturam antiqui Statuarii non faciebant, néque ut eos vendituri urbes ambiebant, eo enim modo Hyrcanis & Scythicis servis, non Diis uti decet.* Sed ארך ut diximus nomen loci erat, quicquid ipsa vox significet.

Fatetur quidem *Rambam*, *Abrahamum* usque ad Annum ætatis quadragesimum octavum cultu Idolorum illaqueatum fuisse, illum verò annum ætatis agentem omnium cum iis communionem abjecisse. Vocatus quidem a Deo est, anno ætatis septuagesimo quinto. *Gen.* 12. 4. vel forsan uno anno citiùs cum *Ur* reliquerit & in *Haram* pervenerit. Inter ideò ejus renuntiationem cultùs *idololatrici* & vocationem, intercesserunt ad minimum anni viginti sex. Quid ita! Nempè ut sciamus Deum non elegisse aut vocasse A*brahamum* ex merâ suâ gratiâ, sed propter *j*ustitiam & obedientiam & sui amorem, & anteactæ vitæ merita. Ita constantèr omni arreptâ occasione propriæ *j*ustitiæ adversus Dei gratiam patrocinium suscipiunt isti homunciones.

Fateor equidèm pleró sque Veterum a Judæis deceptos credidisse A*brahamum* per *Contemplationem syderum* ad veri Dei notitiam pervenisse, antequam

antequam vocaretur : fabulam prolixè narrat *Suidas* in voce Abraam; Superbientium *Judaeorum* somnia sunt hæc omnia; quæ imitantur *Arabes* uti videre est apud: Abrah: Eccel: Histo: Arab.p.125.

Non absimili proposito ejusdem pænè generis figmentum cudit *Simon Episcopius institut: Theol.* lib. 2. cap 4. Is A*brahamum* ante vocationem, *vitæ integrum & serium probitatis amatorem*, licet *Idolorum cultui addictum credibile esse scribit*; quid ni quæso credibile esset? quid inde sequi videatur? *hujusmodi* inquit *ingenia non modo capacia sunt, sed & sequacia, simúlque lumen aliquod magnum adfulget quo irradiantur & adficiuntur.* Nihil ideo opus erat gratiâ irresistibili *Calviniana* ad ingenerandam in A*brahamo* fidem, aut obsequium. Sed quid quæso est τὸ δουλεύειν ὑποθέσει, si hoc non sit? De probitate & integritate A*brahami* ante vocationem in sacrâ scripturâ ne γρῦ quidem; Tantum Diis alienis serviisse dicitur. Sed contrarium videtur Spiritus Sancti atque hujus hominis propositum. *Ille* ubivis Dei gratiam deprædicat; *Hic*, hominum probitatem & integritatem, gratiâ divinâ destitutorum : *Ille* quæ ad gloriam misericordiæ divinæ exaltandam faciunt exponit, quæ itaque ad laudem *capacium & sequacium ingeniorum*, exscalpit, Sed is est aliquorum hominum mos, nihil se egisse existimant, nisi multum in opprobrium gratiæ Dei dixerint.

Cæterùm nihil prohibet quo minus credamus A*brahamum* etiam in medio cultûs *Idolorum* aliqualem saltem veri Dei notitiam retinuisse. Non enim is solus dicitur *Deos* alienos colere, qui abjectâ omni veri Numinis Reverentiâ, Deos alios in objectum cultus sibi asciscit, sed illi etiam, qui vel alios Deos cum ipso conjungere quocúnque ordine vellent, aut in simulachris & Idolis ipsum colere sibi visi sint.

Vocatio autem ista solennis A*brahami* cum per oraculum, seu verbum quoddam externum facta sit, ex efficaci & verticordiâ Spiritûs Sancti operatione erat, quod ille qui tantis in tenebris iacuit, tantis tentationibus, quantæ ex arctâ cognatorum & familiarium necessitudine, & ex timore longinquæ peregrinationis omni ope humana destituto oriri potuissent, expositus, tam æquo animo & lubenti, se dicto audientem illico præberet, & imperio Dei se submitteret. Respexit autem *Vocatio* ista tùm sanctitatem cordis & vitæ, in renovatione totius hominis internam, tum separationem ad cultum Dei veri externam; Néque enim id solum A*brahamo* laudi ducitur quòd novato ritu Deum coluerit & solenniter invocaverit, sed etiam quòd fidelis esset, Dei amicus, quod promissiones acceperit, quòd fide justificatus fuerit, ac Dei amator constantissimus extiterit. Deus ideò novam Ecclesiam erecturus per

separationem

ſeparationem viſibilem à mundo, & omnibus falſæ Religionis miſturis & corruptionibus, in verâ Fide Sanctitate, & Obedientiâ Vocatorum ſuper ipſum *Meſſiam* promiſſum, fundamenta ejus poſuit.

Abrahamo in hunc modum ad Dei voluntatem vocato, in cultus & vivendi normam Theologiam *Noachicham* novis, Revelationibus explanatam & ampliatam Deus tradidit & commiſit. Tanta autem voluntatis divinæ & myſteriorum Gratiæ expoſitio, tamque illuſtris, ea explanatione *Theologiæ poſtlapſariæ* edita eſt, ut proventum uberiorem unius Revelationis *διχοτομία*, donec ille veniret cui omnia erant repoſita, vix obtinuerit. Etenim primo ei clarior & plenior antiqui promiſſi explicatio data eſt, illaque variis vicibus repetita. Gen.12.3.v.7.cap.13.15.16.cap.15.1,5,6.cap.17.1.2.9.cap.22.17.18.

Chriſtus jam *proſpicere è feneſtris & prodere ſe è cancellis incepit.* Cant. 2.9. *imo feſtinare & aſſimulare ſe capræ vel hinnulo cervorum ſuper montes aromatum*.cap.8.14. ſeu fidei, amori, & deſiderio electorum ſe apertè & ſuavitèr manifeſtare. Septies enim ad minimum promiſſio ſeminis victricis & beatificantis renovatur. Deinde huic promiſſionis explanationi acceſſit fœderis gratiæ in promiſſione & ſtipulatione conſiſtentis uberior declaratio. Non tantum enim Deus expreſſam fœderis mentionem injicit ubi cum *Abrahamo* de obedientia agit, uti antea factum cum *Noacho*, ſed & expreſſam fœderationis naturam exponit, promiſſionem cum fidei & univerſalis & ſinceræ obedientiæ ſtipulatione conjungens, Gen. 17.1. & u. i. אני־אל שדי התהלך לטני והיה תמים. *Ego Deus Omnipotens ambula coram facie mea & eſto perfectus.* Hanc autem ſolennem interventionem, *fœdus* vocat, *v.*7. atque etiam exponit quiſnam eſſet illorum verborum ſenſus, EGO DEUS OMNIPOTENS; nempe, quod *illi* ita eſſet, in ſe, atque omnipotentiam ſuam curam ejus ſuſcipiens, & ei æternum per ſemen promiſſum benè eſſet; הקמתי *ſtabiliam* אתב־ריתי ביני ובינך לברית עלם להיות לך לאלהים inquit *fœdus meum inter me & te, in fœdus ſempiternum, & ero tibi* Deus Præmiſſa Seminis promiſſione, omnis gratiæ fundamento, Deus gratioſè promittit ſe ei in ſemine illo, Deum parcentem, ſanctificantem, juſtificantem, ſervantem gratuito & immutabilitèr fore, fidem atque novam obedientiam abs eo viciſſim poſtulans. Porro in ſolatium ipſius *Abrahami* datur quædam fœderis ad ejus familiam Appropriatio, ita ut nemo niſi ex ea familia, vel vi benedictionis ei familiæ annexæ, beatitudinem aſſequeretur. Gene: 12.3. *Ita fidelium pater* conſtituitur. Quarto *Circumciſio* in ſignum fœderis inſtituitur. Gen. 17.10.11. Et quinto, Communicatio privilegiorum fœderis & Eccleſiæ, cum *ſemine infantili,* (quod

poſtquam

postquam modo peculiari Deo curæ esse cæperat, Ecclesia nunquam absolutè defecit)conceditur:Gen:17.7. Nec, ultimò minima pars Theologiæ Abrahami erat, quòd eum Deus in amicitiam assumpserit, & iteratis subinde revelationibus adeò sibi familiarem reddiderit, ut rectus, justus, pius, & in omni divinâ sapientiâ & fidei mysteriis, supra quod dici potest, instructissimus evaserit. De hiscè vero cum particularia sint, adeóque ad nostrum institutum immediatè non pertineant,nunc non est dicendi locus.

Ab Anno autem mundi 2083.Hæc Theologiæ expositio illustris initium cæpit; duravitque annos teste Apostolo 430. Gal.3. &. v.17. Abrahamus enim promissionem accepit cum esset natus annos, 76. seu ineunte eo anno, cum jam ex *Charane* egressus in terram *Cananeam* pervenerat. Abs hoc promisso dato, *factum est post finem quadringentorum triginta annorum,ut eodem ipsò die egrederentur omnes exercitus Domini de terrà Ægypti,* Exod.12.41. Lex autem in monte *Sinai*,quæ Theologiæ *Mosaicæ* initium dedit, tertio mense post exitum illum ex *Ægypto* lata est; Exod. 19. 1. Permansit itaque exactè Theologiæ ista οἰκονομία annos quadringentos triginta,menses tres; de quo temporis spatio,ejusque epochis ritè constituendis,consulat Lector *Usserii Chronolog: sac.cap.*8.9.

Vocatus itàque separatus, & in voluntate Dei instructus, beneficio & virtute Theologiæ renovatæ & ampliatæ novam Ecclesiam in familiâ suâ constituit *Abrahamus,* & solennem Dei cultum separatim ab omnibus qui *Apostaticæ* Ecclesiæ superstitionibus contaminati erant, observavit. *Ædificavit enim altare Domino* inter *Bethel* & *Hai* & *invocavit nomen Domini,*,Gen.12.8. Verba illa ויקרא בשם יהוה eædem sunt cum iis quæ in enarratione reformationis Ecclesiæ *Enoshianæ* & restitutionis cultus divini, usurpantur *Gen.*4.26. de quibus supra pluribus egimus. Omnem autem cultum Dei externum ipsa etiam sacrificia sub *numinis Dei invocatione,* contineri fatentur omnes.

Sed néque duravit hic Ecclesiæ status sine labe insigni, unde reformatione opus habuit longè antequam ejus *oeconomiæ* finis à Deo designatus adesset. Præterquàm enim quòd penitùs à verâ Ecclesia defecerunt aliquot *Abrahamidæ*, *Ishmael* scilicet atque *Esau* cum filiis *Keturæ*, etiam in ipsam *Jacobi* domum, ubi solennis Dei cultus peragi solitus, per uxores *Syras* irrepsit superstitio Néque enim *Rachel* patris *Teraphim*(de quibus postrà) furata fuisset,nisi perversa superstitione aliquatenus teneretur. Inepta enim sunt quæ hic fingunt *Rabbini*, eam scilicet idcircò penates paternos abstulisse, ne eos consulens certior fieret de fugâ *Jacobi*; nam

Teraphim

Teraphim in auguriis & vaticinationibus adhibita fuisse videbimus. Quousque autem irrepserit atque se diffuderit superstitio in sanctissimi *Patriarchæ* domo incertum. At vero ei illam adhæsisse, ex solenni quam instituit reformatione apparet. Ea habetur Genes. 35. v. 1. 2, 3, 4. *Edixit autem Deus Jabacobo, surge, ascende Bethelem, & conside ibi, & fac ibi altare Deo, illi qui apparuit tibi cum fugeres metu Hesau fratris tui. Quapropter edixit Jacob familiæ suæ & omnibus qui erant secum, removete Deos alieni populi qui sunt inter Vos. --- Afferentes itaque dederunt Jacobo, omnes Deos alieni populi, qui erant in manu sua, & inaures quæ erant in auribus suis, abscondit que ea Jacob, sub illâ quercu quæ propè Schecemum est.* Ad reformationem Ecclesiæ, ac cultum Dei Solennem, in mediis turbis, periculis & migrationibus neglectum nimis restituendum, vocatum se per oraculum intellexit Vir sanctissimus. Deo ideò dicto obediens reformationem aggreditur, atque totam familiam, tùm uxores, & liberos, tùm servos adscititios, piè admonet de opere sibi à Deo mandato. Videtur autem neque paucos cultu *Idololatrico* fuisse inquinatos, neque unius generis *Idola* in ejus familiâ locum habuisse. De pluribus etenim dicitur, *eos attulisse Deos fictitios* atque *inaures*, hoc est quæ Dei alicujus falsi nomini sacratæ erant. Ea autem omnia in terram condidit, ubi periere sine dubio *penates Labanici.* Atque hæc peculiaris & anteà inusitata Reformationis instituendæ ratio, nempê non in personas sed in res ipsas, falso cultui destinatas; illam vero in usum omnium sæculorum Deus hic àdprobavit. Accidit autem hæc Ecclesiæ Reformatio in Domo *Jacobæa* post ejus institutionem in familiâ *Abrahami*, Annos 190. vitæ scilicet *Jacobi* an. 105, aut eò circiter, 4, vel 5 ann. postquam è *Mesopotamia* discesserit.

Libri Quarti.

De Theologia Mosaica.

Caput Secundum.

Ecclesia in vocatione Abrahami fundata & fixa. Visibilitas Ecclesiæ quid sit atque unde. Post vocationem Abrahami status Ecclesiæ usque ad πολυθεΐαν. Lingua primæva conservata. A δεισιδαιμονίας labe in Ægypto Abramidæ haud immunes. Legislatio Sinaica; seu Theologia Mosaicæ initium. Primus Ecclesiæ status ex lege arbitraria. Theologia sparsim tradita, in unum corpus redacta; literis commissa; doctrina Ecclesiæ completa. Verbi divini literis commissi certitudo, authoritas, evidentia; Theologiæ Mosaicæ duplex consideratio. Quo sensu Evangelica, quo sensu legalis. Fabula Judæorum de lege orali explosa. Præsentis Judaismi fundamentum triplex.

POstquam Deus Ecclesiam suam in mediis periculis sæpius etiam in ipso exitii confinio per tot sæcula (hîc illic ubivis gentium, quem, quosvè vellet, veritatis cælestis luce irradians,) sospitasset, placuit ei tandem in vocatione *Abrahami* solenni superius expositâ, illam quasi vagam & instabilem firmare, & sistere; & per totalem à mundo qui jam planè & aperte in potestate Satanæ positus erat, separationem, novorumque rituum institutionem, *visibilem* magis & conspicuam reddere. Neque enim *visibilitas*, uti loquuntur, Ecclesiæ, ex Professorum numero æstimanda est. Nam cum cætus populi Dei in terris, qui ecclesia est, *visibilis* dici soleat abs *eâ pietate* quæ est justorum & injustorum distinctio; fieri potest, imo sæpenumero fieri solet, ut in maximâ professorum turbâ ob neglectam pietatem istam undè solum conspicua est, pæne lateat Ecclesia, neque dignosci clarè possit. Non aliunde vero quàm ex quo cætus aliquis est Ecclesia, est etiam *visibilis*. Quamvis ideò in *Abrahami* vocatione, in unam pænè familiam Ecclesia redacta sit, cum tamen luce spirituali, novis cultus divini institutionibus, quæ separationem ejus à reliquo mundo notabilem fecerunt, aucta fuerit & amplificata; illustrior, *visibilior*, & magis gloriosa, quam unquam antea, ab eo tempore emicuit.

Revela-

Revelationem autem istam, quæ *Abrahamo* facta novæ Ecclesiæ fundamentum erat, superius pro instituti nostri ratione breviter enarravimus. Ei innixam Theologiam quadringentos & triginta annos Obedientiæ Deo acceptæ, Fidei & cultus piorum pæne omnium regulam seu Canonem extitisse etiam ostendimus. Quæ verò novo huic Theologorum generi, seu Ecclesiæ *Abrahamicæ*, per aliquot secula divinitus acciderunt, in Libris *Geneseos*, & *Exodi*, planissime sunt exposita. Ad obedientiam quidem Deo ritè præstandam, cultum ejus assiduè celebrandum, & promissis fidendum, novis revelationibus subinde incitati & stimulati fuerunt. Variis autem afflictionibus & persecutionibus, quibus ex definito Dei consilio erant expositi, exercitati magis quam fracti aut oppressi fuere cùm in omnibus angustiis & periculis, inenarrabilia divini favoris & curæ testimonia obtinuerint. Promissiones quidem quas acceperat magnus ille Ecclesiæ & familiæ pater *Abrahamus*, cognitionem voluntatis Dei quâ erat instructus, cultus ritus omnes, cùm *πατροπαράδοτες* tum recens sibi præscriptos cum posteris communicasse, in Scripturis memoratur. Gen. cap. 18. v. 18. 19. Hæc vero omnia secundum uniuscujusque mensuram, ab iis omnibus, qui ab illo ejus Filio ad quem solum promissiones pertinuerunt, ordine naturali descenderunt, vel ex Dei voluntate & consilio iis sese adjunxerunt, observata fuere, donec veniret præstitutum illud tempus in quo omnia erant renovanda, atque in novam externi cultus formam redigenda.

Linguam *Abrahamo* usitatam, primorum hominum fuisse, ostendimus; Ea tandem ab *Hebero*, *Hebræa* dicta fuit. Hanc multas partes Orientis, ubi aliæ dialecti, *Syra* præsertim, in usu fuere, peragrantes ejus posteri, puram illibatamque conservarunt. Ex distinctione quam inter *Labani Syri* sermonem atque *Jacobi* Scriptura notat, id apparet. Gen. 31. 47. Vocavit Laban (Lapidum à cervum) יגר שהדותא & *Jacob* vocavit eum גלעד. Addit vulgatus interpres; *uterque juxta proprietatem linguæ suæ*. At *Labanus* cum fuerit ex Posteris *Heberi* linguam ejus non penitus dedidiscisse, probabile videtur ex nominibus *Hebraicis* quæ *Jacobi* filiis filiæ ejus imposuerunt; *Syrâ* vero tanquam sibi jam magis familiari usus est. In *Ægypto* etiam ubi per ducentos plus minus annos duram servierunt servitutem, mansit linguæ nativæ puritas. De cultu veri Dei haud idem dicendum. Totam enim Ecclesiam aliquatenus à principiis & normâ Theologiæ hujus *Abrahamicæ* defecisse in *Ægypto* testatur Spiritus Sanctus. Utramque mulierem, *Aholah* & *Aholiba*, seu *Israelem* & *Iudam*, hoc est totum *Abrahamidarum* genus, adulteria commisisse in *Ægypto* docet Propheta *Ezekiel*, cap. 23. 2, 3. ac Adulteria inde eduxisse;

xisse; v. 8. unde Deus conqueritur quod idola Ægypti non desereret populus iste, Capite vicesimo ejusdem Prophetæ, v. 8. Similiter *Iosua* disertè affirmat populi eremitici patres non tantum trans fluvium, sed & in *Ægypto* etiam Deos alienos coluisse, cap. 24. v. 14. Atque hinc fuisse nonnulli arbitrantur, quod Sathanæ glorianti de universa terra peragrata & sibi subdita, Deus *Iobum* tantum habuerit, quem ei objiceret; *Iob.* cap. 1. v. 7, & 2. 11. Quousque autem progressa est hæc A*brahamidarum* defectio, quibusve Idolis, quove cultu extraneo se polluerint, planè incertum est. An A*pidis* superstitionem admiserint posteà videbimus. Post id tempus non tantum in deserto ἱμοσχοποιίαν. stupendo vanitatis & cæcitatis humanæ mentis exemplo, sed usque ad captivitatem *Babylonicam*, quâ statuit Deus pestem illam penitus ab Ecclesia averruncare, Idololatriæ semper addictiores fuisse perhibentur. Sed hæc ad Ecclesiæ Mosaicæ defectionem pertinent.

Cum itaque jam tempus adesset in quo Theologiæ per meros homines docendæ & administrandæ, quasi manum supremam Deus adhibere voluerit, Mediatorem & internuntium agente *Mose*, populum hunc electum in desertissimas A*rabiæ* solitudines, à reliquis mortalibus omnibus separatum, evocavit: ibidemque leges sapientissimas, sanctissimasque, ritus sacros innumeros, totamque voluntatem suam, non sine immensa lucis Theologicæ ampliatione illum edocuit. Hæc autem tempora nullus ex lege arbitrariâ, seu purâ institutione Ecclesiæ status præcesserat. Usque adhuc ab orbe condito, unaquæque familia, vel separatim, vel cum aliis conjuncta, prout ex rerum circumstantiis iis agendum judicavit recta ratio, cultui Dei instituto vacavit. Nec aliter ab ipsis *Israelitis* factum dum in *Ægypto* hæserunt. Omnes quidem secundum ejusdem Theologiæ dictamina eundem Deum coluerunt; sed ut cætus alicujus Ecclesiastici nexu uniti id agerent, hoc quidem lex naturæ quâ solâ in omnibus non speciali modo revelatis usi sunt, non præscripsit. Cum vero gloriæ spiritualis olim per semen promissum in lucem producendæ ut typus seu exemplar conspicuum extaret necesse erat, totum illum populum in unum cætum visibilem qui cultus ejus sedes esset solennior, Deus compegit. Atque hæc in celeberrimâ illa νομοθεσία *Sinaica* acta fuere. Particulariū Revelationum capita persequi, aut institutiones cultus enarrare, à proposito nostro esset alienum. Progressum Theologiæ in genere investiganti, nonnulla quibus nunc primum aucta est annotare sufficiat.

Primò ideo, ea doctrina cælestis, seu Dei cognitio, quæ à jactis mundi fundamentis πολυμερῶς & variis occasionibus erat revelata, in unam generalem,

neralem & ſtabilem cultus & obedientiæ regulam quaſi compacta eſt, atque ὑποτυπώσις toti Eccleſiæ tradita. Deinde cum doctrina hæc non niſi per traditionem *oralem* uſque adhuc conſervata fuiſſet, unde partim amiſſa eſt penitus, partim ex variarum ſuperſtitionum falſarumque opinionum miſturâ inutilis reddita, jam ex ſpeciali Dei mandato & ineffabili erga Eccleſiam curâ, & miſericordiâ, fidis literarum monumentis commiſſa eſt. Ita curæ mortalium erepta eſt Theologia, neque audaciæ, cæcitati, aut negligentiæ eorum amplius expoſita. Quicquid idcirco de ipſis Theologis factum ſit, Theologia abs eo die uſque pura ſine minimâ labe aut corruptione permanſit. Porrò! priorum Revelationum Inſtitutionumque corpori collecto & in leges digeſto, novæ inſuper revelationes additæ ſunt, quæ Deum colendi atque ei vivendi regulam in eum modum perfectam reddiderunt, ut nullâ novâ inſtitutione, aut novâ doctrinâ opus haberet Eccleſia, donec veniret ille in *quo omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ habitaturi eſſent.*

Revelationes autem iſtæ mentis divinæ literis commiſſæ, non minori Evidentiâ Authorem ſuum referunt ac ſe à Deo eſſe hominibus perſuadent, quàm unaquæque Revelatio immediate alicui facta illum certum reddidit ſe eam à Deo accepiſſe. Cùm Deo placuerit ullos mortalium ſpiritu ſuo immediate afflare, aut revelationum divinarum participes facere, quomodo eum cum *Adamo, Noacho, Abrahamo* egiſſe oſtendimus, eos omnes de voluntate Dei, & quod Deus ipſos alloqueretur certiſſimos fuiſſe conſtat. At peculiaris erat ea certitudo divina, & perſuaſio quam nacti ſunt, quibus Afflatus illos vel Revelationes ex Dei juſſu communicarunt. Etenim qui certi aliquid habere velit de eâ Revelatione divina & ſupernaturali quæ ſibi immediate à Deo conceſſa non eſt, duplici ut inniteretur fundamento oportuit; Miniſterio ſcilicet illius cum quo Deus illam communicavit immediate, atque ipſius rei revelatæ naturæ divinæ affinitati, quæ ei divinum quid ineſſe manifeſto oſtenderet. Sed alio longè modo divina perſuaſio veritatis cælitus revelatæ in mentem humanam ſe inſinuat, ubi quis immediate Deum loquentem audit. Plerique Dei timentes ante verbum ejus literis commiſſum, non aliam habuerunt doctrinarum divinitùs revelatarum ἀσφάλειαν, quàm quæ res ipſæ paucorum miniſterii beneficio, mentibus eorum indiderunt. Mente autem Dei jam literis conſignata, unuſquiſque mortalium ad quem pervenerit Scriptura, non minus immediatè Deum ſe alloquentem habet, quam ſi vivâ voce Deum audiret loquentem, perinde ac *Adamus* cum vocem Domini ſe audiviſſe dixerit. Uti enim nulla vox aures hominum verberare poteſt niſi mediante aere in quâ formatur,

tur, neque tamen ob eam rem vocem istam immediatè à Deo esse, si modo Dei vox revera sit, negari potest; ita quamvis vox Dei scriptis tradatur, atque eo medio Deus utatur quo homines alloquatur, ob eam causam quo minus illos immediate alloqui dicendus sit, causa nulla est. Sed immediatè hoc dicitur fieri, respectu ad hominum ministerium ejusmodi cujus anteà mentionem fecimus, habito. Manet in Verbo divino scripto τὸ θεῖον illud, quod revelationes immediatas, comitatum firmissimam & prorsus infallibilem cælestis veritatis persuasionem iis dedit, ad quos factæ sunt. Quam sui fidem fecerunt olim Dei oracula immediatè concessa, exemplo esse potest ipse *Abrahamus.* Nihil rationis rectæ, uno hoc principio excepto quod Deo sit in omnibus absolutè obediendum, *Abrahamo* inerat, cui mandatum quod in θεοπνεύστω celebratissimo acceperat de *filio sacrificando*, non adversaretur. Ita tamen certè, indubitate, & infallibiliter Deum ipsum ei locutum fuisse oraculum patefecerat, ut omni dubitatione & disputatione exclusâ, illico se ad mandatum divinum exequendum accinxerit. Neque in Verbo scripto aliter se res habet. Ipse se in eo ita luculentèr revelat, atque authoritatem suam Deus ejus Author, ut nullo alio testimonio nixa, mens humana Religiosam in omnibus subjectionem ei præstare teneatur quod nos in peculiari libello fusius demonstravimus.

Theologiam vero hanc in celebri illa νομοθεσία revelatam firmatamque & libris commissam, alio atque alio modo considerari posse apparet. Si enim doctrinam ipsam, scopum ejus & finem primarium attendamus, nihil omnino sapit præter primi promissi *Evangelici* elucidationem manifestam. Institutionum pars maxima, sacrificiorum ritus pænè omnes, *Mediatorē* promissum, totum opus ejus Mediatorium, cum Redemptione æterna sanguine ejus olim acquirendâ, referunt, indicant, & enuntiant. Docendi *modus legalis* dicitur; Cum enim omnes cultus institutiones quas instituit, & exhibet, Carnales fuere, ex solo & liberrimo Dei beneplacito ad tempus tantum διορθώσεως præstitutum, institutæ, & populo *Israelitico* impositæ, ipsæ vi sua nullatenus afficere poluerunt divina illa & sacra ἀποτελέσματα, quæ præsignabant & in typo monstrabant. Qui ideo hâc Theologiâ instructi fuere, quamvis externorum Rituum jugum ex voluntate Legislatoris subire tenerentur, Promissa tamen vitæ æternæ per *Messiam* in carne exhibendum, bonorumque omnium spiritualium sub umbris legalium Ceremoniarum delitescentium, & intellexerunt, & fide apprehenderunt. Ipse enim Christus, *Mosem* ejusque Interpretes Prophetas, Testimonium sibi atque operi suo *mediatorio* perhibuisse, affirmat. Apostoli etiam Mortem & Resurrectionem, ipsius Christi atque

ex

ex iis vitam æternam annuntiantes, nihil aliud se docuisse quam quod in *Mose atque Prophetis* scriptum erat, asseruerunt. De Theologiæ hujus corruptione, atque Theologorum Apostasiâ Catholicâ posteà pluribus nobis agendum est; Triplicis erroris perniciocissimi nexu præsentes *Apostatas* teneri impræsentiarum annotasse sufficiet. Primò enim ultrà & præter Theologiam illam scriptis mandatam de quâ paucis egimus, aliam quandam oralem *Crypticam*, mistieam, scriptæ illius expositionem continentem, plurimàque alia nescio quæ ei superaddita, Deum tradidisse fingunt. Atque fabula hæc cui ubivis reclamat ipsa scriptura, præsentis *Judaismi* fundamentum est. Hujus autem legis oralis traditionem, quomodo scilicet facta sit, in סור עולם cujus Authores circa annum Christi milesimum centesimum vicesimum octavum, initio operis se vixisse, cum à vastatione Templi secundi ad præsens illud tempus in quo operi incubuerunt annos mille & quinquaginta tres effluxisse doceant, enarrant. יהשע (inquit) בו נח עת קבל ממנו תורה שבכתב ותירה (*hoc est*) *Jehoshua filius Num, pax super eum, accepit ab eo* &c. שבעל פה Mose) *tam legem scriptam quam Oralem. Constat quod Moses Praceptor noster sedebat judicans omnes Israel à mane usque ad Vesperam, & ea lex qua Scripta erat, non habebat unum de omnibus eventibus qui noviter oriuntur. Postea tamen super eos Tribunos, Centuriones, quinquagenarios & decuriones posuit, dixitque eis, audite fratres vestros, & judicate eos juste; dixit quoque de seipso; & pracepi vobis in tempore illo; certum hoc praceptum non fuit nisi illa lex quam habebat in ore.* De *officio quoque mactationis, & ceremoniis ejus Scriptum est; qua pracepi tibi offeres & comedes; docens scilicet, quod posita erant de mactatione quedam pracepta, qua non scripta erant in lege. Porro Jehoshua tradidit hanc legem senioribus quum migraret ad vitam futuri seculi: Seniores qui dies suos pertraxerunt post Jehoshua tradiderunt eam Prophetis, & Propheta unus alteri per generationes, usque ad Haggai Zechariam, & Malachi: Propheta tradiderunt eam viris magna Synagoga, qui sunt Zerubbabel filius Shaltial filii Jechonia regis Jehuda; & qui venerunt cum Zerubbabel. Joshua, Nehemia, Seraias,* A*zarabia, Mardochi, Belshan, Maspher, Bigui, Rehum & Baana. Hi sunt capita Synagoga magna*; hanc vero legem oralem, postea scriptis commisisse *Rab. Iuda*, qui ducentos annos post destructum templum secundum vixit pluribus narrat, R. M. B. M. præfatione *Zeder Zerami*, quam *cum aliis ejusdem Maimonidis* opusculis *Arabice* & *Latine* edidit Cl. *Pocockius* Ea lex ita primo in *Mishnaioth*, deinde in utrumque *Talmud* adjectis nimirum sapientum ab eo tempore responsis, & explicationibus excrevit. Eandem Cantilenam in Pirke Aboth, cap. primo, & nullubi non cantilant;

lant. In hisce exponendis totus est *Galatinus* in libro primo de *Arcanis Catholicæ* veritatis, qui *Martini Raimundi* vitulâ arasse comperitur. Eorum vero quæ circa legem hanc eiusque per traditionem conservationem confinxerunt *Iudæi Talmudici* consideratio alio in loco nobis occurret. Deinde *Iudæi* legalem illum docendi modum, atque cultus carnalis ritus omnes, æternos & prorsus immutabiles esse debere, autumant; Cui errori se opponit Epistolæ ad Hebræos Author, quem *Paulum* fuisse alibi ostensuri sumus. Per observationem autem istorum rituum atque constitutionum unà cum eâ obedientiâ quam propriis viribus legi Morali præstare possunt, se justificatos & coram Deo acceptos fore hariolantur. De hisce vero cum ad ἀποστασίας *Iudaicæ* narrationem deventum erit, pluribus uti diximus agendum.

LIB. IV.

De origine Literarum Digressio Prima.

Caput Tertium.

Investigationis originis literarum Rationes. Qui usum literarum antediluvianum statuunt Authores. Pro eâ sententiâ Argumenta. In Adamum literas invenisse probabile sit. Literas à Deo creatas nugantur Judæi, & Mahumedani. Suidæ, & Plinii Authoritas. Enochi Propheta. Sethi Columnæ. Kircheri Sententia. Ad Argumenta pro literis Antediluvianis Responsio. Sententiam eam suspicionem vocat Augustinus. Prophetia Enochi an Scripta, sub veteri Testamento. Contra usum literarum Antediluviarum Argumenta. Verbum Dei ante Diluvium scriptis non commissum. Literarum inter gentes post Diluvium fama nulla. De origine literarum apud gentes Testimonia. Literarum Phænices inventores primi communitèr habiti. Literarum ante Mosem nullum certum monumentum aut memoria. Cadmum inter gentes primum literas invenisse Constans fama. Usum literarum unde Phænices, (quorum Cadmus erat) didicerunt. Argumenta Kircheri pro literis antesinaiticis examinantur. Mercurius Trismegistus. De libro qui Asclepius dicitur. Liber bellorum Domini; Numer. 21. 14. De observationibus Astronomicis Chaldæorum.

CUm Theologia, seu veritatis quæ secundum pietatem est Doctrina, nunc primum literis commissa fuerit, abs opere instituto alienum non

non videtur, usus Literarum, aut scribendi Originem paucis investigare. Locum, fateor, haud magni momenti, omnium hominum conjecturis expositum, satisque dudùm plurimorum scriptis vexatum aggredimur; sed breves erimus neque, uti spero, tædio Lectori; præsertim cum causa haud desit de istiusmodi rerum fontibus ulterius adhuc inquirendi. Cùm enim Deum promissa atque mandata plurima hominibus dedisse ante νομοθεσίαν illam celeberrimam quam exposuimus superius demonstraverimus, atque eorum nonnulla fuerint quæ ad totum genus humanum pertinuerunt, cuncta vero toti Eclesiæ mediante hoc vel illo Administro data, si modò Literarum usum ante hoc tempus cognitum fuisse statuerimus, cur eorum nulla scriptis mandari voluerit, cùm id summo cum omnium beneficio fieri potuerit, proùt ex eventu patet, operæ pretium esset inquirere. Imò non ineptè quis hinc conjiceret, *Literas* non anteà ortum habuisse; quam Lex scripta fuerit easque quas Deus digito suo tabulis lapideis signavit, primas omnium fuisse proprie sic dictas; & quoniam in illa sententia ipse sim, quæ in contrarium a Virs doctis afferùntur, paucis examini subjicere visum est.

Sunt ideo qui Literarum & scribendi usum *Antediluvianum* asserunt. Ei sententiæ veri speciem ut imponerent, probationibus seu potius conjecturis quas verisimili saltèm arbitrantur similes utuntur. Primò enim *Adamum* mundi parentem longâ experientiâ & rerum usu sapientissimum, posterorum bono sedulò invigilantem, Literas etiam tantum humani generis beneficium invenisse æquum esse ut censeamus, judicant. Ita statuit Theod: *Bibliander* de origine literarum; & *Angelus Roccha* in descriptione *Biblioth: Vatican.* In *semicolumna lateritia*, inquit, *Adam est, per pictoriam artem satis belle effictus. Supra hujus caput Characteres sive literæ antiquiores, nunc Hebraicæ dictæ; ad ejusdem vero Adami pedes inscriptio latina in hanc legitur verborum formam. Adam divinitùs edoctus primus scientiarum & literarum inventor.* Atque hoc verum fuisse, ipsam rationem persuadere sentit. Eam vero proferendi tædio se oneratum noluit. Ejus Authoritate nititur *Hermannus Hugo* de scribendi origine Cap: 7. Hisce annumerari possunt, *Altissidorensis, Annius Viterbiensis* & *Camerarius*. Etiam libros quosdam *Adamum* scripsisse de Creatione mundi, & de pœnitentia, *Judæi* affirmant; *quæ librorum miracula* inquit *Giraldus* de Poet: Dial: I. *Si non portenta potius, imperitis nostris Christianis quibusdam illudentes Hebræi narrare consueverant.* Sed quid ni *Adamum* Libris usum fuisse audacter dicerent, cum ipsas literas a Deo creatas fuisse *vespere sublati* affirment; teste *Munstero* Annotati: in Cap: I. Gen: V: I. Duos

etiam *Alcorani* versiculos creatos fuisse bis mille annos ante mundum conditum, atque in paradiso Dei manuscriptos nugantur *Muchammedani.* *Suidas* in voce *Adam*; τῆτε τὰ χρεῖαν κὶ γράμματα. Quales vero Literas intelligat non ostendit, cum antea in voce, *Abraham*, dixisset, ἔως εὗρεν ἱερὰ γράμματα; per quæ verba literas Hebraicas significare uoluisse videtur. Deinde *Plinii* sive Authoritate seu Testimonio utuntur. *Natu: Histo:* Lib: 7. Cap: 56. *Literas* inquit *semper arbitror Assyrias fuisse.* Et paulo post: *ex quo apparet æternus literarum usus*; hoc est mundo coævus. Porro *Enochi* Prophetiæ in Epistola *Judæ* mentio facta est. Ea quomodo retineri potuerit in hominum memoria, nisi scriptis commissa fuerit, dificile est conjicere. Dicunt præterea *Sethum Adami* Filium columnas duas erexisses, *Lapideam* unam, alteram *lateritiam*, in quibus Solis Syderumque cursus aliasque observationes naturæ rerum inscripsisse eum affirmat *Josephus*, Antiqu: Lib: 1. Cap: 3. *Josephi* sententiæ subscribunt *Polidor: Virgil*: Lib: 1. Cap: 6. *Ludovi: Viu:* in Lib: 8. De civitate Dei Cap: 39. Aliique; denique, ni fallar, anteà observavimus *Maimonidem* affirmasse, *Idololatras Antediluvianos libros multos in erroris sui pernitiosissimi defensione scripsisse.*

Nemo autem est qui adèo animosè opinionis hujus patrocinium unquã quod sciam, in se suscepit ac *Athanasius Kirchrus*; Obelisci: Pamphi: Lib: 1. Cap: 1. p: 2, 3. Testimoniis autem nititur Rabbinnicis, novitiis omnibus, plerisque ineptissimis; imo ne quid causæ deesset, figmento monstrosissimo de Creatione Literarum in Paradiso fidem adhibere videtur; saltem Deum librum scripsisse ac *Adamo* dedisse extra controversiam poni velit. *Josephi* Testimonium quoque adducit; sed iis verbis quæ apud eum nullubi exstant; neque sine dubio extitere unquam. Pag: 7. *Chamum* impias artes invenisse, quas quia *Noachus* noluit permittere ut in *arcam* induceret, saxis & laminis ferreis inscripsit, nullus dubitat. Sed ita est Vir ille Doctus, ut vix ullubi in animum induxisse videatur quid scribere deberet, sed quid possit; paratus intereà credere quicquid, *Græcia mendax*
audet in historia.

Atque hæc sunt argumenta, quibus ut sententiam istam de Literis Antediluvianis probabilem reddant, utuntur Viri docti. An quod vellent eorum ope obtinuerint, restat ut paucis videamus. *Adamum* Literas invenisse, tantum suspicio est, & conjectura, cui ut assentiamur ratio nulla cogit. Vnde *Augustinus*, quæst: sup: *Exod*: Lib: 2. q: 69. *Nonnullis videtur a primis hominibus literas cæpisse, & productas esse ad*
Noe,

Noe, *atque inde ad parentes Abrahe*, *& inde ad populum Israel*; *sed unde hoc probari possit ignoro.* Quâ Viri doctissimi ignorantiâ adhuc laboramus omnes. Post remissum peccatum, *Canticum cum Deo dixisse* refert *Targum Chal: in Cant: Solom*: Cap: 1: 1. De scriptione nihil addit Author, quamvis aliàs nugarum plenus. *Angelus Roccha* imaginibus nescio quibus, & picturis novitiis in *Bibliothecâ Vaticana* nititur, ipse autem quam ineptus Author sit, quam nullius judicii posteà videbimus. *Adamum* vero Artes omnes & Scientias non invenisse certum est; imò fortè ne multas quidem excogitavit, cum vitam duxerit sine dubio ærumnosissimam, & magna erat ejus miseria quamdiu viveret. *Plinii* Authoritas in hac causa nulla esse potest; utpote qui de rerum Originibus ultra *Græcorum* fabulas, & conjecturas, nihil sciret, atque ideò in omni verâ Antiquitate infantissimus. Qui vero mundum æternum fuisse negant, ejus Testimonio uti non possunt, non debent; cum non aliam ob causam æternitatem Literarum finxerit, quam quia mundum initio caruisse censeret.

Neque *Enochi* Prophetiæ commemoratio conjecturæ huic fidem afferre aut Authoritatem videtur. Ejusmodi dictorum memoriam per multa secula, & quid ni per omnia, conservare, impossibile videri non debet, iis præsertim quorum ad stomachum & palatum satis faciunt *traditiones* Ecclesiasticæ; Apud *Druidas*; non *fas fuisse sacra literis mandare*, refert Cæsar Lib: 6. de Bell: Gall: eandem disciplinam observasse *Pythagoræos* omnes, & *Ægyptiorum* Theologos notum est; & anteà nos ostendimus ex Herodoti Lib: 2. Imò *Lacedæmonii* leges nullas scriptis commiserunt, quod observatum, Justiniano. J: 2. S: 20. Refert Plutarchus in vita Licurgi, νόμοις δὲ inquit γεγραμμένοις ἐκ ἐχρῶντο. Neque tamen concisè & *Laconicè* dicta memoriæ infixa retinendi spes defuit. Sed traditionibus fidem in hac causa asserere non opus est. Prophetiam enim istam *Enochi* vel ἀγγράφως vel ἐγγράφως extitisse, per ea omnia secula ex quo primum prolata est & innotuit, ad *Judæ* usque tempora, illumque vel ex Traditione, vel ex Libris scriptis eam didicisse cur crederemus, causa nulla est. Qui eam primus literis mandavit ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενος cum esset, aliundè quam ab ipsius spiritus afflatu illam hausisse credibile non est. Et cur ab oblivione longissimâ tum temporis vendicaretur, causa erat gravissima. Instabat propè tempus in quo plenissimè implenda erat prophetia ista in *Ecclesiæ Judaicæ* Πανωλεθρίᾳ, & horrendâ destructione, cujus typus & exemplar in diluvio præcessit; prout eandem cum *Judâ* telam pertexens docet *Petrus* 2 Epist: cap: 3. Antiquissimam ideò judiciorum Dei jam tùm

exequendorum prædictionem, ad sanctorum fidem firmandam repetit, & in memoriam revocat, ipse ejus Author Spiritus Sanctus. Ei autem ad sua iteranda, nec Traditionibus, nec Libris opus est.

Proro! verum quidem est, *Josephum* posteros *Sethi*, (non ipsum *Sethum,*) columnas duas erexisse affirmare, cujus narrationi fidem adhibere nonnullis placet. Quamvis autem nudâ ejus Authoritate in re sibi minime perspectâ haud vehementèr movear, sufficiat in hac causa eum literarum mentionem facere negare; quamvis eum in totâ istâ re *incredibili audaciâ, aut futili credulitate usum fuisse*, confidentèr pronunciet. Hornius, Introduc: ad *Geograp*: *vet*: Hoc autem fieri potuisse, aliis modis absque Literarum propriè sic dictarum usu, ex *Ægyptiis Hieroglyphicis* palam est. Sed incerta hæc sunt omnia, quibus ad conjecturam hanc stabiliendam, nec rationis momentum aut pondus, neque umbra inest. Neque valere debebit *Maimonidis* testimonium adversus validissima ista argumenta, quibus probavimus, *Idololatras Antediluvianos* nullos fuisse.

Suspicio ideò quorundam de Literis *Adamicis*, aut Antediluvianis nullo modo probabilis est. Rationes autem quibus ultra probationum harum infirmitatem, ea omni veri specie, imò & probabilitatis colore destitui ostendi potest, non desunt; Unam aut alteram producere sufficiat. Ea quam in hujus disputationis initio retulimus, ad litem hanc dirimendam satis valida est. A rerum principio Deus in usum eum timentium, promissa multa & mandata, quæ fundamenta nullibi habuere præterquàm in liberrimâ ejus Revelatione, hominibus dederat. Absque promissorum & mandatorum illorum cognitione, frustrâ erat omnis illa naturalis Dei notitia quam ex lege naturæ insitâ, vel rerum creatarum contemplatione obtinere potuerint. Deum autem qui summè bonus est, voluisse ut mediis omnibus ab ipso concessis, ad vitam æternam obtinendam necessariis uteretur humanum genus, probationum haud eget. Cum autem ἀναντιῤῥήτως constet, media illa scriptis optimè conservari & in notitiam hominum pervenire potuisse, neque modus ille promissorum præceptorumque divinorum conservandi Deo displicuerit, imò placuerit maximè, quæ ratio idonea reddi potest, cur ante Diluvium id fieri noluerit, vel ut fieret non præceperit, si modò usus Literarum tum cognitus esset? Cùm autem nulla vestigia extent scripturæ alicujus sacræ ex Dei mandato exaratæ ante diluvium, Literarum usum tum temporis cognitum non fuisse, noli suspicari, cum res certa sit. Inde *Theophilactus*, οἱ μὲν (inquit) πρὸ τοῦ νόμου ἐκεῖνοι θεῖοι ἄνδρες, οὐ διὰ γραμμάτων καὶ βιβλίων ἐδιδάσκοντο. in Matth:

De-

Deinde si in usu communi literæ fuissent ante diluvium, atque proindè iis omnibus cognitæ qui è clade illâ Diluvianâ erant superstites, qui fieri potuisse censebimus, ut cunctas Gentes rei præclaræ & utilissimæ in vitâ humanâ oblivio extemplò caperet; Literarum autem earumve usus memoriam ullam servatam fuisse inter gentes a *Babylonicâ* clade undique dispersas, vel famam tenuissimam licet, superfuisse, ea quæ de illarum primâ hìc illìc inventione passim celebrantur, non permittunt ut credamus. Cùm autèm eæ Literarum origines quæ certò investigari possint, non tantum mundo Antediluviano illas abjudicant, sed toti illi temporis seriei quæ inter diluviũ & νομοθεσίαν intercesserit, eas brevitèr introspicere licet. Quicquid ex veteribus, *Herodoto* scilicet, *Diodoro Siculo, Plinio, Tacito, Lucano*, aliisque de Literarum Origine corradi potest, in Dialogo 1: de *Poetis* retulit Lilius Giraldus, multa inepta & falsa veris miscens; Inter alia *puncta Hebraica* Judæos nescio quos invenisse & *Mesoreth* appellasse fingit ineptè satis; punctationem Hebraicam non esse *Massora* neque dici, norunt qui nondum ære lauantur; Ejus *syntagma* in librum suum transcripsit *Hermanus Hugo*; de *Origine & Antiquitate scribendi*. Literarum *Phœnicum* ortum & primum in Græciam adventum, ex antiquorum monumentis diligentèr & eruditè exposuit V: D: *Sam: Bochartus* in 2. parte Geograph: Sac. Lib: 1. Cap: 20; Cujus summæ eruditioni & diligentiæ vix aliquid addi potest, Idem præstitit admirabilis vir *Josephus Scaliger*, Animad: in Euseb: Chron: ad an. 1617. *Angelus Roccha* in descriptione *Bibliothe. Vaticanæ*, multarum in diversis linguis literarum inventores recenset. Omnium autem diligentiam & eruditionem cùm obscurare moliretur in opere suo magno, cui Oed: *Ægyt:* titulum fecit, *Athanasius Kirchorus* (quo an majore ἀπατίᾳ & ostentatione post homines natos opus aliquod literarium in lucem prodiit unquam, equidem vehementer dubito) quid præstiterit eruditi judicabunt. Nos rem totam ut illùc pervenire possimus, quo pertendimus, paucis expediemus.

De Literarum Antiquitate & primæ inventionis gloria, contendunt *Assyrii, Ægyptii, Phœnices*, atque ipsi etiam *Græci*; ut *Chinensium* fabulas taceamus; Literas *Assyrias* semper fuisse, adeòque æternas existimasse *Plinium* ante ostendimus. *Phœnices* a *Syris*, seu *Assyriis*, Literas accepisse refert *Diodorus* Sic: Lib: 5. *Ægyptios* literarũm usũ *Mercurium* docuisse *Manetho* tradidit; referunt *Cicero* de nat: Deor: lib: 3: et *Plutarchus* symposi: 9. Ἑρμῆς (inquit) λέγεται θεῶν ἐν Αἰγύπτῳ γράμματα πρῶτος εὑρεῖν. Græcas, nonnulli *Cecropem Atheniensem* invenisse scribunt; ita Tacitus Annal: 11. *Quidam Cecropem Atheniensem vel Linum Thebanum*,

Thebanum, & temporibus Trojanis Palamedem Argivum memorant sexdecim literarum formas, mox alios, ac præcipuum Simonidem cæteras reperisse. *Cecropem* autem *Ægypto* ortum atque illinc in *Græciam* intulisse literas ferunt. Literarum inter *Phænices*, ante *Cadmum* & *Phænicem* fratrem ejus, memoria nulla extat. Atque hæc pœnè sunt quæ de literarum origine cum aliquâ veri specie memorantur. Videamus primo an earum antiquitas supra *Mosis* tempora hinc elici possit, de aliis postea dicturi.

Cecropem, qui & διφυὴς & αὐτόχθων dicitur, ipsi *Mosi* coævum fuisse censet Euseb: in Chron: *Cadmo* antiquiorem.

Is autem *Mosem* 200 Ann: juniorem, quàm veteres omnes Christiani, etiam & Porphirius statuunt, quo nomine apud Georgium Synclleum aburde abunde vapulat.

At eum literas invenisse nulla fama est fide digna, quæ dicenda restant forsan fabulam redarguent. Quæ de *Hermete* aut *Mercurio Ægyptio* feruntur fabulosa esse omnia plurimi arbitrantur. Quintum eum Mercurium fuisse *Tullius* affirmat, tertio *de natura Deorum:* & ab *Ægyptiis* quibus leges literasque tradidit *Thoyth* appellatum fuisse: Eum autem longo post *Mosem* tempore vixisse probat *Augustinus* de Civitat: Dei lib.18.cap.39. Quandocúnque autem vixerit non alias literas quam *Hieroglyphicas* Ægyptios docuisse videtur; unde de ejus literis *Plutarchus*, symposi.9. διὸ καὶ τὸ τῶν γραμμάτων Αἰγύπτιοι πρῶτον ἶβιν γράφουσιν; hoc est primæ loco literæ, serpentiphagam illam avem pingunt: & Kirker. Tom.3. Oed. Ægypt: dub.2 p.47, probat *Ibin* primam fuisse literam apud *Ægyptios*. Is Mercurius *Taautus* est, cujus libros accuratè rerencet Stromat: Sexto *Clemens Alexandrinus*. Quosetiam diligenter inquisivisse *Sanchuniathonem* refert *Philo*. Πολυπραγμονήσας ἐξεμάστευσε τὰ Τααύτου, εἰδὼς ὅτι τῶν ὑφ᾽ ἡλίῳ γεγονότων, πρῶτός ἐστι Τάαυτος ὁ τῶν γραμμάτων τὴν εὕρεσιν ἐπινοήσας; *Magna cura scrutatus est Taauti libros, cum sciret eorum qui sub sole fuerunt primum Taautum literarum usum repperisse.* Taautum vero hunc Filium fuisse ait Misoris, fratris Sydyci; qui Dioscuros genuit; quos paulo ante Troica vixisse notum est. *Cadmum* Greciæ literas intulisse pervetusta est & constans opinio. Illustre imprimis est *Herodoti* testimonium in *Terpsicore*. Οἱ δὲ Φοίνικες οὗτοι οἱ σὺν Κάδμῳ ἀπικόμενοι, τῶν ἦσαν οἱ Γεφυραῖοι, ἄλλα τε πολλὰ οἰκήσαντες ταύτην τὴν χώρην ἐσήγαγον διδασκάλια ἐς τοὺς Ἕλληνας καὶ δὴ καὶ γράμματα, οὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι ὡς ἐμοὶ δοκέει. *Phænices isti qui cum Cadmo advenerunt, quorum Gephyræi fuêre, dum hanc regionem incolunt, cùm alias multas doctrinas, tùm etiam literas in Græciam introduxêre, quæ apud Græcos ut mihi videtur anteà non fuerunt.* Et paulo post, de iisdem literis loqui pergens, æquum erat

ἔσαγα-

ἐσαγαγόντων φοινίκων ἐς τὴν Ἑλλάδα φοινικήϊα κεκλῆσθαι: *cum ipsas introduxissent Phœnices, ut Phœniciæ dicerentur.* Atque ita dicta sunt; seu φοινικήϊα σήματα Κάδμου; verba sunt *Timonis* apud *Sextum Pyrronium.* Et *Plutarchus* sympos. lib. 9. qu. 3. φοινίκεια διὰ Κάδμον ὀνομασθέντα; *propter Cadmum phœnicia dicta sunt*, nempe literæ istæ 16, quibus primo usi sunt *Græci*, Et in comparat: *Aquæ & ignis*; ἢ φοινίκεια γράμματα. *Plinius* etiam Natural: Histor: lib. 7. cap. *quæ quis invenit in vita, literas in Græciam intulisse è Phœnice Cadmum; sedecim numero*, affirmat *Eahum.* Et ex *Critiâ Athenæus*; φοίνικες δ' εὗρον γράμματ' ἀλεξίλογα Deipnos: lib. 1. *phœnices invenerunt literas, vocis adjumentum.* *Cur autem* γράμματα dicuntur ἀλεξίλογα rationes varias reddit Eustathius in odyss. 14. ἢ τὰ ἀλέγοντα ἤγουν βοηθοῦντα εἰς λόγον; *quibus utimur in sermonem*, vel *quæ sermonem adjuvant.* aut δι' ὧν ἀποσβεῖται τὸ πλεῖω λέγειν; *quarum ope sermonum fit compendium.* Casaubonus in Athenæum lib. 1. cap. 22. literas putat non inepte dici posse ἀλεξιλόγας, *propter vim orationis in sanandis animi porturbationibus.* Secundum illud ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι. *Tacitus* etiam Annal. 11. *Fama est Cadmum classe phœnicum vectum rudibus adhuc Græcorum populis artis ejus* (scribendi nempe) *auctorem fuisse.* Inter epigrammata quæ in *Zenonem* scripta sunt, quæ memorat in ejus vita *Diogenes*, est illud *Zenodoti Stoici* quod sic finitur;

> Εἰ δὲ πάτρα φοίνιξ τίς ὁ φθόνος; ἦν καὶ ὁ Κάδμος
> Κεῖνος, ἀφ' οὗ γραπτὰν Ἑλλὰς ἔχει σελίδα.
> *Si patria est phœnix, quid tum? nam Cadmus & ipse*
> *Phœnix, qui Græcis prima elementa dedit.*

Famæ assentitur Clem: Strom. lib. 1. Κάδμος φοίνιξ ἦν ὁ τῶν γραμμάτων Ἕλλησιν εὑρετὴς, ὥς φησιν Εὔφορος (Ἔφορος ex correctione *Lipsii* & *Bocharti*) ὅθεν καὶ φοινικήϊα τὰ γράμματα Ἡρόδοτος κεκλῆσθαι γράφει. *Cadmus phœnix erat, et apud Græcos literarum inventor, ut ait Ephorus, unde Herodotus scribit literas phœnicias dici.* Ita *Suidas* etiam in Κάδμος ubi *Zenodoti* epigramma ex *Diogene* recitat, Et φοινικήϊα γράμματα apud *Hesychium*; ἀπὸ φοίνικος τῆς ἀκταίωνος (inquit) φασὶν ὀνομασθῆναι αὐτά: ab ipso autem *Cadmo* ita fuisse dictas cum phœnix esset, magis probabile; quamvis *Actæon Cadmi* nepos erat ex filia *Autone.* Et Lucanus

> *Phœnices primi (famæ si credimus) ausi*
> *Mansuram rudibus vocem signare figuris.*

Quibus Verbis refert illud *Critiæ* apud *Athenæum* lib. 1. φοίνικες δ' εὗρον γράμματα ἀλεξίλογα. Alibi autem *Hieroglyphicum* scribendi modum in usum fuisse apud Ægyptios, ante inventum literarum usum idem *Lucanus* docet.

Nondum

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, in saxis tantum volucresque feraque,
Sculptaq; servabant magicas animalia linguas.

Curtius etiã lib.4.cap 4. *Hac gens*, phœnicũ scilicet, *literas prima, aut docuit aut didicit.* Et Irenæus lib. 1.cap.12. *Graci se a Cadmo sex & decẽ literas accepisse confitentur, ac postea temporis progressu nunc aspiratas nunc duplices invenisse: postremum vero omnium Palimedem longas adiecisse tradunt.* De ullis rerum originibus vix in totâ antiquate constantior fama. Assentitur etiam huic opinioni Kircher: sed frustrà vellet *Cadmum* Ægyptium fuisse; quod nullis pæne rationibus, verbis multis contendit. *Oed. Ægypt.* Tom,3. diatrib.3. prælus.p.56.57.

Fateor Eusebium ita sensisse; Lib.2.Chron. N.DLXII; *phœnix inquit, & Cadmus de Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti, apud Tyrum & Sydonem regnaverunt.* Contrarium probant, Mores, Religio, nomina Phœnicia, ab Ægyptiis penitus abhorentia.

In numero etiam literarum quas in *Graciam Cadmus* intulit, non minor est consensus. Sedecim fuere: ita *Tacitus, Plinius, Plutarchus,* & *Eusebius* Chron.lib. 2 num.1617. Bello Trojano *Palimedem* iis quatuor adjecisse affirmat *Plinius*; scilicet Θ, Ξ, Φ, Χ; & totidem post eum *Simonidem Melicum*, viz. Ζ, Υ, Ψ, Ω: apparet itaque Cadmæas fuisse Α, Β, Γ, Δ, Ε, Η, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ. Plutarchi verba in eundem sensum sunt, τὰ δὲ δὴ πρῶτα καὶ φοινίκεια διὰ Κάδμον ὀνομασθέντα τετράκις ἡ τετρὰς γενομένη παρέσχε, καὶ τῶν αὖθις ἐξευρεθέντων δὲ Παλαμήδης τὰ πρότερα τέτταρα, καὶ Σιμωνίδης αὖθις ἄλλα τοσαῦτα προσέθηκε. Symposi.lib.9. problem. 3. & *Irenæus* adversus Marcum: Haret: Ἕλληνες ὁμολογοῦσιν ἀπὸ Κάδμου πρῶτον ἓξ καὶ δέκα παρειληφέναι. At si verum sit *Cadmum* sedecim literas in *Graciam* tantùm attulisse, non apparet illas, istas fuisse quæ tum *Hebræis* erant in usu. Ante enim *Cadmi* tempora lex à *Mose* scripta est; in qua ubivis occurrunt literæ viginti & duæ; imo in decalogo omnes, unâ *Teth* exceptâ, repetuntur; si ideo iis literis *Cadmus* usus esset, cur non reliquas sex *Græcis* notas fecisse censeamus, Probabile ideo est *Phœnices* postquam literarum usum inter *Hebræos* perspexissent, ad eorum exemplum aliquas, *sedecim* scilicet, excogitasse. Istas *Cadmus* in *Graciam* intulit. An eadem fuere cum iis quæ *Samaritanæ* dicuntur incertum. Alphabetum quidem *Samaritanum* non nisi serò viginti duarum literarum numerum recepisse videbimus. Figuras etiam, seu characteres literarum eos mutasse constat, Literarum itaque memoria ante ætatem *Cadmi*, apud gentes planè nihil est. *Phœnices* quorum *Cadmus* erat, literarum usum a *Syris* didicisse Author est *Diodorus Siculus*, lib. 5. Σύριοι μὲν (inquit)

εὑρεταί

εὑρεταὶ γραμμάτων εἰσί, παρὰ δὲ τούτων Φοίνικες μαθόντες, &c. *Syri literas invenerunt: ab iis edocti Phœnices.* Hebræos, *Syros* dictos esse nemo ignorat. Literarum autem usum, non figuras, non numerum, *Phœnices* a *Syris* accepisse, ex iis quæ de *Cadmo* attulimus, constat. Modi scribendi quidem apud *Syros* usitati fama aliqua *Græciam* pervasit, usus quod apparet non item. Eum *Tapucon* vocant; & fit sinistrorsum. Ita illud scribendi genus vocari ex *Sexto Pompeio* annotat *Giraldus*. Vocis etymon indagare quidam conati sunt; ni fallar frustrà. Ejus memoria aliqua retenta fuisse videtur in eo genere quod βουστροφηδὸν vocarunt. De quo *Pausanias* in *Eliacis*; *Isidor:* Origin: Lib: 6. Cap: 13. *Suidas* in, ὁ κάτωθεν νόμος; *Meursius* Attic: Lec: Lib: 1. *Vossius* Gram: Lib: 1. *Bochart*: Geograph: sac: pa: 2. Lib: 1. Cap: 20; aliique agunt. Quænam autem illarum literarum quas primùm *Cadmus* in *Græciam* intulit, illarumve quibus *Iones* primum usi sunt signæ fuerint non usquequàque constat. Refert *Herodotus* se apud *Thebanos* in *Ismenii* Apollinis templo literas *Cadmeas* in tripodibus quibusdam incisas, magna ex parte *Jonicis* similes vidisse. Epigrammatûm primum fuit

Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν ἐὼν ἀπὸ Τηλεβοάων

aliud.

Σκαιὸς πυγμαχέων με ἑκηβόλῳ Ἀπόλλωνι
Νικήσας ἀνέθηκε τεῒν περικαλλὲς ἄγαλμα

Tertium vero;

Λαοδάμας, τρίποδ' αὐτὸν ἐϋσκόπῳ Ἀπόλλωνι
Μουναρχέων ἀνέθηκε τεῒν περικαλλὲς ἄγαλμα.

Laodamantem autem tripodem hunc ante bellum *Trojanum* dedicasse contra *Josephum* qui Græcos usum literarum tunc temporis ignorasse affirmat, nequicquam probare conatur Cl: Vossius, de Gram: Lib: 1. Cap: 10, cum pænè in ipsum illud tempus inciderit ejus regnum. Is enim *Eteocleos* filius erat, Polynicis verò filius ei bello interfuit. Epigraphas hasce, literis *Jonicis* priscis, quas *Cadmeis* similes fuisse affirmat *Herodotus*, reposuit *Josephus Scaliger* Animad: in Euseb: Chron: ad numer: Euseb: 1617, Secundum typos quos ex columnis in hortis *Farnesianis* Romæ, exscripsit; earum, in primo versiculo, exemplar hoc est.

AMΠHITPVON. M. ANETHEKN. EΩN. AΠO. TELEBOAON.

Hasce vero antiquissimas fuisse apud *Græcos* literarum figuras, vix sane credidissem, nisi *Plinius* docuisset antiquas literas *Jonicas*, a veteribus

Qq *Lati-*

Latinis parum distasse; Lib: 7. Cap: 58. Et *Tacitus*, Annal: 11. *Formæ literis Latinis quæ veterrimis Græcorum*.

Non enim ita abscedunt ab iis quæ in usu continuo suere, ut earum notitia & ratio doctissimos antiquorum fugeret; quod tamen de *Jonicis* legimus. De *Eretriis* enim qui tempore *Darii* regis in regionem quandam *Medorum* non procul a *Babylonia*, captivi ducti sunt, ista narrat *Philostratus* in vita Apollonii: γράφοντες τὸν Ἑλλήνων τρόπον, καὶ τὰ γράμματα Ἑλλήνων μὲν, ἀλλ' οὔπω τοιαῦτα ἰδεῖν φασι. *Literas Græco more scribunt*, hoc est dextrorsum, non sinistrorsum ut orientales; & *literæ Græcæ quidem, sed quales se nunquam vidisse affirmant*. Idem narrat *Græcos* qui *Gades* incoluerunt, columnis *Herculis* inscripsisse quædam, οὔτε Αἰγυπτίοις οὔτε Ἰνδικοῖς γράμμασιν οὔτε οἵοις ξυμβαλεῖν; *literis neque Ægyptiis, neque Indicis, neque ab ullo cognitis*; & tamen eo migrarunt *Græci*, longè postquam *Jones* literas Cadmeas didicissent. *Phœnicias* fuisse arbitror, a quibus istæ superius positæ longissimè distant.

Cum ideo palàm sit literarum usum, sensim, & per varios gradus, & ex variis occasionibus conatibusque mundo postdiluviano serò admodùm innotuisse, utcùnque commentum de literis *antediluvianis* quibusdam placeat, mihi quidem herclè non est verisimile.

Pergamus ad ea secula quæ diluvium proxime secuta sunt, ut vestigia si fieri possit literarum ortus ante legem *Mosaicam* divinitùs latam scriptamque indagemus. *Athanasius Kircherus* datâ operâ *Ægyptios* ante *Mosis* tempora literas habuisse probare nititur; eo autem solo argumento utitur quod usum literarum edocti sunt per *Mercurium Trismegistum*, quem *Mose* antiquiorem *Abrahamo* coævum fuisse statuit. Porro multos eum libros scripsisse eorumque nonnullos superesse etiamnum contendit. Atque ita demum lite ancipiti decisâ, serio multis verbis Triumphum agit. Ast virum illum doctum, cujus an otium aut ingenium magis mirari debeam valde dubito, nil nisi crudas conjecturas, plerumque ineptas, fabulis prodigiosissimis interpolatas congessisse, pluribus in locis spissi operis videtur. Testimonia enim quibus utitur, ejus generis plerumque sunt, qualia nemo eruditus possit in animum suum inducere, recensere, nisi πολυγνωσίας ostentandæ gratia! Imo putidissima sunt hominum indoctorum figmenta, quorum nemo ex veteribus non nugator meminit. In iis autem quæ paulò melioris notæ videntur, ætatis, aut scriptionis *Hermeticæ* ne γρῦ. Quid, quod ipse *Athanasius* alibi concedat *Mercurium* hunc literis *Hieroglyphicis* solùm usum fuisse? Cum enim in mentionem incidisset multorum millium librorum *Mercurio* huic adscriptorum, addit continnò; *Nolim tamen quenquam hoc loco existimare*

existimare Trismegistum integra volumina triginta sex millia scripsisse, sed per ejusmodi libros intelligi proprie certa quædam systemata Hieroglyphicas quibus varias artes & scientias indigitabat. Sed & librum qui adhuc extat *Asclepium* dictum, eidem *Mercurio* ascribit vendicatque, & negat ab Hæreticis antiquis quod putant nonnulli, confectum; atque isti argumento digressionem peculiarem dicat. Planè ubi eam legi, hominis misertus sum. Neque enim mortalium quisquam operam & studium inutilitèr magis locare unquam potuit. Qui centones istos ex Sacris Scripturis, & *Platonicorum* Philosophorum scriptis evidentissimè consarcinatos, per *Mercurium* illum *Trismegistum Mose* antiquiorem scriptos esse in animum inducere potest, is quidem uti mihi videtur, non tantum facilem admodum assensum næniis putidissimis ridiculisque paratus est præbere, sed & hoc apud se fixum ratumque habere, oculos scilicet in sole nunquam aperire, ne lux invito illucesceret. Sed figmenta Rhapsodi illius portentosissima deperit *Kircherus*, etiam horrendam istam *Blasphemiam*, qua Deum ob filii generationem ἀρσενόθηλυν vocat. Atque ut liberè dicam, horrenda planè sunt, & scandali plena, quæ in *Obeliscorum* & *Hieroglyphicorum* expositione de *numine triformi*, aliisque blaterat. Idem tamen fatetur *se minimè negare posse multos libros olim circumlatos fuisse suppotitios.* Antiquorum enim nonnullos ei fraudi concinnandæ studuisse notissimum est. Id nos ex *Platone* superius demonstravimus. De Libro autem isto, *Mercurio* falsò ascripto, consulat Lector, Casaubon: Excer: 101: ad Apparat: Annal: sec: ja: ad num: 18 & discat quam ineptè plurima finxerit impudentissimus impostor. Multos quidem viros prudentiâ celebres, antiquitùs sub *Mercurii* nonomine claros fuisse memorant *Cicero, Plutarchus* aliique. Ex iis unum quem *Thoyth* seu *Thouth* aut *Touth* appellabant, *Ægyptios* literas docuisse antè ostendimus. Eum ante *Mosis* tempora vixisse atque literas propriè sic dictas invenisse, Testimonium fide dignum nullum extat. Et procul omni dubio, si a primâ antiquitate usum literarum cognitum habuissent, non ita desipuissent, ut perplexo, obscuro, & inutili animi sensus indicandi modo per *Hieroglyphica* perpetùo uti voluissent.

Zoroastrem etiam *Mose* antiquiorem fuisse & nescio quos libros scripsisse aliqui narrant. Sed benè est quod *Porphyrius* in vita *Plotini* affirmet se multis argumentis ostendisse librum *Zoroastris* nomini inscriptum adulterinum & recentem esse.

Nugis ideo hisce omissis, videamus quæ serio in hâc causâ dici solent. Duo sunt quæ cum specie aliquâ probabilitatis proferunt antiquitatis literarum patroni. Unum est quod ipse *Moses* meminit *libri bellorum domini*,

mini, ſcilicet ante ea tempora ſcripti. Num: 21: 14. Verba ſunt; על כן יאמר בספר מלחמת יהוה; *idcirco dicitur in libro bellorum Domini:* quibus librum ſcriptum fuiſſe antea oſtendit. Sed ספר non tantum *librum* ſed etiam *enarrationem* quamcunque ſignificat. ספר propriè eſt *recenſere* aut *numerare*; ſcribere, non niſi per accidens, Ita Gen:5: 1. זה ספר *hæc eſt enarratio*, ſcilicet generationum *Adami*, neque in libro aliquid ſcriptum, ſed enarratione quadam dictum, aſſeritur. Ita nomen antiquum urbis *Debir* fuiſſe dicitur קרית־ספר Kiriath ſepher, Judic: 1: 11. Addit vulgatus; id eſt *civitas literarum*; ex *Græca* ſcilicet τῶν LXX verſione, quæ habet πόλις γραμμάτων. & eadem urbs dicta fuit קרית־סנה Joſhuæ. Cap: 15: v. 49. Kiriath Sanna; hoc eſt urbs doctrinæ. Per ספר ideo doctrina ſeu hiſtoria intelligitur; docet enim hiſtoria; præſertim ea quæ eſt de factis Domini. Deinde יאמר, non quod *dictum*, ſed aliquid *dicendum* denotat, Librum *Judicum* intendi putant *Hebræi*; Ego hunc ipſum Numerorum librum intelligi puto. *Dicetur* inquit *Moſes*; hoc eſt, *ex libro bellorum Domini*, celebre erit, & in ore hominum.

Alterum in hac cauſa argumentum eſt, quo etiam utitur Cla: Voſſius de Arte Gramm: Cap: 9. Lib: 1. Quod *Simplicius* Comment: 46: in Ariſtot: Lib: 1. De *cælo*, aſſerat *obſervationes Aſtronomicas quas Chaliſtenes è Babylone Ariſtotelis juſſu miſerat, fuiſſe annorum mille nongentorum trium, quas refert Porphyrius*, uti quidam addit, *ad Alexandri Macedonis tempora ſervatas fuiſſe*; quod quidem non admodum erat difficile, ſi Chaliſtenes eas è *Babylone* miſerit. Sed vixit *Simplicius* poſt miſſionem iſtam *Chaliſtinianam* annos mille aut eo circiter.

Quàm facilè autem ſit in annorum recenſione labi, præſertìm cum nulla extent rei geſtæ monumenta fida, omnes novimus. Neque *Simplicius* ſententiam propriam exponit, ſed quæ alicubi ſcripſit *Porphyrius* refert; miſſa fuere inquit obſervationes Aſtronomicæ, ἅς τινας διηγεῖται ὁ Πορφύριος χιλίων ἐτῶν εἶναι καὶ ἐννακοσίων τριῶν μέχρι τῶν χρόνων Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος σωζομένας; *quas Porphyrius mille nongentorum & trium annorum fuiſſe, & uſque ad Alexandri Macedonis tempora ſervatas, narrat.* Quo in opere iſta narravit *Porphyrius* incertum: cum in τοῖς σωζομένοις verba illa nullubi reperiantur. *Beroſus* eas obſervationes tantum annorum 480. hoc eſt anno 13 *Antiochi Soteris*, cui illa Hiſtorica ſua obtulit fuiſſe affirmat. *Epigenus* 720 fuiſſe docuit, teſte *Plinio* lib.7. cap. 56. Obſervationum autem 470 millia annorum, apud *Babylonios*, & *Caucaſi* habitatores meminit *Marcus Tullius* lib. de Divinatione: nihil ex hiſce rumoribus certi elici poſſe, certum eſt. Deinde obſervationum Aſtronomicarum memoria

moria per alias artes, sine literis continuari potest, postquam literarum usus repertus est, ea quæ anteà hominum memoriâ, traditionibus, & Hieroglyphycis ab interitu conservabantur, iis sunt commissa. *Epigenes*, aut *Epigonus* apud *Plinium* observationes Babyloniorum *coctilibus lateribus inscriptas* fuisse docet. Quomodo id factum, narrat vetus Author *Anonymus* de *Divina sapientia secundum Ægyptios*. *Sapientes*, inquit, *Babylonii & Ægyptii mentis acumine ad illa supremi mundi abdita penetrantes, animorum conceptus sicut ipsi oculati testes sumus, in lapidibus per signa discribebant. Idemque in omnibus artibus & scientiis faciebant. Deinde lapides in quibus illa erant descripta, in templis collocabant, & quasi paginas perlegendas exhibebant, talesque librorum loco illis erant in usu.* Addit præterea Clar. *Vossius*, aitque, nisi ante *Legem datam literæ fuissent, cui rei lex tabulis an is Dei ipsius manibus fuisset scripta? æneis*, pro *lapideis*, στήλαια μνημονικὰ est. Sed & facilis responsio; id enim à Deo factum, ut & legis suæ perenni conservationi, & *Mosis* adeoque totius populi in literarum usu instructioni consuleret. Quamvis ideo in re non majoris momenti nolim cum quoquam alitèr sentiente contentionis serram ducere, neminem tamen adhuc, aut rationibus aut testimoniis fide dignis, usum literarum propriè sic dictarum, νομοθεσία *Mosaicâ* antiquiorem demonstrasse, non dubito affirmare: ita ut planè acquiescam in sententia *Eupolemi* antiquissimi Historiographi apud Græcos, cujus verba refert Clemens Alexandrinus Stro.mat. lib. 1. τὸν Μωσῆν, inquit, φησὶ πρῶτον σοφὸν γενέσθαι καὶ γράμματα· ἐκεῖνον πρῶτον τοῖς Ἰουδαίοις παραδοῦναι· ἐκ παρὰ Ἰουδαίων Φοίνικας παραλαβεῖν, Ἕλληνας δὲ παρὰ Φοινίκων: h.e. *Mosem aiunt primum sapientum fuisse, eumque primum Judæos literas docuisse, eas verò Phœnices à Judæis accepisse, à Phœnicibus Græcos.*



Liber



Liber Quartus. Digress: Secunda.

De Literis seu Characteribus antiquis Hebraeorum; quibus lex ab ipso Deo scripta est; atque ad ejus scriptionis normam libri omnes Veteris Testamenti.

Digressio Secunda.

EXtat adhùc atque olim ab ultimâ antiquitate Christianâ extitit *Pentateuchus Mosaicus*, literis istis quæ vulgó *Samaritana* dicuntur exaratus; Lingua vero *Hebraa* est. Ejus meminerunt *Origenes* & *Hieronymus*. An eorum alteruter ipsum librum seu ejus exemplar ullum, unquam viderit, incertum. συλλογῇ istâ, quam veritatis *Hebraica* & Translationum Græcanicarum, magnis studiis, magnis sumptibus dedit, edideitque *Origenes*, in totâ veteri Ecclesiâ monumentum literarium nullum erat celebrius. Si *Pentateuchum* istum *Samaritanum* vidisset unquam, aut si viderit, loco aliquo aut pretio habendum esse duxisset, locum sine dubio insignem, aliquem saltem, in opere isto πολυθρυλλητῷ ei assignasset, quod tamen abs eo factum non est.

Hieronymus textum *Samaritanum* totidem literis exaratum esse quot *Hebraicus*, affirmat; id autem cum apertissimè falsum sit, Vir ille doctissimus non nisi ex rumoribus, & aliorum informatione, de eo pronuntiasse videtur. Etiam illorum uterque scribit, literam *Tau* apud *Samaritanos* cruci similem esse. Hieron: in Ezek.cap.9. *ut ad nostra veniamus: antiquis Hebraeorum literis quibus hodie usque utuntur Samaritani, extrema Thau, Crucis habet similitudinem.* In ea etiam sententia fuere *Tertullianus* & *Augustinus:* Sed litera *Tau* nulla omnino apud *Ezekielem* mentio; ineptissimèque & non sine stupore asinino, de signo crucis frontibus hominum figendo, ex hoc loco nonnulli nugantur. Verba sunt והתוית תו; quæ recte reddunt nostrates, and set a marke. Signabis signo. Nam verba intransitiva nomine homogeneo gaudere apud *Hebraeos*, pueri norunt. Falsum autem literam ultimam in *Alphabeto Samaritano* σταυροειδῆ esse. Iste autem ejus literæ character, qui in Alphabeto quem ex *vaticanâ Bibliothecâ* produxit *Schikhardus* in *Bechi-*

nath

nath Happerush sine dubio fictitius est. Fateor quidem in nummis quibusdam figuram crucis non dissimilem, loco ת apparere; de nummis vero apud *Hieronymum* nihil; neque mala ista merx adhùc in pretio ullo erat. Viros ideo illos doctissimos Pentateuchum istum *Samaritanum*, illum saltem qui etiamnum superest, unquam vidisse probabile non est. Ex eorum vero testimonio *Samaritanos* tum temporis qui erant, *Pentateuchum* habuisse *Mosaicum*, linguâ quidem Hebræâ, Charactere abs eo qui Judæis in usu erat diverso, scriptum, satis liquet. *Samaritæ*, is populus erant, quem Rex *Assyriæ Shalmaneser* diebus *Ezechiæ* regis *Judæ*, annos centum & triginta aut eo circiter ante captivitatem *Babilonicam*, in *Samariam* aliasque urbes à decem tribubus quas captivas duxerat olim habitatas, traduxit. Oriundum è *Babele*, *Cutha*, *Hava*, *Chamatha*, & *Sepharvaim* ostendit Sacra Scriptura; 2 Reg. cap. 17.24. à *Cutha*, postea *Cuthai* dicti sunt. *Chaldæi* ideo & *Syri* fuere, quod ex Locorum, Urbium, Regionumque nominibus, è quibus ortum duxerunt, liquet. Illos in primo suo in terram *Chanaan* adventu, ut linguâ vernaculâ, hoc est *Syrochaldaeâ*, ita literis etiam *Chaldaicis* usos fuisse, nemini puto dubium esse potest. Literarum usum abs ea antiquitate *Chaldæis* innotuisse, ut nonnulli literas *Assyrias* æternas fuisse statuerint, ex *Plinio* antea ostensum. Scribendi itaque artificium, idque *Chaldaicè*, gentibus istis in *Samariam* traductis notum erat, & familiare. Sedes ideo *Israeliticas*, coloni *Babylonici*, & *Syri*, propriâ linguâ, avitis moribus utentes, occuparunt. De *Idolis*, quæ primo, Dei loco, deinde cum Deo coluerunt, viz: *Succoth Benoth*, *Nergal*, *Aschima*, *Adrammelech*, & *Annammelech*, Consulat Lector eruditissimum *Seldeni* de *Diis Syris* syntagma.

Populus itaque hic abjectissimus, variarum gentium colluvies, & pœnè nihili, solitudines inhabitantes, sine lege, aut rege, Judæis obnoxii ad captivitatem usque *Babylonicam*, mansit, ignobilis & obscurus. Vexati autem leonibus, divinitùs ob terram sanctam contra præcepta *Noachicha* seu jus naturale Idolis pollutam, in eos immissis, cum *Judæi* finitimi quos solos inter viguit veri Dei cultus, iiscum commune nihil habere voluerunt, Sacerdotem *Jeroboamicum*, qui morem Deum colendi ab *Israelitis* scilicet Idololatris observatum, eos doceret, a Rege *Shalamanasar* sibi mittendum curarunt. Ei nomen fuisse Dustai scribunt Rabbini. Ita enim loquuntur; סנכחריב שלהלכותים רבי דוסתאי כר ינאי ללמרם תורה h.e. *Sinnacherib misit Cuthæis Rabbi Dusthai Filium Jamei ad docendum eos Legem*. Ineptissimè suo more; Rabbinum nescio quem fingentes, multa secula ante natum nomen Rabbinicum, eumque à Senachribo missum,

missum, ad quem nogotium hoc nihil pertinet. Portentosa admodum vero sunt, & somniantium deliriis simillima quæ Epiphanius in hanc rem refert, tantáque incuria nè quid gravius dicam scripta, ut sacram Historiam consuluisse dignatus haud videatur. Etenim primo narrat *gentes Assyrias missas esse in Judæam per Nabuchadonosorem, ex rogatu seniorum qui diebus Jeconiæ in captivitatem abducti sunt*; tot monstra pænè quot verba. Deinde *Ezram missum esse dicit Babylone ad erudiendos Samaritas in Lege Domini*; μετὰ τοῦ νόμου inquit Ἔσδραν τινὰ ἱερέα ἀποστέλλουσι παιδευτὴν τοῦ νόμου ἀπὸ Βαβυλῶνος, πρὸς τὸ παιδεῦσαι τοὺς ἐν τῇ Σαμαρείᾳ κατοικοῦντας Ἀσσυρίους; neque in tota Historia narranda vel semel evigilat; Deinde Samaritas dici vult quasi Custodes. ἑρμηνεύονται inquit Σαμαρεῖται φύλακες, διὰ τὸ ἐν τάξει φυλάκων τετάχθαι ἐν τῇ γῇ; ἢ ἀπὸ τοῦ φυλάκας αὐτοὺς εἶναι τῆς κατὰ τὸν νόμον Μωϋσέως διατάξεως. *Interpretantur Samaritæ custodes; quod ij quondam in illa terra custodes collocati sunt; sinve quod à Mose constituti erant ut legem custodirent.* Quæ quamvis sint absurdissima, Dyonysius tamen Petavius Animadvers. in Epiphan: affirmat pænè omnes Græcos & Latinos ociosam illam vocis interpretationem amplecti: & sane diserte ei in etymo hoc præivit in Chronicis Eusebius; nisi verba ipsa, *quod lingua latina exprimitur Custodes*, addita sint a Hieronymo, prout suspicantur Scaliger, & Petavius. Is autem Sacerdos quicunque tandem fuerit, de veri Dei cultu nequaquam solicitus, qui non nisi *Hierosolymis* solenniter peragi debuerit, impium istum Deum colendi morem, qui apud *Izraelitas* ante captivitatem invaluerat, novas gentes edocuit. In Religionem ideo *Izraeliticam* eo modo admissi fuere *Samaritæ*, quo in Christianismum per *Jesuitas*, aliosque emissarios *Romanenses Americani*; Etenim ut negotium conversionis compendifacerent, idola quæ prius habuerunt, præsertim penates seu lares domesticos, quos *Zemas* vocarunt, sanctorum titulis nominibusque insignitos, colendi & adorandi facultatem iis concesserunt. Sed quid ego de *Jesuitis* audacibus totius Religionis Jesu Christi corruptoribus, qui ampliando regno Pontificio unicè student, loquar, cum non nisi ex *Gentilismo* tota ista ceremoniarum seges, quæ ubivis inter Christianos pullulat, & Ethnicâ superstitione, succreverit.

An legem Dei scriptam cum hisce *Samaritis* cõmunicârit Sacerdos iste, incertum est. Nulla ejus rei extant Testimonia, monumenta nulla. Rebus autem *Judæorum* protritis & in ruinam vergentibus, credibile est *Cuthæos* hosce capita paulatim extulisse; atque postea cum captivi abducti sunt *Judæi*, vacuas eorum sedes occupâsse. An ullatenus in Religione *Judaicâ*, & Dei cognitione profecerint, an eam penitus abjecerint, incertum

certum. Verum quidem est cùm reduci populo *Judaico*, spe participationis privilegiorum quæ iis Reges *Persarum* concesserant, carnali illecti, adjungere se voluerint, affirmant se Deo sacrificasse a diebus *Esarhaddonis* qui in regionem *Samariticam* illos traduxerat; vel *non alteri sacrificasse*. Ezræ 2. Nam scriptura לא habet, לו Keri. Mendacibus vero hypocritis temporis opportunitates captantibus, ad carnalia sua commoda promovenda, fidem nullam adhibuit populus Dei. Rejecti ideo a primis istis Ecclesiæ *Judaicæ* Reformatoribus, totiusque populi reducis suffragiis, ansam dissentionis inter Pontifices ortæ captantes, vani hominis ob scelera fugati ope & suasu, Templum sibi in monte *Gerizim* ad illius instar quod *Hierosolymis Judæis* moliri conspexerant, ædificarunt. Eos autem ipsum montem finxisse, atque *Gerizim* falso vocasse qui revera is non erat, affirmat Hieronymus, & etiam Epiphanius. Vterque Gerizim juxta Hierichum situm esse contendit procul satis a Neapoli: eadem in sententia est Mercator; contra quos tamen disputat Masius Comment: ad 8. Josh. Quo autem Religionis sensu abs eo tempore tenebantur, ostendunt eorum temporum historiæ. Etenim demus *Judæorum* vulgum mentitum esse, cum affirment, illos in summitate Templi quod condebant imaginem columbæ posuisse quam colerent; quin verissima sint quæ ex monumentis fide dignis profert *Josephus*, dubitandi causa nulla est Cum ideo *Antiochus* variis afflictionibus Ecclesiam vexaret, *Samaritæ*, ne quid mali sibi etiam illinc oriretur suspicantes, palàm, literis ad regem datis, omni Veri Dei cultui renuntiasse, Author iste fide dignissimus probat. Αρχαιολ. lib. 12. cap. 7.

An usum pentateuchi sub id tempus reciperant ego quidem vehementèr dubito. Cùm enim scirent impium istum Tyrannum nihil æquè odio habuisse ac sacras literas, quas omni studio ex hominum manibus extorquere, & flammis consumere enitebatur, cumque eo animo fuerint, ut templum suum *Jovi Græco* dedicandum sponte obtulerint, quid ni legem ipsam comburendam tradidissent, quo utique se à *Judaici* criminis omni participatione procul abfuisse luculentèr demonstrare potuerint? sed contrarium persuadere videntur corruptiones quæ in eorum Pentateucho etiamnum extant, quas, dum adhùc staret Templum quod in monte *Gerizim* extruxerant, id est ante *Hyrcani* Pontificis *Iudaici* regnum, qui templum istud evertit soloque æquavit, factas fuisse probabile est. Ea autem quâ fide versati sunt in eâ religione quam ingratiis susceperant luculentèr demonstrant. Post homines natos, nihil unquam à mortalium scelestissimis tantâ, cum nequitiâ & audaciâ impia,

in Religione ulla verâ falsâve quam sibi colendam statuerint, tentatum aut perpetratum est, quanta isti impurissimi nebulones in corrumpendis sacris codicibus usi sunt. Minora illa scelera nominis *Sychem* in Textum intrudendi, & *Gerizim* loco τῦ *Ebal* substituendi, quo errori suo patrocinarentur mittamus. Illud specta modò quod decem de imandatis alterum addiderunt, nempe scelus proprium. Duobus in locis decalogus enarratur; *Exod. cap.* 20. quando primum lex data erat, ac Deuteron 5to; quando solenniter repetitur; utrobique præceptùm illud suum Dei mandatis assuerant; neque Pentateuchi eorum exemplar ullum superest, in quo fraus impiissima non extet; Verba prout in Bibliis *Iaianis* & *Londinensibus* exhibentur ita se habent. *Cum autem introduxerit te Dominus Deus tuus in terram chananæorum ad quam vadis possidendam, eriges tibi duos lapides magnos, & oblines eos calce, scribesque super lapides istos omnia verba Legis hujus. Postquam enim transiveris Iordanem statues lapides istos quos ego præcipio vobis hodie in monte Gerizim & ædificabis ibi altare domino Deo tuo; altare lapideum; non levabis super eos ferrum. Ex lapidibus informibus ædificabis altare istud Domino* Deo *tuo, & sacrificabis pacifica, & comedes ibi, & lætaberis coram* Domino *Deo tuo in monte isto, ultra Iordanem post occasum solis in terra Chananæi habitantis in planitie, è regione* Galgal *juxta quercum more versus Sichem.* Verba hæc quibus totum scelus suum confirmare student, Deum ipsum in monte Horeb cum lege ipsa pronuntiasse fingunt audaces impostores, *Dositheum* notissimum *Iudaicæ* Religionis corruptorem, Eis *Pentateuchum* à se interpolatum primum tradidisse arbitratur *Usserius*; Chron: Sac: cap. 7. Audacis vero istius hominis imposturæ in Textu corrumpendo ibidem specimen edit. Hinc inquam satis apparet quo animo in sacris versati sint, atque quid de *Pentateucho* illorum censendum sit, ubicunque à textu *Hebraico* discedere comperietur.

At vero circa tempora reditus Ecclesiæ ex *Babylone*, & Templi Cultusque divini instauratione, mirabile quid & planè insolitum, cujus simile aut par nulla antiquorum temporum memoria, nulla rerum gestarum monumenta memorant, accidisse affirmant nonnulli Viri Doctissimi. Etenim utrumque populum, *Iudaicum* scilicet & *Cuthæum*, quasi conspiratione facta, literas antiquas à longo tempore antecessoribus suis sibique notas & familiares abjecisse, atque alterutrum, alterius, *Iudæos* scilicet *Chaldaicas*, *Cuthæos* seu *Chaldæos*, *Iudaicas*, suscepisse arbitrantur. Hoc vero quid rei sit paucis videbimus. Literas istas quæ vulgo *Samaritanæ* dicuntur, veteres & primævas fuisse *Hebræorum* literas docent: iis digito Dei Lex exarata, iis totum vetus Testamentum ex illorum sententia

tentia scriptum erat. Hasce unicè inter totam gentem usque ad captivitatem *Babylonicam* in usu fuisse, præterque eas nullas iidem affirmant. *Samaritanos*, *Assyrios* fuisse, atque scripturam *Assyriacam* calluisse, antea ostendimus. Ejus usum pænè quotidianum apud Reges *Assyriæ* & *Babiloniæ* quorũ sub imperium ditionemq; fuerunt, illos habuisse nemo dubitare potest. Istas vero literas illos abdicasse, atque earum loco *Hebræas* suscepisse ferunt. Lingua quidem eorum *Syrochaldæa* erat, pro temporis ratione mixta; eam illos retinuisse dubium non est. Tantum *literas* proprias, patrias, pulchras, faciles, sibi probè cognitas, deseruisse, atque deformes istas, hiulcas, perplexas *Hebræorum* quibus nunc utuntur verba nulla nisi quæ ipsi vix aut ne vix quidem intelligerent, exhibentes, suscepisse perhibentur. *Iudæi* autem uti dicitur idem fecere. Nam duas tribus postquam in captivitate annos aliquot, alii plures, pauciores alii durassent, propriæ linguæ oblitas fuisse iidem Authores tradunt. Eam ob causam populus redux, quamvis scripturam in linguam illam quam dedidicisse fertur transferri non curaret, tamen literas quibus exarata erat ab initio, quæque Genti toti ab ipsis ejus incunabulis οἰκεῖαι fuere, & unicæ, abjicere; atque vel novas excogitare, aut *Assyrias* suscipere statuisse dicitur. Cui fini aut bono, id ei in mentem veniret, equidem non apparet; neque quid commodi inde exspectare Ecclesia potuerit. Cum Lingua literis expressa, eadem prorsus permanserit, ex hâc literarum permutatione ut quid boni oriretur, impossibile videtur. Neque enim multum ad linguæ cujuscunque peritiam adipiscendam facit, characterum quibus scribitur cognitio.

Cùm itaque abs hujus sententiæ Authoribus diversissimè sentiam, non abs re propositâ alienum fore judicavi, si Rationes & Authoritates quibus ea nititur paucis discuterem, atque ea etiam proponerem quæ me contrariam tenere faciunt; idque nihilo seciùs faciendum constitui, quamvis ob eam causam, inter alia, petulantissimæ linguæ convitiis nuper agitatus.

Sententia doctorum virorum in hâc materiâ quænam revera sit exposuimus, Ei assertiones quasdam præstruunt quæ haud magis placent. Illæ itaque primo in loco sunt considerandæ. Primo ideo affirmant *Judæos durante captivitate lingua propria, & literarum oblitos fuisse*; atque inde necessitatem aliquam mutationis characterum antiquorum inductam fuisse credi volunt. Sed mihi hoc quidem non verisimile videtur; multo minus fundamentum dubiæ & incertissimæ opinionis exædificandæ satis firmum. Ab excidio Templi urbisque, ad initium Regni *Cyri* quo rediit populi pars maxima, anni fluxerunt quinqua-

ginta aut eo circiter. Istud temporis spatium plurimos supervixisse & probabile in se est, & sacra pagina testatur. Eosdem enim homines primi conflagrationem & secundi Templi fundamenta vidisse docet. Tantum autem populum, eorumve plurimos, imo eosdem ipsos homines, infrà unius ætatis spatium linguæ suæ vernaculæ, quam etiam præ cæteris omnibus sanctam censuerint, oblitos fuisse, non est admodum credibile.

Deinde; durante eâ captivitate, captivorum plerique in iisdem urbibus simul habitabant. Id Deo ita gratiosè disponente factum est, quo paratiores ad reditum essent, atque intereà sibi invicem solatio. Magnam plebis multitudinem, plurimosque populi seniores, eo loci habitasse ubi *Propheta Ezekiel* ministerio suo functus est, ex totâ Prophetiæ serie apparet. Neque gentibus illis inter quas dispersi vixerunt unquam se immiscuerunt; in sacris nulla, in civilibus paucissima habuerunt iiscum communia. Corruptionis aut mutationis linguæ causæ omnes procul absuere. In aliarum nationum *visceribus solus habitavit populus iste, neque iis annumeratus est*. Nuptias nullas cum *Chaldæis* contrahebant; affinitates nullas; præterea librorum sacrorum exemplaria sine dubio plurima secum asportaverant; iis usus est *Daniel Propheta* cap 9. v.2. Ea omnia charactere antiquo & usitato *Hebræorum* scripta fuisse, nemo negat. Libros alios, ullos, aliâ linguâ, aliis literarum picturis exaratos, vidisse, habuisse, legisse, non apparet, probari non potest. Artes *Caldaicas* didicisse illis nefas erat. Etiam cum *Judæis* in aliis orbis partibus per literas commercium habuisse & credibile est, & Epistola ad ipsos *Jeremiæ* Prophetæ indicat. In iis nisi linguâ vernaculâ, literisque antiquis usi fuissent, invicèm se tulissent. Porro inter Captivos, sacerdotes multi, ac *Levitæ* fuere. Hi ad populum in cognitione Dei, ex sacrâ scripturâ instruendum operam dabant. Id nisi legis lectione atque expositione fieri non potuit. Iis ductoribus, sacris omnibus, quibus illis extra terræ sanctæ limites uti fas erat, peragendis incubuerunt. Atque hoc linguæ vernaculæ retinendæ medium erat efficacissimum. Etiam ex Dei jussu, & promissis, stabilem spem reditus semper foverunt, atque captivitatis finem avida expectatione continuò devorabant. Ob eam causam, patriam linguam, literas, mores nisi eos studiosè retinuisse censeamus, vix homines fuisse arbitrabimur. Cui bono igitur eorum linguam vel literas addiscerent, quos exitio æterno devotos scirent, & â quorum consortio liberationem quotidiè expectarent?

Porro! Prophetas per omne illud temporis spatium quo Captivi detinebantur iis Deus gratiosè indulsit. *Daniel* reditui superfuit. Isti autem

autem & linguâ *hebræâ* ministerio suo functi sunt, & literis usi sunt *Hebraicis*. Partium aliquarum Prophetiæ *Danielis*, linguam quod attinet, ratio peculiaris est. Eas etiam verò literis *Hebraicis* exaratas fuisse nemo dubitat. Dum autem Prophetarum horum Autographa non solum extabant, sed pæne uda fuere è manibus scriptorum, opinari *Ezram*, iis rejectis, alio charactere prophetias istas de scripsisse, pænè insanire esse mihi videtur.

Prætenditur autèm per omnem *Assyriam* dispersos vixisse *Judæos*, atque proinde linguam *Assyriorum* seu *Chaldæorum* ita didicisse ut propriæ essent obliti, atque inde evenisse dicunt, quod cum Lex publicè post populi reditum plebi promiscuæ recitaretur, *Levitæ* necesse habuerint verba perlecta *Chaldaicè* interpretari, ut populus sensum eorum perciperet; uti constat ex *Nehemia* Cap: 8: v: 8. Hinc etiam consuetudinem manasse quidam scribunt legendi & scribendi legem per *versus Hebræos* & *Chaldæos* alternatim; ita ut recitato, vel scripto Textus versiculo, statìm adjungeretur ejus *Targum*. Quomodò scripta legis exemplaria adhuc nonnulla extant. Res: Anteà ostendimus, quod etiam ex historiâ reducum Judæorum plenissimè constat, eos quibus in patriam redeundi Deus animum & facultatem concessit, non admodum dispersos sed in Coloniis numerosissimis unâ vixisse. Reditus historiam perpendenti, quæ 2: & 8: capit. Ezræ habetur id manifestum erit. Legis expositionem per *Levitas* istis verbis narrat Spiritus sanctus. Nehemi. 8: 7: 8. *Levitæ docebant populum legem, populo manente in statione sua; legebant enim librum illum, legem Dei explanatè & exponendo sensum, dabant intelligentiam per scripturam ipsam:* Qui per expositionem hanc sensum legis verborum in linguam Chaldaicam translationem, quam *Targum* vocant *Rabbini*, intelligere velit, procul omni dubio nemo est, nisi qui cum Rabbinis ineptire mallet, quam veritatem apertam amplecti. Officium suum in populo docendo *Levitas* sedulò curasse narrat vir sanctus. Illos, muneri populum in lege instruendi per ejus expositionem assiduam, sensus narrationem & prædicationem, Deus præfecerat. Quod ante captivitatem munere mandato fungentes facere soliti fuere, illud etiam tunc sub Ecclesiæ reformatione ista solenni fecisse, testatur sacra Historia; Legem scilicet publicè legebant, sensum narrabant, atque populum ejus intelligentiâ instruebant; quæ est manifestissima solennis prædicationis verbi, descriptio. Denique apertè docet scriptura populum reducem linguâ purè Judaicâ locutum fuisse; atque idcircò in eos qui ex mixturâ impiâ cum vicinis populis vitium etiam linguæ contraxerant

succen-

succensuit vehementer *Nehemias* Cap:ult:v: 23:24:25. *Etiam diebus illis* inquit *vidi Jehudæos consociasse sibi fœminas Ashdodæas, et filios eorum ex parte loqui Ashdodaè neque scientes loqui Jehudaicè, sed ex lingua cujusque populi sui; ideo contendi cum eis maledicens eis; & percutiens* &c. Cur tanto pere excandesceret Vir sanctus quod non scirent purè *Judaicè* loqui, sed misto sermone adeoque barbaro usi sint, si totus populus eodem loquendi imperitiæ vitio laboraverit, causa sane nulla erat. *Pentateuchi* istius *Hebræo-Chaldaici* exēplar in Bibliothecâ Bodleianâ inter Cl: *Seldeni* libros habetur. Ipsissimum ni fallar quod in sententiæ hujus de corruptione linguæ *Judæorum* reducū confirmationē trahitur. Illam vero τῶ Targum dispositionem ad consuetudinem istam, primo Textum legendi, deinde paraphrasin *Chaldaicam*, prætensam, referre ineptissimum foret. Etenim scriptus est iste codex, quo an Antiquioris ejus generis vestigia ullibi extent nondum audivi, mille annos ad minimum postquam lingua *Syrochaldæa* in usu ullo apud populum *Judaicum* esse desierit.

Porrò. Notissimum est colonias diutissimè linguam suam incorruptam servare posse, si modò ejusdem Labii hominum multitudo magna in eodem loco ætatem degat; neque nuptiis aut commerciis cum aliis populis se immisceat. Exemplo sint *Anglosaxones* in *Hiberniâ*. Quindringinti penè anni ad nostrum seculum fluxerunt ex quo *Anglorum* haud magna manus in Hiberniam delata, *Wexfordiæ* sedes posuerit, atque ibi exactè adeo linguam retinuerit vernaculam, ut *Cambdenus* non dubitet affirmare, *Anglum* si linguam suam patriam ritè discere & intelligere velit, *Wexfordiam* se conferre debere. Vanum ideo est quod primo in loco in causa hac prætenditur; *Judæos* scilicet propriæ linguæ fuisse oblitos; cui tamen oblivioni, ex literarum mutatione, ipsa lingua retenta, stultè & incassùm subsidium petiissent.

Deinde literas istas quæ quadratæ dicuntur, antiquas *Assyrias*, seu *Chaldæas* fuisse supponunt literarum *Judaicarum* μεταθέσεως defensores; Sed quo quæso Argumento ducti, quibus Testimoniis freti id affirmant; quæ ratio suadet ut credamus? nulla extant, nulla unquam post hominum memoriam extitere scripta *Chaldæorum*, aut *Assyriorum*; nemo est antiquorum, qui ulla â se lecta aut etiam visa affirmet; unde igitur discere possimus quibus literarum figuris usi fuere? *Targumim* quidem ea lingua scripta sunt, literis vero quæ inter Judæos communi in usu fuere a diebus *Ezræ*. Neque hoc asserunt veteres, sententiæ hujus promicondi. *Ezram literas* Hebræas *mutasse*, scribit *Eusebius*; *Assyriacis* usum fuisse non docet. *Alias invenit*, inquit *Hieronymus*; de *Chaldaicis* silet. *Novas excogitavit*, ita *Beda*. Judæi qui in sententiam mutationis

tionis literarum propendunt, harum literarum exemplar, ex scriptione *Angelicâ* in pariete, quæ 5 *Danielis* memoratur, desumptum esse nugantur. Johannes *Potken Coloniensis*, qui primus *Europæorum Ethiopicè* aliquid edidit, linguam & literas *Chaldaicas* fuisse arbitratus est, ut apparet ex Epistolâ editioni Psalmorum præmissâ.

Futile verò planè est quod dicunt, non sine Dei providentia factum esse, ut sacræ scripturæ literis *Chaldaicis* exararentur, cum *Chaldæorum* imperium se per totum orientem longe lateque diffuderit, atque inde veritas largiùs patefieri potuerit. Futile inquam hoc est, idque non uno nomine. Nam quid quæso fructus aut compendii linguam *Hebræam* ignorantibus inde accèdere poterat, quod literis *Chaldaicis* libri sacri scripti essent? Anne enim in addiscendâ linguâ quidquam inde compendi fieri potest, quod Charactere noto scripta sit, & non alio qui unius horulæ spatio perfectissimè capi ac teneri possit? Cùm lingua quæ sola veritatem cælestem amplexa est, eadem permanserit, procul omni dubio ad promovendam illius veritatis cognitionem, mutatio ista literarum nihil omnino emolumenti attulit. Deinde imperium *Chaldæorum* penitus erat subversum, & Chaldæi ad internecionem cæsi cùm prodigiosa hæc μεταμόρφωσις facta esse fingitur. *Medos*, *Persasve*, penes quos tunc temporis in *Oriente* erat rerum summa, iisdem cum *Chaldæis* vel Characteribus, vel linguâ usos fuisse non liquet. Quid ergo ad promovendam veritatem, ob imperium *Chaldæorum* facere potuerint nudæ literæ *Chaldaicæ*, tum cum Imperium istud planè esse desierat?

Quoniam autem inter conjecturas incertissimas versamur, ausim ego quovis pignore certare, si arbiter dari possit, literas *Samaritanas* antiquas *Chaldaicas* fuisse. Imo neque improbabile est illas in aliquo usu fuisse inter *Israelitas* ante captivitatem decem tribuum. Etenim *Judæorum* nonnullos linguam *Syro-Chaldæam* seu *Assyriam* intellexisse ipsi testati sunt. *Alloquere*, inquiunt servi *Hezekiæ*; *servos tuos Syriacè, intelligimus enim*, 2: Reg: 18: 26! & *Assyrii* etiam *Judaice* intelligebant uti ex eodem loco constat. Prout autem utriusque populi lingua, alterutri, aut saltèm aliquibus in populo alterutro notam erat, quidni etiam judicemus, *Assyriorum* literas in aliquo etiam apud *Judæos* usu fuisse, quibus postea *Samaritani* unice usi sunt cum illis patriæ fuerint.

Judæos odio *Samaritarum* mutationem hanc literarum fecisse, ne aliquid scilicet in cultu Dei iiscum commune haberent, nonnulli affirmant; Et quidni etiam ob eam causam *Pentateuchum Mosaicum*, quem

Sama-

Samaritæ amplexi sunt, abjicerent? Verum quidem est *Judæos* odio immortali prosecutos fuisse *Cuthæos*, ab ipsis vicissim hostium capitalium loco habitos: sempiterni hujus dissidii, tum cum de reformatione Ecclesiæ *Judaicæ* agemus, rationes narrandæ sunt. Etiam non negarem, etiam esse pravi istius habitus rationem, ut qui eo penitùs sint imbuti, nihil pensi habeant quid sibi ipsis cedat incommodo, dummodò illos quibus cum immicitias exercent, prosternant, & opprimant. At vero *Judæos* eo Insaniæ per odium suum adactos fuisse, ut nullo hostium incommodo aut præjudicio, literas suas antiquas, ab ipso Deo datas, & à divinis omnibus scriptoribus consecratas, missas facerent, aliis nescio quibus ascitis in earum locum, vel novitèr fictis & excogitatis, vel à gente omnium superstitiosissimâ mutuatis, prorsùs est incredibile. Litem contestatam cum *Judæis*, *Samaritanos* de privilegiis sacris & Ecclesiasticis habuisse notum est; æquumnè est ut censeamus *Judæos* odio isti suo tantopere indulsisse, ut *Samaritanis* tantam gloriationis materiam concederent, quantâ in eo sita esse videtur, quod isti soli retinerent literas Dei ipsius manu, atque *Mosis* exaratas; *Judæi* autem novitiis nesciò quibus prosanis uterentur? non ità sanè etiamnùm iiscum quibus succenset agere solet gens ista previcacissima.

Atque hæc sunt fundamenta generalià quæ sententiæ suæ de literarum mutatione *Ezraiticâ* præstruunt Viri docti; quæ omnia incerta, si non apertè salsa esse ostendimus. Neque enim aut ratio aut occasio aut causa ulla probabilis μεταθέσεως διαβόντι assignari potest,

At factum fuisse probabunt viri docti, quamvis rationes nullæ fuerint cur fieret. Argumenta autem quibus utuntur Testimonia sunt, & alia rerum monumenta; Eorum præcipua ut videamus vtrùm paria sint sententiæ huic paradoxæ fidei astruendæ, breviter perpendam.

Testimoniorum quibus utuntur, alia è *Judæis*, ex Christianorum aliquorum scriptis alia desumpta sunt. *Judaicorum* palmarium est ex *Talmud*: Tractat. Saned: Cap. 2. אמר מר זוטרא ואי תימא מר עוקבא בתחילה ניתנה תורה לישראל בכתב עברי ולשן הקרש הזרה וניתנה להם בימי עזרא בכתב אשורית ולשן הקרש והניחו להדיוטות כתב עברית ולשן ארמית מאן הדיוטות אמר רב חסרא כותאי וגו *Id est*; dixit *Mar Zutra etiam & Mar Vkiba. Initio data est lex Izraelitis, Scripturâ Hebraicâ & linguâ Sanctâ: Deinde data est illis tempore Ezra, in Scripturâ Assyriacâ*

acâ & linguâ Syra: peculiaritèr autem. elegerunt sibi scripturam Assyriacam & linguam sanctam. Scriptura vero Hebraica & lingua Syriaca relicta est idiotis; qui sunt illi idiotæ? ait Rab: Chasda, Cuthæi sunt sive Samaritani. Qui in notioribus apertè falsus est & mendax, non nisi subleſtæ fidei in dubiis & incertis haberi debet. Apertè autem falsissima sunt eorum plurima quæ hic à *Zuthra* & *Ukiba* memorantur, Quid enim; an Scriptura sacra data est diebus *Ezræ* linguâ Syro-Chaldæa? falsissimum; cum minutæ partes quædam unius aut alterius libri eâ Dialecto scriptæ sint, quas in eâ linguâ retinuerunt. Prophetæ isti qui *Ezræ* coævi fuere, *Zecharias, Haggai, Malachias* ne verbum quidem in scriptis suis Chaldaicè protulerunt. *Targum* autem nullum, nisi longo post tempore scriptum erat. *Falsissimum* deinde scripturam sacram relictam fuisse *Samaritis* literis *Hebraicis*, linguâ vero *Assyriaca. Pentateuchus* qui iis traditus esse dicitur, *Hebraicus* est, non *Caldaicus*, quod omnes norunt. Cum ideo falsissima sint reliqua omnia quæ asserunt *Rabbini* isti Amoræi, quid ni etiam quæ de literarum mutatione blaterant, falsa etiam censenda sint?

Respondent *Iudæi Talumdici*, ea verba *Rabbinorum* in *Talmude*, ac propterea omnia ea loca quibus literarum *Assyriacarum* mentio fit, longè alitèr interpretanda esse, quam vulgò accipiuntur. Affirmant enim scripturam hanc *Assyriacam* illam ipsam fuisse quâ tabulæ legis scriptæ fuere, ac proinde totum vetus Testamentum: ita *En Israel* ad cap. 1. *Tract.* Talmud: Megilla. *hæc scriptura* inquit, *qua nos scribimus hodiè libros legis & omnem rem sacram, & quæ vocatur scriptura Assuri, ea ipsa est quæ fuit in Tabulis Testimonii & libro legis qui repositus fuit in latere Arcæ Domini.* Deinde rationem reddunt cur *Assuri* dicta sit; *Ribbi* in Talmud. Tract: saned. cap. 2. למה נקרא שמה אשורית שמאושרת בכתב cur vocatur *assuri* quia *meussurith seu beatificata est in Scriptione.* Alii alias rationes hujus vocis reddunt; sed de eorum digladiationibus ego nolo quicquam pronunciare, cum sint mendacissimi nugatores, præsertim antiquiores ad unum omnes. Consulat Lector, *Ioseph: de* Voysin: *præfat* ad pugi: fid: pag. 86. 87. *Hottinger.* de nummis Hebræic. p. 122. 123: *Buxtorf: dissertat: de literar. Heb. antiquitate.*

3 Plurima extant in ipso opere *Talmudico* Testimonia, magistris antiquioribus ascripta, quàm quæ in contrariam sententiam adferuntur, quæ apertè, directè, & constantèr affirmant literas quadratas, quibus hodie utuntur *Iudæi* & *Christiani*, antiquas fuisse *Hebræorum* literas, quibus lex, ac tota scriptura sacra exarata est. Non opus est ut ea, vel eorum ulla huc transcriberem, cum meo quidem judicio quæ ab iis di-

 cuntur

cuntur parùm vel nihil omnino conferant ad litem hanc dirimendam. Illa vero in tanto numero (numerus enim sunt, & præterea nihil) collegit *Clariss. Buxtorfius*, ut non vereatur *Thesin* suam hisce verbis finire; *Hoc luce meridianâ clariùs ostendisse nos putamus, Hebræorum quâ veterum quâ recentium, majorem & meliorem partem, contra quam alii nobis hactenus persuadere voluerunt, pro literarum Hebraicarum antiquitate stare ac militare.*

Sed majoris momenti videntur quæ apud veteres Christianos nonnullos occurrunt: atque ideo illa etiam sunt breviter percurrenda. *Eusebius* autem, *Hieronymus*, & *Beda* in causâ hac sententiam ferre putantur. Atque ex *Eusebio* verba hæc proferuntur. Olympiad. 180. an: 2. *Fuit Esdras eruditissimus legis divinæ Scriba & clarus omnium Judæorum magister: affirmaturque divinas scripturas memoritèr condidisse, ut & Samaritanis non immiscerentur, literas Judaicas commutasse* At multimodè peccat oratio hæc *Eusebiana*: neque sententiæ prædictæ asserendæ ullo modo par est. Etenim primò rumoribus nescio quibus innititur: *affirmatur* inquit; à quibus autem, quandove *affirmaretur* non docet: neque an ipse rumori huic fidem adhibeat ullam. Deindè, mendacii apertissimi reum Authorem, *Rumorem* scilicet, laudat. Hic nempe *Ezram* scripturas amissas *memoritèr* restituisse affirmavit; quo blasphemo figmento, nihil unquam ineptius aut à veritate abhorrentius fingi poterat. Cum autem testis ullus in mendacio cubans deprehenditur, ut ex æquo & bono fides ei in universum detraheretur justum est. Porrò, neque isti, nescio qui, *Ezram* literarum *Chaldaicarum* usum introduxisse affirmarunt; sed tantum literas antiquas mutasse, quod forsan ad punctorum inventionem referri possit. Hujus autem famæ, *Judæos*, vel ipsos *Samaritanos* Authores fuisse constat; quantum autem iis in historiâ deferendum sit, notissimum est.

Quæ ex *Hieronymo* in præfatione ad libros Regum citantur, ita se habent. *Viginti* inquit *& duas esse literas apud Hebræos, Syrorum quoque lingua & Chaldæorum testatur; quæ Hebrææ magna ex parte affinis est; nam & ipsi viginti duo habent elementa, eodem sono sed diversis characteribus; Samaritani etiam pentateuchum Mosis totidem literis scriptitant, figuris & apicibus tantum discrepantes. Certumque est Ezram scribam legisque doctorem post captam Hierosolymam & instaurationem Templi sub Zorobabel, alias literas reperisse quibus nunc utimur; cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.* Hæc ille. Ain' vero *Hieronyme*; *certum* esse *Ezram* literas à Deo datas abrogasse, aliasque in earum locum substituisse? *Certum* in omnium pro-

phetarum

phetarum scripta, etiam nonnulla recens edita, manus intulisse? at unde quæso hoc *certum?* vel quibus indiciis illud probabile esse sciamus? deinde quænam illæ quæso aliæ literæ quas eum reperisse *certum* esse dicis? Chaldaicæ? negas id quidem cum *Chaldæos* totidem habere, atque hisce affines esse dicis? an novas excogitasse velis? quo Authore, quâve authoritate illud suspicari possit nondum constat: Ain' etiam *Samaritanos* pentateuchum habuisse totidem literis scriptum quot *Hebraicus?* at id quidem apertè falsum est; si eum tum temporis habuerint cujus exemplaria aliquot ad nos pervenerunt; quicquid autem *certum sit* in tota hâc narratiunculâ, credulo *Hieronymo* mendaces Iudæos aliquoties imposuisse certissimum est. Deinde scire velim quinam sint isti *apices* quibus præter & ultra figuras, Samaritanorum literas abs Hebraicis discrepare dicit. Literæ quæ totis figuris discrepant, quomodo apicibus etiam differre dici possint, ego non intelligo. Apices literarum *Ezram* reperisse non nego; sed per *apices* istos puncta vocalia intendi verissimum esse sentio. Triplicis ideo Alphabeti hic meminisse *Hieronymus* videtur, ex literis viginti & duabus constantis; *Syrochaldæi, Iudaici* cum apicibus seu punctis ab *Ezra* adjectis, & alius Iudaici quod retinuerunt *Samaritani*, quod in communi usu apud *Iudæos* fuisse ante *Ezram* certum esse dicit: atque ità *Eusebianum affirmatur*, intra breve temporis spatium in illud *certum est Hierònymianum* excrevit: quod apud *Bedam* in *certissimum* evasit, qui disertè *Ezram* novas literas excogitasse affirmat: eousque autem eundo incertus primùm iste rumor crevit, uti fieri assolet, ut vix apud eruditos aliquos hominis nomine dignus censeatur, qui ei fidem adhibere non est paratus: ut, *Asinos* eos forsan putaret *Tacitus*, qui Iudæos effigiem asini adorasse negarent, postquam adeo cultus ejus fama percrebuerat, ut nemo non probatissimorum Historicorum illud memoriæ commisisset. Sed cur non æquè *semihomines* censendi essent, qui negarent Ezram scripturas penitus omissas denuo restituisse causa nulla fingi potest. Restitutioni enim Scripturarum amissarum longè plures Antiquorum Testimonium perhibent, quam literarum permutationi. Irænæus apud Euseb. lib. 5. cap. 8. *Cum Scripturæ dum populi Israelilici captivi sub Nebuchadonosor tenebantur penitus interiissent, Deus Esdram sacerdotem ex tribu Levi divino spiritus sui afflatu incitavit, ut cum libros omnium prophetarum qui antegressi fuissent de integro conscriberet, tum legem à Moyse promulgatam populo de integro restitueret.* Ita Eusebius, *Affirmatur divinas scripturas memoriter condidisse.* Tertullianus de Habit. Mulier. cap.3. *Hierosolymis Babylonica expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaicæ literaturæ per Esdram con-*

stat restauratum, & Basilius Epist. ad Chilonem. *Hic campus in quo secessu facto, Esdras omnes divinos libros ex mandato Dei eructavit.* Similia habet Theodoretus præfatione in psalmos. Etiam ante hos Clemens Alex. Strom. lib. 1. *Esdras Levites qui factus fuerat sacerdos prophetavit omnes veteres scripturas rursus renovans.* Et pænè nemo non Antiquorum in eadem est sententia; cum tamen putidissimum hoc delirium expresso scripturæ Testimonio adversetur; (Esra. cap. 8.) ac planè figmentum est blasphemum.

Ut aliquid ideo momenti aut ponderis ad litem hanc dirimendam testimonia ista habere censerentur, causa nulla est. Testium horum antiquissimus *Eusebius* vixit annos 800 post mortem *Ezræ* cui facinus hoc tribuitur. Eorum seculorum nonnulla celebria fecerunt insignes calamitates quæ maximam rerum præteritarum ignorantiam intulerunt. Judæi autem postquam aliqua de suis evulgare cæperunt, post diuturnam miseriam, totum orbem fabulis impudentissimis impleverunt. Ex eorum lacunis deprompta sunt hæ nugæ. Præterea testibus hisce neutiquam inter se convenit. Quæ sunt falsissima affirmant omnes; nullam temporum historiam, traditionem Catholicam nullam, aut famam consentientem, producunt aut urgent; sed tenebrionum quorundam rumorem afferunt, cui Authoritatem tribuere cordati hominis non est. *Rabbini* ideo causæ pondus; iique neque antiquissimi neque sapientissimi de grege isto: plures, doctiores reclamant; quique in eâ sunt sententiâ quod novarum literarum usum *Ezra* induxerit, eas divinitùs excogitatas fuisse atque ità in usum sacrum consecratas, more *Rabbinico*, hoc est audactèr & mendacissimè, fingunt. Qui plus velit responsionum adeat *Picum Mirandu.* Epistol: ad amicum ignot: *Buxtorfium*, Thes: de litera: Heb: Antiqui: *Josephum de Voysin* præfat: ad pugion: fid. Kircher: Oed. Ægyp Tom. 2. Cap. 2.

Sed negotium hoc nequaquam expedivimus: qui mutationis literarum *Ezraiticæ* patrocinium susceperunt, firmissimum causæ præsidium in *nummis* antiquis Hebræorum ponunt. Eorum plurimos *effossos* esse in locis circa *Hierusalem*, & ubi olim urbs illa stetit, affirmant. Atque hi pænè omnes literas *Samaritanas* inscriptas habent. Paucissimi quidem sunt in quibus literæ quadratæ apparent; sed ii novitii sunt, post reditum populi ex captivitate cusi; illi alteri antiqui. Hei μεταθέσεως *Ezraiticæ* patroni seriò triumphant, atque in eos omnes quibus adversa sententia arridet quasi stupidi essent, pervicaces, præfracto ingenio præditi, & qui veritati cedere nescirent, debacchantur. Sed minis terreri, aut conviciis dejici abs eâ sententiâ, quam non nisi seriò omnium quæ ad ejus

ejus explanationem faciunt examine præmisso quis amplexus est, non est hominis veritatem amantis. Spero itaque me sine ullorum offensione Testimonium hoc sub examen iterum revocare posse: præsertim cum ex aliorum indagatione dudum est quod criminis falsi meritò suspectum habeatur.

Nonnulla hic supponunt viri docti.

1 Nummos qui à nonnullis producuntur veros esse, & genuinos antiquorum Regum *Judæorum*, stante adhuc templo primo, cusos vel fusos; atque hic fraudem nullam latere aut subesse.

2 Nummos quibus insculptæ sunt literæ *Samaritanæ*, cusos fuisse, sub templo primo, eos vero quibus adhærent literæ *quadratæ*, sub secundo omnes; certum enim esse, ex hiscè scilicet nummis, literas *Samaritanas* solùm in usu fuisse ante populi reditum ex captivitate.

3 Unicum tantum fuisse literarum genus inter *Izraelitas* ante captivitatem *Babylonicam*, quod omni usui, cùm sacro tùm prophano destinatum erat; ita ut quo charactere usi sunt in nummis cudendis, eo, neque alio ullo, in omni scripturâ usi fuerint.

At vero omnia hæc dubia sunt, & incerta; quædam apertè falsa, omni Testimonio & probabilitate destituta, prout ex eorum examine patebit.

Nummos ex argento & ære conflatos, characteribus *Samaritanis*, aut certe iis non absimilibus quæ vulgo ita vocantur, aliquibus in peculio esse notum est. Illos ex antiquis nummis Regum *Judæ* fuisse viri docti arbitrantur; atque ex iis aliquot scriptis effigiarunt. Novem exhibet *Kircherus* ex *Vilalpando* aliisque; *Hottingerus* nonnullos. Quidam etiam habentur in bibliotheca *Bodleiana*; qui *Cl: Seldeni* fuerant: Ipse quidem *Seldenus* cum librum doctissimum de *jure gentium apud Hebræos ediderit*, duas trèsve effigies ex aliorum libris mutuatas exhibuit, nondum nummorũ ullorum ipse possessor factus, quorum postea quosdã obtinuit, curiosus antiquarum rerum, literarumque, monimentorum indagator. Eorum hic tibi lector εἰκόνα exhibere putavi. Sed sunt quæ impediunt. Istiusmodi ideo numismata extare, literis seu characteribus quos Samaritanos vocant, variegata, lubentes confitemur. Quantum authoritatis habere debeant, restat ut proximò loco despiciamus. Multos in nummis cudendis, ac venditandis, imposturas exercuisse, qui ubivis occurrunt fictitii, neminem qui non amotæ mentis sit, dubitare permittunt. Haud aliàs forsan, in totâ re antiquariâ, quâ tamen plurimis volupe est homines [illegible] ludos facere, deceptio. Quidam lucri faciendi causâ, quidam nefariâ hominum credulorum decipiendi prurigine titillati, imposturæ

huic faciendæ operam dederunt. Innumera adhuc extant istiusmodi παραχαράγματα impostorum figmenta. In Numismatis Ptolomæi Euergetis hic Titulus legitur. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΦΥΣΚΩΝΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Item alius in nummis Αυλητὴς dicitur, alius λάθυρος; ενταῦ autem Αυλητὴς & λαθυρὸς ridicula fuere improperia, invitis imposita. Non sani hominis est credere Reges superbissimos opprobria sua nummis æternitati consecrasse. Mirum ni alicubi extet Tiberii numisma cum inscriptione CALDII BIBERII MERONIS.

Recte itaque *Cardinalis Baronius*; ad Ann. Christ. 324. n. 113. *Prodierunt* (inquit) *hoc nostro sæculo, dixerem ne impostores, qui obductum crassa rubigine numisma æreum nanciscuntur, formas & literas quas volunt solerti fingunt industria turpis lucri gratia, non sine magno rei antiquariæ præjudicio.* Antiquum autem satis est & notissimum decipiendi artificium, subterranea inventa fingere. Eo artificio cum Virgines Sabinas in potestatem suam redigere vellet, usus est Romulus. Διαδόθη inquit in vita ejus Plutarchus, λόγος ὑπ' αὐτοῦ πρῶτον ὡς θεοῦ τινος ἀνευρήκοι βωμὸν ὑπὸ γῆς κατακεκρυμμένον, ὀνόμαζον δὲ τὸν θεὸν Κῶνσον; *Divulgavit Dei cujuspiam defossam se sub terra aram reperisse, Consum Deum vocabant.* Inde in proverbium abiit inter Romanos; *Lapidem è Sepulchro venerari pro Deo*; quo utitur Cicero pro Plancio, & alibi. Ita Martinus Polonus Chronic: ad An. Chr. 104; ait Romæ corpus gigantis cujusdam erutum fuisse, cujus altitudo excederet Altitudinem murorum; quod Pallantis corpus fuisse quem occiderit Turnus affirmat; id enim apparere ex Epitaphio quod inscriptum erat;

Filius Evandri Pallas quem lancea Turni
Militis occidit more suo jacet hic.

Quod nescio an compositum fuerit à matre ipsius *Evandri* ut loquitur Phavorinus apud Gellium.

Inter innumera fraudis hujus quæ ubivis extant non vestigia quidem, sed expressa Testimonia, fabulam illam operosissimam de *Prospero Fesulano*, quam sub titulo *Antiquitatum Hetruriæ* edidit *Curtius Inghiramius*, reponendam censeo. Ex eo uno autem discat Lector, quantum operis, studii, sumptus impendere parati sunt, quibus in animo est fallacias tendere, atque alios in fraudem impellere. Globulos, quidem quos memorat, inque iis historias, rerumque figuras quas edidit Virum generosum reperisse equidem non negarem; Neque enim quenquam hominum adeo perditè sceleratum & nequam fuisse, ut primo longam fabulam alios deci-

decipiendi causa fingeret, & pertexeret, deinde se non finxisse juraret, æquum est ut suspicemur: At vero Totum opus, Viri, neque otio, neque ingenio, neque doctrina indigentis figmentum & lusum fuisse, qui globulos illos in terra recondidit, nolo suspicari, cum res manifesta sit. Innumera sunt quæ imposturam produnt, nam ut in tam longa fabula, tam sibi constans, ita circumstantiarum memor esset, ut ubique τὸ πρέπον observaret, pæne erat impossibile. Cum *Phaacibus* autem se rem habiturum hariolatus est, cum illum quem bellum *Catilinarium* consumpsit, tot annos ante Christum natum, mentionem expressam illius *crucifixi nis* fecisse fingit. Etenim primo globulo quem uti reliquos *scarith* appellat, hæc verba inscripta erant; *Thesaurum invenisti, locum signa & ubi; Anno à rege Judaeorum nuntiato* MDCXXIIII, Crucifixo MDLXXXXI. nugæ; Judæorum regem ullum Crucifixum iri, nec *Angelis* ullis, nec Dæmoni, neque homini prænosse concessum. Discat hinc Lector quantum sit in rebus hisce inane, & quousque progressa sit in fingendis rerum antiquarum falsis imaginibus quorundam hominum ingeniosa sed & nequissima vanitas; quot ibi ex murorum ruderibus, arborum radicibus, speluncarum imis, sigillorum & subscriptionum signa et ἰχνῶν, eruta narrantur? omnes nummi *Hebraici* qui ullubi extare noscuntur signorum numerum quæ illius libri una pagina exhibet, non æquant; & tamen ea abs uno homine conficta videntur omnia.


Hujus notæ erat factum illud Alexandri quod memorat in ejus vita Plutarchus; cum enim ad Gangem pervenisset, & non potuerit militum consensum obtinere, ut flumen transiret, ad gloriam & famam apud posteros multa faciens, grandiora arma & equorum præsepia, & fræna majoris ponderis quam unquam in usu fuerunt fabricatus est, & abscondit, nempe ut posteri ea inventuri existimarent milites Alexandri quorum illa essent arma, & equos quorum illa essent præsepia & fræna, multo excessisse vulgarem hominum & equorum mensuram.

Postquam autem *Orientalibus* subolere cœpit, quo in pretio apud *Europæos* essent rerum vetustarum monumenta, nullum non moverunt lapidem, quo iis præstigiis illuderent, & fucum facerent. Dum enim Oriens a Christianis teneretur, numismata ulla *Hebraica* ibi effossa fuisse non apparet. Nisi res esset notissima, nemo pæne crederet inveniri adhuc Christianum nomen profitentes, qui longinquas peregrinationes, & periculosissimas susciperent, ad ea visenda colendaque quorum aspectum tactumque Muhammedani qui nudius tertius ea finxerunt, magno pretio vendunt. Narravit non ita pridem mihi vir Clarissimus testis αὐτόπτης omni exceptione major, se in partibus *Orientalibus* vidisse *Mi-*

tram

tram & bacculum pastorale sancti *Andreæ*, vel *Jacobi*, (nam uter erat non bene memini) quæ magnâ cum religione â plurimis Christianis visebantur, qui pro tanto beneficio plano cuidam *Muhammedano* penes quem erant, grates & stipem persolvere necesse habuerunt. Cum vero is nescio quâ occasione illuc delatus fuerit, ubi Thesaurus hic reservatus erat, mitram paulo diligentius inspiciens, illicò intexta ei verba *Arabica* quibus solennem suam professionem de uno vero Deo illiusque propheta *Muhammede*, exprimunt *Musulmanni* uti dici amant, perspexit; & statìm non sine detestatione fraudis impiæ, atque credulorum hominum misericordiâ discessit. Hujus generis plurima refert *Abraham Eccelliensis* in Histor: Arab: Cap:7: & 8: etiam & *Kircherus* Obelisc: Pamphil: Lib: 1: Cap: 2: p: 10: 11; qui tamen ineptissimæ credulitatis palmam cunctis præripere gestit. Ità ex eo tempore quo percrebuit opinio Amoricanorum aliquot ex *Izraelitis* oriundos fuisse, statim cippi & lapides sepulchrales inventi sunt literis *Hebraicis*, etiam *Samaritanis*, (quia de earum antiquitate jam divulgata esset sententia,) multis in locis in iis orbis partibus, insculpti. Adeò autem ingeniosè nequam in hac, uti in omnibus aliis malis artibus unde spes aliqua lucri effulgere videatur, sunt *Judæi* Orientales, qui fucosæ hujus mercis soli sunt negotiatores, ut vir doctus qui partes istas peragravit, testatus sit, Judæum à se nummum antiquum uti videbatur accepisse, & proximo die unà cum eo quem acceperat attulisse alium ei adeo similem, ut plane is nesciret uter suus esset. Si vera etiam sint quæ refert Kircherus, Oed: Clas: 2. Tom: 1. Cap: 2. §. 2, litem hanc diriment, sine dubio; sin in falsi crimine cubantia deprehendi possint, fraudi huic tenebris obductæ in lucem proferendæ inservient. Refert autem ea fide *Thomæ Obicini* Novariensis, fratris è Familia Franciscanâ, quem ille nimiis laudibus ornat; Is ideò *Thomas* inter alia rara antiquitatis monumenta ex Oriente allata, ex ipso Monte *Horeb* epigraphen quandam literis *Hebraicis*, lapidi ad radices montis posito exaratam, discriptam in Europam secum tulit. Lapidem autem istum, inscriptionis interpretationi *Kirkerianæ* applaudens, illud ipsum *Altare* quod in monte *Horeb* extruxit Moses fuisse asserit *Checaudus* quidam, pag: 119, Ipse etiam in iis partibus multum diùque versatus. Ipsam autem inscriptionem eo tempore quo *Izraelitæ* ex Ægypto reduces in disertis Arabicis commorati sunt, rupi insculptam fuisse non dubitat *Kircherus*. Ejus autem hoc est ἐκτύπωμα.

At-



Atque hæ fuere uti videtur antiquæ literæ *Hebraicæ* quibus *Moſes* & populus *Eremiticus* uſi fuerunt. Si vero hæc vera ſint, quin fruſtrà ſit omnis ulterioris diſquiſitionis in lite hac decidendâ labor, nemo opinor negabit. Nam ſine dubio, literæ hæ, ſi literæ dicendæ ſint, neque *Hebrææ* ſunt neque *Samaritanæ*. Ex iis autem verba hæc elicet Kircherus; ייעלמחא יבטו. *Deus virginem concipere faciet*; Phraſi ævo ei hand congruenti, quod oſtendit *Hottingerus*, præfat: Ad Cip: Heb: Nam ex deformibus iſtis lineolis quiduis fingendi æquali cum probabilitate, poteſtatem habuit. Sed quin tota illa Scriptura, cum iis aliis ejusdem generis quarum ibi loci meminit Kircherus, figmentum fuerit *Thomæ* iſtius *Obecini* nullus dubito; aut ſaltem callidi *Muhammedani* cum viderent hominem undique corradentem quæ in *Europam* ſecum tranſportaret, credulo Fratri impoſuerint. Neque improbabile eſt Symbolum Solenne *Muhameticum* iis figuris ænigmaticè proponi. Ex hiſcè autem apparet quantum fidei etiam nummis qui ex iis locis afferuntur adhibendum ſit.

Qui primi mutationis *Ezraiticæ* mentionem fecerunt, atque litera-

rum *Samaritanarum* antiquitatem astruxerunt, nummos hosce penitùs tacent; eorum nulli inventi sunt, donec passim inualuerat fama literas istas *Samariticas* antiquissimas fuisse. Itaque fraudi mendacium suppetias tulit. *V*t Numismata vetusta esse crederentur, literæ quæ vetustissimæ habebantur primo iis impressæ sunt; deinde literas istas vetustissimas esse, inde probatur quia nummis vetustissimis insculptæ. Ita postquam ex Vulgati Interpretis lapsu creditum esset faciem *Mosis* è monte *Sinai* descendentis *cornutam* fuisse, illicò cusi nummi sunt cum effigie *Mosis* cornutâ.

Sunt etiam non-nulli literis *Samaritanis* inscripti, in quibus *Tau* crucis figuram exhibet. At istius literæ figuram cruci similem, in usu apud *Samaritanos* nunquam fuisse multa sunt quæ persuadent. Eorum fictioni occasionem dedit sine dubio *Origenis* & *Hieronymi* hallucinatio.

Extant etiam numismata nominibus Dei *Kabbalisticis* variegata, Characteribus *Samaritanis* expressa; Illa vero non nisi longo post destructum Templum secundum tempore ficta fuisse nemo non novit. Etiam sunt quibus nomen *Jesu*, qui & *Saluator* dicitur, literis *Samaritanis* inscribitur. Hisce verò omnibus fraudem subesse nemo dubitat. Et quis quæso fidem faciet, quicquid horum nummorum reliquum est ex eadem imposturarum officinâ non prodiisse.

Sed etiam Characterem istum qui *Samaritanus* dicitur, *Judæis* ante Templi primi eversionem notum fuisse, atque in aliquo usu concedi potest. *Judæos* olim duplici literarum genere usos fuisse, constans est ipsorum omnium sententia. Id plurimis allatis Testimoniis suse ostendit Buxtorfius. Ex veteribus Christianis in eadem sententia erat *Irenæus* Lib: 7. Cap. 41. *Literarum* enim *Sacerdotalium* ab iis quæ in usu communi fuerunt discrepantium mentionem facit. Unde Author Targum in lib: Hesteræ affirmat Judæos in diebus Purim volumen Legis legisse, כמכתב רושם עבראי *juxta scripturam Characteris Hebræorum*; Esth: Cap: 9: v: 27; apertè indicans suo Judicio legem alio quoque Charactere præter sacrum illum antiquum Hebræorum exaratam fuisse; illo nempe quem Libonæum vocant.

Alias etiam gentes eundem morem usurpasse negari non potest. Triplici quidem scribendi genere *Ægyptios* usos fuisse testis est *Clemens Alexandrinus*; Stromat. 5. Αὐτίκα, inquit, οἱ δὲ παρ᾽ Αἰγυπτίοις παιδευόμενοι, πρῶτον μὲν πάντων τῶν Αἰγυπτίων γραμμάτων μέθοδον ἐκμανθάνουσι τὴν ἐπιστολογραφικὴν καλουμένην. Δευτέραν δὲ ἱερατικὴν, ᾗ χρῶνται οἱ ἱερογραμματεῖς. ὑστάτην δὲ καὶ τελευταίαν ἱερογλυφικὴν, ἧς ἡ μὲν ἐστι διὰ τῶν πρώτων στοιχείων κυριολογικὴ, ἡ δὲ Συμβολική. Idem de Æthiopibus narrat Heliodorus Lib: 4to.

ἐπιλε-

ἐπιλεγόμενον τὴν ταινίαν γράμμασιν Αἰθιοπικοῖς, οὐ δημοτικοῖς ἀλλὰ βασιλικοῖς ἐστιγμένην· ἃ δὴ τοῖς Αἰγυπτίων ἱερατικοῖς καλουμένοις ὡμοίωνται. *Fasciam perlegi literis Æthiopicis, non vulgaribus, sed regiis notatam, quæ Ægyptiis sacris cognominatis sunt similes.* Ita Diogenes Laertius in vita Democriti postquam catalogum librorum quos is scripserat ex Thrasyllo recensuisset; addit; τάττουσι δέ τινες κατ' ἰδίαν ἐκ τῶν ὑπομνημάτων καὶ ταῦτα· τὸ περὶ τῶν ἐν Βαβυλῶνι ἱερῶν γραμμάτων, περὶ τῶν ἐν Μερόῃ ἱερῶν γραμμάτων. *Sunt qui seorsum commentariis ista constituant; de Sacris literis in Babylone, & de sacris literis in Meroe.* Duplex ideo literarum genus apud Babylonios & Meroenses in usu erat. Etiam de Græcis Theodoretus; in Genes: quæst: 61, ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς ναοῖς ἴδιοι τινὲς ἦσαν χαρακτῆρες γραμμάτων, οὓς ἱερατικοὺς προσηγόρευον *In templis Græcanicis quidam sunt peculiares literarum Characteres quos sacros appellant.* Nulla itaque Gens fuit cui literæ notæ essent, quæ uno Characterum genere in omnes usus contenta erat. *Judæos* vero omnia sacra sua palàm habuisse, ideòque alio quàm qui in usu communi fuerit Charactere opus non habuisse quidam affirmant, Nam ea, inquiunt sola ratio erat cur aliæ gentes literas quasdam *crypticas* invenerint, ne sacra scilicet iis scripta in vulgus emanarent. Sed illam solam rationem fuisse ejus moris probare nemo potest. Aliæ causæ esse poterant. Deindè, quamvis *Judæi* populares suos omnes omnium sacrorum cognitione instruere tenerentur, tamen nè in gentes profanas effluerent quæ apud eos sacra fuerunt, illis erat religio. Inde rerum *Judaicarum* quæ ad Religionem spectant, inter omnes gentes tanta ignorantia. Imo qui *Ezram* novum scribendi genus excogitasse arbitrantur, id eum fecisse ne quid commune in sacris cum vicinis *Samaritanis Judæi* haberent, affirmant. Haud ideo absimile veri videri potest, *Judæos* alio Characterum genere usos fuisse isto quod cum gentibus commercio habuerunt, abs illo quod Sacris codicibus describendis consecratum erat.

Fieri etiam potest, ut profano isto literarum genere in sculpturis, incisionibus, torcumatis, cælaturis, aurigraphiis atque id genus aliis uterentur. Istiusmodi usibus idoneæ videntur Literæ *Samaritanæ*, cùm aliorum omnium respectu deformes sint & *Præternaturales.* Cùm verò id ego alibi dixissem, nescio qui tumultus a viro docto excitati sunt, de literis *Naturalibus* & *Præternaturalibus* atque istiusmodi nugis, quas ab atra bile effusas, pudet referre. Scriptioni ineptas & inidoneas volui; atque proindè arbitrarium ἐφευρήματι usui quem diximus peculiaritèr destinatum. Ita *Schickard:* in *Bechin: Happerusc:* pag. 82. *Hiulca* (inquit,) *deformis, aspera, operosa, & exaratu difficilis, adeóque fa-*

ctitia est. Similia habet *Fullerus Miscellan*: *Sac*: Lib: 4. Cap: 4.

Characterem verò hunc *Samaritanum* illum ipsum esse quem *Judæi* ליבונאה vocant, plurimi arbitrantur. De vocabuli istius sensu & *etymo*, inter viros doctos dissensio est; etiam quam ob causam Character *Samaritanus* ita diceretur. *Morinus* a לבן deducit. Inde ליבן, id *sculptrum*, seu *scalprum*, aut *cælum* esse dicit, atque *Libonæa* pro re incisâ seu sculptrâ sumit. In illum ideo usum repertus videtur. Etiam apud *Rabbinos* magnarum literarum mentio est; quibus, uti aiunt, in *Amuletis* veteres usi sunt Istas *Libonæas* fuisse affirmat *Rabbi Solomon*. *Literæ*, inquit, *magnæ sunt, quales sunt illæ quibus scribunt in Amuletis, & postium petaciis*. Verba refert *Rab*: *Azarias*. *Meor Enaiim*, pag. 171. Totam rem luculentèr exponit *Fullerus* loco suprà citato, cujus verba ideo hîc reponenda duxi.

Ut scriptæ, inquit, Samaritanorum *literæ eædem omnino sint atque siclis inclusæ, non tamen necesse est has solas præterea nullas veteribus fuisse usitatas. Quasi vero uni genti unum duntaxat literarum genus semper in usu fuisse oporteat; id quod vel ipsa experientia facilè redarguat apud omnes credo gentes maximè humaniores. Certe apud nostrates Characteres Archivorum proprios multum à vulgaribus discrepare videmus. Imo multiplicem literarum speciem Arabibus familiarem sciunt periti, haud parum inter se discrepantium. Sed obscuriora sunt ista forsan neque admodum nota studiosis. Illustrissimam autem vetustissimamque Ægyptiorum Rempublicam quis ignorat? quid? an uno tantum Characterum genere satis instructam fuisse arbitrabimur? Hyeroglyphicos eorum Characteres summam àc propè admirandam à communibus & vulgatis habuisse dissimilitudinem certo certius opinor. Et quisquam illud acriter pugnabit ut sapientissima Hebræorum gens uni tantummodo literarum formæ quasi in servitutem perpetuo addicta adjudicetur? non dubitamus igitur pro duobus illis præcipuis rerum àc negotiorum diversis generibus sacrorum videlicet & civiliũ duplicem ad minimũ literarum figuram antiquis Hebræis fuisse consuetam. Quod idem meo quidem animo res ipsa illicò docere queat; quippe alterum genus scripta Judæorum monumenta ad hodiernum diem affatim extantia luculenter demonstrant; alterum Samaritanorum libri & numismata ab interritu vendicant.* Hæc ille.

Extant etiam numismata literis quadratis insignita, At ista, inquiunt *antiqua non sunt*. Quid ita? Quia scilicet *literis antiquis non inscribuntur*. Istas vero alias literas antiquas esse unde apparet? Inde inquiuut, quòd *eas antiquis Hebræorum nummis sculptas videmus*. Ridicule prorsus; Nummi literas *Samaritanas* antiquas esse probant; atque

atque vicissim literæ istæ nummos antiquos esse testantur. Sed cusa sunt, inquiunt, hæc posterioris generis numismata sub Templo secundo; quî inquam aut undè id constet? nempe quia *literis Assyriacis insignita* sunt quæ ante id tempus in usu non fuerunt. Atque hic etiam peti τὸ ἐν ἀρχῇ palam est. Sed neque desunt rationes quæ conjecturas hasce vanitatis arguant. Si enim cusum fuerit id genus nummorum cui inscribuntur literæ quadratæ sub Templo secundo, vnde quæso evenire censeamus, ut tam rarò ex eo genere ficti, ex altero, quod solum stante Templo primo cusum aut percussum est, frequenter satis inveniantur, ita ut non vereatur Vir doctus affirmare eos *quotidiè* effodi? Populus qui tempore excidii secundi Templi vixit, eo qui cum primo periit plurimis calamitatibus per aliquot ante secula protrito & pæne consumpto, multo ditior erat, atque plus nummorum habuit in peculio. Refert etiam Historicus omne genus homines instante vastatione Romanâ totam quam habuerunt pecuniæ vim in locis subterraneis abscondisse. In Templi prætereà atque Vrbis instauratione credibile est murorum & ædificiorum omnium ruinas & rudeta, per novas incolas ruspata satis fuisse. Deinde Vrbem ante Παντωλοθρίαν decretoriam annos quadringentos inhabitavit gens avarissima, quæ nummos quærendi gratiâ in ipsa terræ viscera penetrare non dubitaret. Mirum ideo meritò cuiquam videri possit tantum eorum nummorum qui antè captivitatem *Babylonicam* fusi aut cusi fuerunt numerum inveniri, cum isti alteri qui stante Templò secundo percussi fuisse dicuntur, adeo sint infrequentes.

Porro testatur *Schichardus* se vidisse nummum antiquum *Hierosolymis* effossum, Regno *Hebræorum* adhùc integro procusum, literis vulgaribus quadratis insignitum, ex una parte *Solomonis* effigiem, & altera *Templi* ναὸν exhibentem. Negat *Villalpandus* nummum istum genuinum esse; *Kircherus* affirmat cum *Schichardo*. Alii *Villalpandum* sequi necesse habent; Etenim concesso nummo isto esse genuino, illico corrueret tota ea sententia cujus propugnandæ gratiâ adeo animosè dimicant. Neque tamen sine ratione κενὸν hanc excercere videri vellent. Aiunt enim *Judæis* illicitum fuisse sine mandato speciali animalis cujuscunque effigiem vel imaginem fingere aut pingere; atque proinde nummum qui vultum hominis exhibeat pro genuino non esse agnoscendum, cum illis illicitum fuerit istiusmodi effigies cudere. Sed cur quæso *Animalis*, dicunt? præceptum ad omnem omnium quæ sunt *in cælo aut terrâ, aut aquis similitudinem* se extendit, sive *animalia* sint, sive non. Et tamen cuncta numismata *Hebraica* quæ ubivis extant istiusmodi rerum effigies

exhibent. *Urna*, & *Virga Aaronis* res in terra existentes fuere non minus quam ipse *Solomon*. In Idololatriam autem prolapsi τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ non tantum ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, sed & rerum etiam inanimatarum mutaverunt. Si quid igitur virium huic ratiocinationi in esset æque summoveret omnes monetas, ac istam vultu *Solomonis* effigiatam. Neque sanè omnino improbabile est *Hebræos* veteres siclos nullos figuris aut literarum inscriptionibus variegatos aut insignitos confecisse. Id enim tantum contendimus, ut omnes nummi hâc ratione non obstante eodem loco & pretio habeantur. Veruntamen absolutè illicitum fuisse *Judæis* quamcunque effigiem fingere, modo ad cultum religiosum respectum nullum haberet, nondum probatur. Cum enim ab imaginibus lege prohibitis maximè abhorruerant, nummis tamen *Romanis* cum imagine *Cæsareâ* protuberante cusis usi sunt; atque etiamnum per totum orbem regum imagines nummis effigiatas tantùm non adorant. Cum quidem Pilatus τὰς προτομὰς Καίσαρος in Templum intulisset, populus teste Josepho tumultuari cæpit. At eundem populum ejusmodi προτομὰς & εἰκόνας in nummis amplexum fuisse novimus. Eas προτομὰς Arabas adhùc מתאל seu methalias vocant; unde natum nomen medaliarum jam vulgo receptum; & forsan nostrum *Mettel*. Et Author Targum in Estheram, affirmat *Mordochæum indutum fuisse veste purpurea depictas habente omnis generis alites & volucres cæli*.

Sicque etiam olim *Philistæorum* imagunculas, in Arcæ reditu sibi oblatas non rejecerunt. Nisi ideo qui literarum *Hebraicarum* mutationis patrocinium susceperunt, eo sint in nummos antiquos imperio, ut in quoscunque velint falsi sententiam ferant pro arbitrio, aliosque ad Testimonium dandum admittant, de Argumento hoc *nummario* planè actum est. Qui verò ob frigidas hasce conjectiunculas animum suum inducere potest, ut credat prodigiosam mutationem superius memoratam factam fuisse, id quidem sine me rivali faciet; neque enim cuiquam imponerem necessitatem credendi quod nolit, aut non credendi quod velit, dummodò mihi meo arbitratu in hisce uti liceat.

Restat ut rationes quæ pro literarum Hebraicarum antiquitate militant paucis recenseamus. Plurimis autem quibus insistere solent viri docti è quorum scriptis peti possint, prætermissis, earum quæ apud me plurimum valent, capita notasse sufficiat.

Primò igitur, ipsa possessio de quâ per Testimonia & conjecturas superiùs allatas dejici nequeant, literarum harum antiquitati argumento est. Si loco cedere paratissimus ob imbelles istiusmodi Adversariorum quorumcúnque tandem insultus, nullubi tuti, stabiles, firmi manebimus.

Literæ

Literæ hæ quadratæ, eæque ſolæ apud Eccleſiam in ſacris ſcripturis exarandis, penè mille annos ex omnium conſenſu in uſu fuere, antequam mortalium ullus, Judæus aut Chriſtianus illas ad cauſam dicendam in jus vocavit. Æquumne cenſebitur, ut tot annorum imò ſeculorum præſcriptioni paucorum veterum nudæ affirmationes, recentium crudæ conjecturæ, præjudicarent? Qui quæſo dixit, ſcripſit, memoriæ prodidit, ſexcentos minimum poſt *Ezræ* mortem annos, eum literas à Deo datas, à Prophetis omnibus uſurpatas abjeciſſe, exemplaria antiqua ſacris iſtis literis exarata repudiaſſe, *Samaritanis* ablegaſſe, novas excogitaſſe, aut gentis Idololatricæ, maledictæ, nuperrimè ob Eccleſiam oppreſſam devaſtatæ & exciſæ in uſum ſacrum induxiſſe? Si cui quidem illum ita verbum Dei tractaſſe ſuſpicari lubeat, eum ego prohibere non poſſum, cum ſuſpicio in uniuſcujuſque poteſtate ſita ſit; mihi *Mileſias* fabulas narrare, cùm ſuſpiciones iſtas promunt, videntur.

Secundò, ſuperius oſtendimus, cauſam juſtam, legitimam, neceſſariam imò aut occaſionem leviculam, mutationis hujus prodigioſæ reverâ nullam fuiſſe. Neque enim linguæ ſuæ propriæ in captivitate obliti fuerunt *Judæi*, neque ſi obliti fuiſſent ullo modo ei incommodo quo premebantur, mutatione iſtâ occurſum fuiſſet. Aſt nonniſi poſt obitum *Ezræ* atque Prophetarum omnium, à linguæ primævæ puritate populus iſte deficere incepit; idque non ex oblivione quæ eos durante captivitate cepiſſe dicitur, ſed ex barbarie, & *Syriaſmo* quem iis cum vicinis gentibus commercium perfricuit. Cùm enim paulò antè tempora *Machabaica Syriaci* imperii dominatu & potentiâ opprimerentur, hùc illùc diſperſi nihil ſacrum aut integrum in Republicâ aut Religione retinerent, etiam linguæ corruptelam admiſerunt; hoc vero nihil ad *Ezræ* tempora, qui literas antiquas poſſeſſione ſuâ amoviſſe dicitur.

Neque, Tertio, iſtiuſmodi mutatio, ſi vera potius quam mira loqui vellemus, poſſibilis cenſenda erit. Multa Judæorum millia, è ſacerdotibus & nobilibus plurimi, in partibus *Orientalibus* durabant, neque *Hieroſolymas* redierunt unquam. Illos ſacræ ſcripturæ exemplaria apud ſe retinuiſſe, negare, eorum eſt, qui moris gentis, pariter ac omnis veteris hiſtoriæ ſunt ignari. Ea omnia exemplaria charactere illo deſcripta fuiſſe qui in uſu antiquo fuerat, neceſſe eſt ut concedant etiam qui mutationem per *Ezram* factam fuiſſe, fingunt. Jam vero populum reducem antiquas literas ad *Samaritanos* ablegaſſe, novis excogitatis, aut *Aſſyriacis* in eorum locum uſumque adſcitis, tum cum major pars totius populi ſedibus ſuis orientalibus hærens literas iſtas antiquas uſurparet & retineret, nemo, uti arbitror, niſi præjudiciis occupatus facilè credet. Judæorum

orum autem innumera millia in Oriente seu *Babylone* & regionibus *Assyriacis* adjacentibus durasse, testis est locupletissimus *Josephus*: Intra aliquot annos in tantam multitudinem excreverunt, ut ingentia bella moverent, quæ post multa prælia quibus victoriam reportaverunt, vix tandem totis viribus imperii *Parthici* sedata & suppressa fuerunt. Hoc autem Argumento codices sacros nunquam corruptos fuisse validissimè probat Author *Sepher Ickarim*, l.8.c.22. *Quum*, inquit, *ascendit Ezras è Babylonia non ascenderant cum eo nisi pauci; magnates vero Izrael sapientes & nobiles omnes manserunt in Babylonia. Quæ cum ita sint, cum ibi remansissent omnes magnates & Legis periti, non poterat Ezras mutare quidquam in Lege; alioqui non fuisset lex ejus consona legi aliorum omnium qui in Babylonia remanserant, & qui versabantur in civitatibus Samariæ, & in terra Assyriæ, aliisque locis, qui cum Ezra ascendere noluerunt.* Æque autem militat ratio hæc, quæ sane est validissima, adversus literarum mutationem, ac librorum corruptionem. Quid etiam factum fuisset, cum innumeris istis codicibus qui literis antiquis exarati per totum pæne orbem dispersi fuere, nemo adhùc ostendit. Postquam quidem *Ezra* puncta vocalia excogitasset, & Textui inseruisset, manserunt nihilominus exemplaria innumera per totum *Orientem* quibus inscripta non fuerunt; idque ob alias rationes, ita ob hanc etiam, quod scilicet res brevis temporis, imo unius ætatis aut seculi non erat, divinum illud εὕρημα cum omnibus ubivis gentium *Judæis* communicare. Plurimi ideo antiquis sine punctis exemplaribus usi, alia ex iis discripta posteris eodem modo quo ab antecessoribus suis sua acceperant transmiserunt. Atque ita per omnia secula sine punctis exarati codices plurimi semper superstites fuere. At vero sententiâ hâc virorum doctorum concessâ, rejectione hâc omnium literarum antiquarum factâ, novarumque substitutione intra paucos forsan dies absolutâ, illico per totum orbem quicquid uspiam esset Judæorum in eam ita consensisse censendum est, ut nullum vestigium, fama, monumentum, vel rumor superfuerit eorum exemplarium quæ sola antea habuerunt, quæque in partibus aliquibus Scripturæ recens ab ipsis Spiritus Sancti amanuensibus accepissent. Abs eo tempore quo mutatio hæc literarum facta fingitur, ad absolutum *Talmud Babylonicum* circa annum Christi 500 aut 600; plurimæ fuere Judæorum coloniæ, synagogæ, scholæ, successione nunquam interruptâ continuatæ, quibus *Sarmaritani* quorum causa innovatio hæc facta fuisse prætenditur, vix noti fuere; nedum iiscum quidquam communitatis habuerunt, aut abs illorum commercio, ne superstitionis contagione

afficerentur

afficerentur, timuerunt. Prodigii instar esset, neminem ex tot millibus antiqua scripturarum exemplaria, quorum Characteres primo ab ipso Deo in Ecclesiæ illorum fundatione, deinde a Prophetis continuâ successione ad ea tempora quibus eorum nonnulli vixerant, sacris usibus consecrati fuere, describenda curasse. Quocunque tandem tempore puncta excogitata fuerint, planum est plurima omni seculo exemplaria conservata & descripta fuisse quibus non intersererentur. At uti fert adversariorum sententia, adscitis semel in usum literis novis, veteres statim è finibus Ecclesiæ penitus exterminatæ fuerunt; *Credat Apella.*

Quarto; innumera extant veterum *Judæorum* testimonia, quibus contra figmentum mutationis literarum *Ezraiticæ* sententiam ferunt. Eorum satis, si quid Testimoniorum in hâc causâ satis censeri possit, dudum produxit Cl: *Buxtorfius*, ad quem lectorem remittimus.

Ultimò, pleraque quæ de *Samaritis* istis dicuntur, quæque opinioni de literarum mutatione substruuntur prorsus sunt incertissima. Quando primum legem *Mosaicam* receperunt incertum; corrupisse certissimum. An cultum Dei seriò admiserint unquam incertum, ei palam renuntiasse, certissimum. An aliqui ex eâ gentium colluvie quæ erant, adhuc supersint incertum; vel an ex multis seculis superfuerint; nam qui illorum deliria nunc amplectuntur, ortu & sanguine *Judæi* sunt plerique, si non omnes, ob superstitionem pravam *Samaritæ* dicti, prout ex *Benjamini* itinerario patet. Primum cum istis qui ita vulgo dicuntur commercium nobilissimo *Scaligero* debemus. Is primus ad eos scripsit, & *Pirescio* ut in Orientem mitteret ad Pentateuchi eorum exemplar obtinendum Author erat, ut in vita *Perescii* refert *Gassendus.* Pag: 157.

Quid ea missione præstitum sit idem Author ostendit; Pag 327. Diem suum objisse *Scaligerum* antequam ad manus ejus *Pentateuchi* exemplar ullum perlatum fuerit, idem narrat. *Alphabetum* quidem anteà acceperat, atque fragmenta quædam de Anni temporumque compito. Abs eo tempore *semihomines* pronuntiati sunt omnes, qui non crederent literas eorum, quarum figuras ipse penè solus in totâ *Europâ* haberet, antiquissimas *Hebræas* fuisse. Ita enim se comparaverat vir ille summus, ut neminem ne in leviculis quidem à se dissentire absque convitiis pateretur. *Benjaminus Tudulensis* in *Itinerario* suo affirmat Samaritas istos, qui eo tempore cùm is *Orientem* peragraret vixerunt, tribus literis, scilicet ע ח ה caruisse; quod nullo modo fieri potuisse si

antiquis *Hebræorum* literis uterentur omnes norunt; cum ה saltem mentio specialis facta sit. Mentitum quidem *Benjaminum* fuisse multi affirmant. Fateor ego *Judæum* eum fuisse, atque ideo in gentis suæ rebus & conditionibus enarrandis, merito suspectum. Sed mendacem fuisse, atque in ipsâ hâc narratione mentitum dicere haud sufficit, nisi convitii inferendi, causa gravis præsto sit. Inquiunt ergo, omnia exemplaria *Pentateuchi* quæ in *Europam* allata sunt, probant eum audactèr & imperitè mentitum fuisse. At vero omnia illa exemplaria multò sunt ætate *Benjamini* recentiora. Quæ & quot sint docet *Morinus* in *opusc: Samarit:* & *Hottingerus Smeg: Oriental.* Lib: 3. Part: 2: Cap: 4. Aliique. Eorum nullum est quod annis abhinc trecentis extitit. Cum ideo nefariam in corrumpendo sacro Textu istorum hominum audaciam ostendimus, quis nobis fidem faciet, illos pro libitu quidquid vellent in literis suis innovatos non fuisse. Neque tamen hæc ideo a me dicuntur quasi fidem *Benjamino* adhibere statutum esset; quamvis sciam illum haud minoris Authoritatis apud doctos esse debere, quam illorum ulli qui inter *Judæos* mutationi literarum *Ezraiticæ* de quâ egimus, Testimonium perhibuerunt.

Vereor autèm nè diutiùs quàm par est, hisce minutiis immoratus sim; quôd sane haud quaquàm fecissem, nisi conspicerem sententiam hanc de mutatis antiquis literis *Hebraicis*, Locum primarium obtinere inter perniciosas istas opiniones, quas docti quidam viri in præjudicium *Veritatis Hebraicæ* fouent atque datâ operâ propugnant.

Libri Quarti, Caput Tertium.

Legislationis Sinaiticæ Fama. Ante eam Leges nullubi publice Sancitæ; nedum Scriptæ. Mosem antiquissimum Legislatorem agnoscunt Gentiles. Legum origines Deo ascriptæ. Zaleucus inter Gentes primus Leges scriptis commisit. Ejus ætas. Mosaicæ Theologiæ fundamenta. Primum. Revelatio divina unica norma cultus Religiosi. Cultus Dei arbitrio hominum nunquam permissus. Primi istius fundamenti explicatio, & confirmatio. Nulla Doctrina infallibiliter vera censenda, nisi quæ & quatenus immediate a Deo revelatur. Omnia Dei instituta summa animi submissione observanda. Nihil non institutum

stitutum Deo in cultu suo gratum. Fundamentum hoc pœna Transgressorum stabilitum. Secundum. Justificatio ex mera Gratia. Ejus partes. Miseria naturalis agnitio. Omnia privilegia gratuito peccatoribus indignis concessa. Virium Spiritualium destitutio. Reconciliatio per Sacrificalem Peccatorum expiationem. Sacrificiorum brutorum animalium in eum finem ἀνωφελία. Verum summum Pontificem omnia peccata in sua persona laturum. Tertium. Cultum ceremonialem non fore absolute æternum. Terminus ei præstitutus. Omnibus Christus expositus. Ecclesia Judaica gloria, Sanctitas, fides. Ministerium Propheticum.

Caput Tertium.

CElebèrrimæ νομοθεσίας Mosaicæ quam paucis enarravimus famam, in totum pænè orbem maturè transgressam esse, docent omnis rerum antiquarum memoria, & Originum Legum monumenta. Literarum quidem usum ante id tempus populis cognitum fuisse non desunt qui affirmant; Quæ me impediunt quo minus idem cum eis sentiam alibi sunt exposita. At nemo est, quod sciam, qui docuerit Leges in inter humanum genus scriptas fuisse, hisce Dei anteriores. Imo meræ conjecturæ sunt quæ afferuntur ad probandum scriptionem ullam eam anteisse quam exaravit ipse Deus in Tabulis Lapideis. Neque, ut pergamus viam institutam, statas ullas leges quamvis ἀγράφους ultra rectæ Rationis dictamina populos ad sui Regimen constituisse ante seculum Mosaicum, idoneo ullo Testimonio confirmatur. Principiis istis Rerum, Gentium, Nationumque, Eorum arbitria penes quos erat Imperium Lex erant publicæ societatis. Ut commune illud æquum bonumque quod naturæ humanæ congruum est, atque consuetudines antiquas & rationis utilitatisque principia quibus fretus populus in corpus coalescit sanctè observarent, ab iis vicissim expectabatur. Sanctissimæ vero νομοθεσίας hujus famam latissimè se fusuram prædixerat Spiritus Sanctus. Deut: cap: 4. v: 5. 6. *Vide, docui vos statuta & judicia quemadmodum mihi præcepit Jehova Deus meus; observabitis ergo atque facietis; nam hæc est sapientia vestra, & prudentia vestra, ante oculos populorum, qui audientes omnia statuta ista, dicent; tantum Populus iste maximus, populus sapiens est & prudens.* Auditâ scilicet hâc Legislatione, Legumque harum æquitate perceptâ, seipsos stultitiæ & temeritatis arguent, quod eousque vagi & instabiles vixerint, ferarum pæne in modum, Legibus

bus soluti. Qui ideo populorum bono invigilabant, hoc Dei in Gentem illam collatum beneficium sedulo apud suos exprimere & imitari conati sunt: Agnoscunt enim Græcorum sapientissimi Mosem fuisse omnium primum Legislatorem. Ita Diodorus Sicul: Bib: lib: 1. Μετὰ γὰρ τὴν παλαιὰν τοῦ κατ' Αἴγυπτον βίου κατάστασιν τὴν μυθολογουμένην γενέσθαι ἐπὶ θεῶν καὶ ἡρώων, πεῖσαι φασὶν ἐγγράφοις νόμοις πρῶτον χρῆσθαι τὰ πλήθη καὶ βίον Μωϋσῆν, ἄνδρα καὶ τῇ ψυχῇ μέγαν καὶ τῷ βίῳ ἱκανώτατον μνημονευόμενον. *Secundum veterem quæ in Ægypto fuit vitæ institutionem quæ sub Diis & Heroibus fuisse fabulose perhibetur, Multitudini primum ut Scriptis legibus uteretur & viveret persuasisse ferunt Mosem; virum & animi magnitudine, & vitæ commoditate commendatissimum.*

Omne jus ac potestatem vnius pluriumve in alios ab ipso Deo Originem suam ducere perspectum semper habuerunt sapientes. Cum enim in Deo omnis potestas κατ' ὑπεροχὴν sita sit, rectissime arbitrati sunt, neminem nisi per eum illius participem ritè fieri posse; atque proinde ut ejus numine leges populorum societati imponerentur æquum censebant. Veritatē autē istā in νομοθεσίᾳ hac Mosaica consignatā aut viderant aut audiverant. Hinc celeberimi inter Gentes Legumlatores, Zaleucus, Licurgus, Minos, Numa, se Leges quibus populos astringere in animo habuerunt, a Diis nescio quibus, Hic scilicet in nemore Arecino ab Ægeria, Ille in Antro Cretensi a Jove, Iste Delphis ab Apolline, Primus a Minerva, accepisse constanter finxerunt. Neque enim aliò figmenta illa ortum suum acceptum ferunt, quam ad celeberrimæ hujus legislationis Jzraeliticæ famam.

Qui autem primus inter Gentes Leges scripsit Zaleucus erat Locrensis, qui vixit vel paulo ante vel circa Captivitatem Babylonicam. Strabo de Locrensibus; πρῶτοι δὲ νόμοις ἐγγράπτοις χρήσασθαι πεπιστευμένοι εἰσὶ Et Marcianus Heracleotes.

———οἱ δὲ λεγόμενοι
Ἐπιζεφύριοι πλησίον κεῖνται Λοκροὶ
Τούτους δὲ πρώτους φασὶ χρήσασθαι νόμοις
Γραπτοῖσιν, οὓς Ζάλευκος ἐνθεῖναι δοκεῖ

Etenim inter Leges Licurgi erat, ne scriberentur.

Reverto ad Propositum. Mosaicæ Theologiæ cujus Revelationem exposuimus, generalia quædam fuere capita, seu principia sanctissima, quibus tanquam immotis fundamentis, doctrina Cælestis, & omnes cultus divini institutiones innitebantur. Ea breviter sunt percurrenda.

Revel-

Revelationem divinam, unicum esse fundamentum, solam normam, Regulam unicam omnis cultus religiosi qui Deo gratus sit aut acceptus, primum locum occupat in hac Theologia.

Veritas hæc, si quæ alia in Religione maximè cognitu necessaria, jam tandem memoriæ æternæ consecratur, fidis literarum divinarum monumentis tradita. Deus quidem neutiquam à jactis mundi fundamentis concessit, ut hominum arbitrium cultui suo modum daret aut mensuram. Verum eximium hoc veræ Theologiæ fundamentum usque ad Legislationem hanc Mosaicam multa caligine erat circumseptum. Multa præterea in Dei conniventiâ absque increpatione publicâ præterita sunt, ei haudquaquam grata. Iam vero tandem Principii hujus clarè revelati observatio religiosa pars celebris euasit cultus divini. In eo autem tria hæc insunt, quorum in Libris vet: Testam. frequens est memoria.

Primo enim docet Principium istud Theologicum, nullas doctrinas de Deo aut cultu ejus, eâs solas præter quas ipse revelaverat, infallibilis aut indubiæ veritatis in Religione esse censendas. *Deut. cap. 4. 11. 12. Ne addite ad verbum illud quod Ego præcipio vobis.* Et cap. 12. v. 32. Illa sola veritas salutaris est & vivifica, quæ scripta. Ea doceri debet, exponi debet, augeri à quopiam non item.

Porro! eadem veritas docet omnia & singula à Deo in cultu suo instituta, utcunque rationi absona, difficilia, inutilia videri poterint, ob supremam illius Authoritatem qui ea instituit, sanxit, summa esse cum Religione & animi submissione observanda & colenda. Etenim Institutionum Judaicarum plurimæ fuere arbitrariæ, è solo Legislatoris beneplacito promanantes, atque ἀυτοκρατορίας jure latæ; totumque earum corpus ζυγὸν δυσβάστακτον fuisse testatur Petrus Actor. cap. 15. v. 10. cui opponitur Christianorum λατρείαν λογικὴν. Unam ob Dei Voluntatem præceptivam, ea omnia erant religiose observanda. Hisce nihil omnino in cultu Dei addendum, primi istius fundamenti est quod restat. Atque hæc omnia secundo Decalogi præcepto sunt sancita.

Cum autem proni sint superbi homunciones proprii cordis figmenta speciosis prætextibus delinita, σοφίας præsertim, ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ positæ, in cultum religiosum inferre, quod omnium seculorum experientia testatur, ut hanc Theologiæ novæ partem inviolabilem prorsus & sacram in posterum præstaret, eam horrenda illorum qui primi ab eius imperio defecerunt pænâ Deus firmavit & stabilivit. Postquam enim ipse ignem è cælo in Altare, Spiritus Sancti Typum & Emblema dimiserat; & Filii summi Sacerdotis ad mentem ejus non advertentes

igne alieno in ſacris uſi eſſent, illico quod nomen Dei non rite ſanctificaſſent, ipſi igne ſunt abſumpti. Atque hoc primum eſt in Theologiæ ampliatione hâc Moſaica, veritatis divinæ fundamentum, quod æternitati ſolenniter conſecratur.

Juſtitiam, coram Deo Acceptationem, à peccatis Liberationem, Salutem denuò æternam, non niſi ex mera Gratia, per ſemen promiſſum eſſe expectanda proximo in loco indicavit hæc Theologia. Promittitur nempe pacis Deum inter atque homines Internuntius, qui per ſui Sacrificium æternam nacturus eſſet Redemptionem, & peccatores Deo reconciliaturus. Ei in ſolidū aſcribendā eſſe omnē apud Deum Gratiam docuit. Salutare itaque illud Theologiæ ſupernaturalis, ſeu peccatorum Deo reconciliandorum fundamentum, quod primi promiſſi datione, deinde fœderis cum Noacho renovatione, obſcurius paulo erat editum, Abrahamo vero clarius expoſitum, nunc palam & apertè explicatur. In eo autem continentur eximia hæc novæ Theologiæ Dogmata.

1. *Theologos iſtos qui veritatis hujus Cœleſtis luce nunc donati fuere, in ſe quidem miſerrimos fuiſſe peccatores, perditos, maledictos, iræ non minus quam alii Filios, neque eis meliores quos in hac Gratiæ ſuæ patefactione Deo præterire placuerit.* Hoc quicquid eſt miſeriæ ſpiritualis novos hoſce Theologos Deus ſolenniter agnoſcere & confiteri adegit, quo acrior & firmior ejus ſenſus in corda & conſcientias eorum penetraret. Deut. 26. v. 5. *Proteſtaberis dicens coram Jehova Deo tuo, Syrus miſer erat Pater meus.*

2. *Privilegia Spiritualia quæcunque vel ipſi vel eorum progenitores obtinuerunt, beneficia inſuper ſingularia quorum erant facti participes, omnia ex mera Dei gratia, abſque ullo operum aut officiorum eorum intuitu, eis contigiſſe.* Inſignis præ aliis in eum finem locus eſt qui habetur Deut. cap. 9. v. 4, 5, 6. cui addi poſſunt; cap 7. v. 6, 7, 8, 9. & cap 10. v. 5.

3. *Quamvis Deus inennarrabile Verbi ſui Beneficium apud eos collocaſſet, ſe tamen uſque adeo viribus Spiritualibus fuiſſe deſtitutos, ut niſi ipſe Gratiâ ſuâ efficaci & Vorticordia adhæc eis ſubvenire dignaretur, nequicquam eo ſe uſuros, quod quidem ad Deo placendum; & Salutem æternam obtinendam attinet, Deut.* cap. 29. v. 4. cap 30. v 6.

4. *Reconciliationem, peccatorum Expiationem, & Remiſſionem, per Sacrificium Sanguineum procurari & fieri debere.* Id nulla non inſtituta docuere; ſolenne præſertim illud ſacrificii Die Expiationis quotannis offerendi, Levit. cap. 16. Inde illud Apoſtoli. Heb. cap. 9. v. 22. *σχεδὸν ἐν αἵματι πάντα καθαρίζεται κατὰ τὸν νόμον, καὶ χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις.*

5. *Nulla*

5. *Nulla Animalium brutorum Sacrificia per se idonea aut paria fuisse tollendo peccato, ita ut perfecte ab eorum reatu liber evaderet, qui per ea ad Deum accedere, atque favorem ejus expectare velit*; ideoque ea omnia in hunc finem instituta fuisse ut præstantius aliud sacrificium præfigurarent. Hinc ideo evenit quod cum Theologi veri Sacrificiorum horum usus cognitionem amisissent, fidemque adeo in Messiam venturum decoxissent, nullubi securi aut à conscientiæ stimulis, legisve execrationis sensu liberi, in horrendam Idololatriam sunt prolapsi. Mic. cap. 6. v. 6,7,8.

6. *Summum Pontificem in persona sua totius populi peccata laturum omnia*; Exod. cap. 28. v.28. Atque hæc secundo illo Fundamento contenta fuere.

Tertii Fundamenti loco docuit hæc Theologia, *Omnes hasce cultus Religiosi institutiones, utcunque præcellentes & Gloria plenas, quorum Beneficii qui forent participes, eximium & ultra aliorum omnium sortem, honorem assequerentur, ad præstitutum tempus tantum duraturas, atque certam habuisse periodum præscriptam, ultra quam nemini eis adhærere fas esset.* Nempe venturum illum tandem cui omnia erant reposita, Legislatoris Authoritate instructum, qui Dei voluntatem perfectissimè annuntiaret, cujus verbo sub pænâ exterminationis ex populo Dei, dicto obedientes esse omnes tenerentur; Deut. cap. 18. v. 16,17,18,19.

Horum principiorum luce & ope, magnum illud Fundamentum, Lapis Angularis, Jesus Christus, Semen Adæ promissum atque Abrahæ, locum suum occupavit in Ecclesia ista Izraelitica. Atque hinc emanavit Gloria Ecclesiæ illius, & Dignitas, Deo insuper eam novis beneficiis auctam & cumulatam reddente, qua Typus illustrior, Gloriæ præcellentioris, & magis spiritualiter administrandi regni Christi, evaderet, 2 Cor. cap. 3. Negari equidem haud potest multos Theologorum præ nimio amore & admiratione carnalis istius Gloriæ, quæ cultum Ceremonialem comitata est, impeditos fuisse ne in finem abolendorum prospicerent. At vero fideles omnes, exinde desiderio eis fruendi, quæ per totum illud Sanctissimum Choragium præfigurabantur flagravisse æque certum est. Verum singulare illud quod Ecclesiam istam Doctrina quam paucis exposuimus imbutam, institutamque, gloriosam & Deo charam reddidit, Sanctitas illa erat seu Salutaris cum ipso Deo Communio, quam membra ejus plurima coluerunt. Multorum quidem fides & Obedientia à Spiritu Sancto memoriæ æternæ consecrantur, ut nobis documento essent & consolationi. Plurimi autem alii fuere quorum nomina nobis ignota, in libro Vitæ scripta sunt, qui hujus Theologiæ luce & ductu freti, in

omni

omni sancta obedientia coram Deo jugè ambulabant, pacis internæ & consolationum Spiritus Sancti plenissimi.

Postquam autem Deus in ipsa Ecclesiæ hujus fundatione per Revelationes Legislatori factas principia ista Theologica quæ recensuimus fidei ejus concredidisset, quo meliùs ab oblivione vindicarentur, & efficacius inculcarentur rebelli populo, quovis pæne seculo ultra ordinarium *Sacerdotum* & Levitarum ministerium, Prophetas extra ordinem excitavit, qui partim viva voce, partim scriptis θεοπνεύστοις principia ista elucidarent, & populum ut ad eorum normam cultum religiosum & vitam instituerent, exhortarentur. Quâ enim Verbo Dei honorem suum, adeoque Deo ipsi Authoritatem sartam tectam conservarent, qua Justitiam & Remissionem peccatorum per Christum venturum prædicarent, & Ecclesiam Gloriæ spiritualis per Messiam introducendæ spe & expectatione sustentarent, operam suam omnem prout ex scriptis eorum patet, navarunt Prophetæ.







LIBER QUINTUS.

DE

Theologiæ Mosaicæ Corruptione & Reparatione Solenni; Deq; ejus abolitione.

CAPUT PRIMUM.

Ecclesiæ ante & post Reformationem duratio. Ecclesiarum reformatarum status. Ecclesiæ Judaicæ defectio duplex. Prima partialis. Ejus natura. Primi fundamenti Theologiæ Mosaicæ Abnegatio. Cultus superstitiosus inde emanans. Is duplex respectu objecti cultus & mediorum.

CUltus hujus Mosaici, quamvis æternus non esset futurus, permanens tamen & magis erat stabilis, quàm per eum τῶν προσερχομένων ad Deum conditio. Quemadmodùm enim omnes alios à jactis mundi fundamentis, temporis decursu, à primæva institutione divina, & Theologiæ principiis quibus instructi erant, defecisse comperimus; ita gentem hanc novam Theologorum videbimus se implicasse ejusdem iiscum sceleris communione. Judaicæ autem Ecclesiæ *Theologiâ* hâc utentis duplex erat defectio; *partialis*, gratia Dei instauratione resarcienda; & *finalis*, quam scilicet exceptura erat ultima pæna in Gentis πανωλεθείᾳ. Cùm autem ea Ecclesia in duas partes olim divisa esset, ista quæ *decem Tribus* amplexa est, illâ alterâ quæ cultus Dei solennis sedem ab ipso Deo præscriptam sortita est, citius in utramque inivit, adeoq; ruinam perpetuam.

A veritate autem divinâ tribus istis fundamentis *Theologicis* quæ superius exposuimus exhibita, defectione aliquali, initium sui posuit Ecclesiæ Judaicæ Apostasia. Et accessit, uti fieri solet, morum corruptio. ubicunq; enim se contemptus veritatis divinæ scelere homines astringunt, illico se præbent aliorum omnium criminum etiam affines. Necessum enim est, ut pessùm eant hominum mores, ubi spreta jacet omnis veræ obedientiæ norma & fundamentum,

Apostasiæ *partialis* nomine recenseo, errores omnes, superstitiones, Idololatrias aliaq; scelera, quorum à prima institutione variis temporibus usq; ad captivitatem Babylonicam conscius erat populus Judaicus. Ab institutione autem *Sinaica* in captivitatem istam, impleverat ea Ecclesia Annum *septimum supra millesimum*; Instaurata vero à populo reduce intra annum *Sexcentesimum* internecione deleta est. Ita plerumq; est, ut cùm nulla *Reformatio Ecclesiastica* πρωτότυπον perfectê expresserit, ita nulla unquam Ecclesia in statu Reformato originariæ constitutionis durationem, æquavisse invenietur. Vereor ne exemplo est possint in Europâ *Ecclesiæ Reformatæ*. Eas Ecclesiarum Apostolicarum perfectionem nunquam fuisse assequutas confitemur, & dolemus omnes. Rebus enim terrenis plurimis impeditæ, se ex earum laqueis hactenus vix felicitèr expedire potuerunt. Multa ideo sunt quæ metum mihi incutiunt nè in tantum temporis spatium, ea sanctitate & puritate quas gratiosè adeptæ fuerunt ornatæ continuarentur, quantum permensæ sunt Ecclesiæ istæ primæ quas tamen defecisse novimus. Ejus metus, causas rationesq; forsan alibi explicabimus. Illud quod diximus constat; Gentium Nationumq; negotiis & conditionibus politicis mistæ, seculi mores, corruptelas, sordes procul satis à se amandare nunquam potuerunt. Inde jam jam quibusdam in locis non ita pridem veritate divina illustratis, eo confusionis deventum est, ut vix restet facies aliqua *Ecclesiæ Evangelicæ*; Eis vero quibus Deo gratiosè ita disponente, ætatem sub crucis disciplinâ agere contigit, exitio pæne dudum fuere magnates, nobilium & heroicorum parentum filii nepotesq; degeneres, qui honoribus & opibus seculi avidissimè inhiantes, turpissima à veritatis divinæ professione defectione, plurimos secum æternùm perire coegerunt. Vereor ne nimis verè dicam;

Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Sed è diverticulo. Respexit defectio hæc *partialis* tria ista *fundamenta Theologiæ Mosaicæ* supra memorata. Primum docuit omnimodam sacrarum Scripturarum plenitudinem & perfectionem. Id aliquoties vel oblivioni dederunt, vel reputarunt nihili. Ex eo scelere manavit omnis infamis ille cultus superstitiosus & arbitrarius, toties eo nomine à spiritu Sancto gravissimè increpatus. Hinc enim fas sibi & licitum arbitrati sunt, ea excogitare quæ ad cultum Dei promovendum ipsi vanissimè censerent facere; quasi scilicet ad illorum arbitrium & libidinem

nem fingenda esset Dei gloria. Eâdem insaniâ furit adhuc Christianus orbis. Huic autem errori pernitiosissimo evellendo adhibuit Deus ministerium extraordinarium Prophetarum. Utq; fundamento isti cultus sui quod nequitèr convellebant, immota sua constaret autoritas, quamvis non defuerint, uti nobis forsan videantur,graviora quæ in populum diceret Idololatricum, ea tamen præcipuè eos premit impietatis aggravatione, quod illa in cultu religioso observarent, *quæ ipse non præceperat, neq; in cor ejus ascenderant.* Jerem.1. v.31. cap.19. v.4.5.

Bifariam autem à *principio isto Theologico* defecerunt Apostatæ; primo scilicet respectu *objecti* cultus, deinde *mediorum.* Etenim, ut id primo loco dicam, *Deos alienos* præter Deum verum, cum eo, sine eo, post eum sibi colendos adsciverunt. Omnis autem Idolorum seu Deorum alienorum cultus, vel tacitam vel expressam habet Dei veri abnegationem conjunctam. Utcunq; enim nomen ejus obtendant Idololatræ, Ille non vult esse, ex Deorum numero. Cum autem præcipua pars defectionis initialis horum Theologorum in cultus hujus extranei scelere constiterit, non abs instituto nostro videatur alienum, si Idola ipsa, quæ Dei vivi loco coluit populus superstitionibus ad miraculum usque obnoxius, paucis recenseam; postquam nonnulla dixerim, quæ sunt necessariò præmittenda.

CAP. II.

Omnium Gentium idola Izraelitis culta. Geographiæ antiquæ Izraeliticæ Breviarium. Quænam Gentes illis notæ fuere. Chaldæa. Mesapotamia. Ægyptus. Arabia. Phœnicia. Syria. Cananæa. Idola earum Gentium. Cultus superstitiosi, modi & media.

SÆpissimè Deus per Prophetas conqueritur, populum suum omnium ubivis Gentium Deos, se posthabito nefariè coluisse. Id autem de Gentibus,iis cognitis, intelligi debere constat; & ipse sensum suum ita exponit spiritus Sanctus; 2 Reg. cap. 17. v. 15. *sectati sunt*, inquit, *Gentes circumstantes ipsos.* Quænam istæ fuerint, & quousq; se extenderit antiquissima Geographia sacra, in antecessum summatim exprimere placet. Oriundus erat Abraham ex *VR Chaldeorum.* Chaldæa à Septentrione habet Mesopotamiam Euphratem attingentem, ab oriente Susianum ad Tyrim; à Meridie Sinum persicum, & ab occasu Arabiam d-

sertam. Nulla Regio erat quam notiorem habuerunt, præsertim cum caput esset Imperii Assyriaci.

E Chaldea flumine Deo jubente trajecto, in *Aram Naharaim*, seu Mesopotamiam concessit idem Abrahamus. Regio à situ inter fluvios celeberrimos notissima, atq; multas ob causas Israelitis familiaris. Inde olim *uxores* Jacobus duxerat; atque proinde Gens ista populi stirps altera, ad cujus etiam confinia, extenderunt se quondam Imperii Davidici pomæria. Ægyptum Mitsraim appellarunt, à Chami filio, qui terram istam statim à dispersione Babylonica occupavit. Eam illos ignorare non sivit longa dum Gens conderetur servitus, neque postea imperio vicinitas, aut commercium.

Arabiam generatim *Ereb* appellarunt; Desertam *Kedar*; Felicem *Seba*, Petræam *Aram Soba*. In ea Ammonitæ, Moabitæ, Midianitæ, Idumæi, à communi stirpium origine, ceterique incolæ à vicinitate, & bellis quæ adversus eos gesserunt, probe iis cognitæ fuerunt. Mare mediterraneum illis erat mare magnum; mare occidentale; & quicquid terrarum ultra illud situm erat Tharsym vocabant, quamvis LXX varie eam vocem reddunt; & nominatim 1 Reg. 10. 7. Καρχηδὼν.

In Terra Cananæa Gentium omnium tum quæ ab ipsis bello aut subactæ aut deletæ fuerunt, tum quæ Cladi isti superstites suo jure usæ sunt, cognitio iis perfamiliaris. Phœniciam inde totam cum ea *Syriæ* parte quæ Arabiæ est contermina, quæq; *Cæle* dicitur, quam ab Arabia petræa vix distinxerunt, iis innotuisse ex sacris constat Historiis. Persas seu Elamitas non nisi sero cognoverunt, idque obscurè admodum. Cum autem gentium commercium iis interdictum fuerit, neque Navigatione uterentur, nisi parcè admodum & uno aut altero seculo, reliquas orbis terrarum Regiones eis fuisse incognitas, mirum non est; sicut & ipsi plurimis ignoti. Indiam forsan Orientalem nomine Ophiris, totam Europam Cethim, Græciam Phobel, Joniam Javan, Media Madai, Lydia Lud. Africam Put, Æthiopiam Lud; Hispaniam Cepharad, Galliam Sarphath, indigitabant. At Regionum harum omnium ad eos pervenit tenuis tantum & obscura fama, ita ut illos penitus latuerit quibus earum populi moribus vixerint, quósque Deos coluerint. Hellenismi itaque seu superstitionis Europeæ ignari, Orientalium Gentium Deos, seu Idola ut noverunt, ita sibi adoranda & colenda elegerunt. Etenim Chaldæi eis Solis cultus autores fuere; Teraphim devenerunt è Mesopotamia; Ægypto debuerunt vitulos. In Scelus Belphehorium ducti erant Moabitarum & Midianitarum consiliis. Molech erat Idolum Ammonitarum: Tyrii Baalis cultum multiformem eos docuerunt; Cum Philisthæis

listhæis Belzebub honore religioso prosecuti sunt; Astarthis seu Reginæ cœli sacra, Syrorum dolis illaqueati didicerunt; Diis Damascenis innominatis sacrificavit Rex Achaz; & cum Persis aliisve *Thammuz* lugere cæperunt. Atque hæc verum sensum locorum plurimorum apud Prophetas, Jeremiam præsertim, Hoseam, Amosum & Ezekielem, quibus Deus conqueritur populum suum cum omnibus nationibus Adulterio spirituali se polluisse, in lucem efferunt.

Porro! Ritus omnes Superstitiosos, quibus Gentes istæ in Idolorum cultu usæ fuerunt, utcunq; ridiculi, pudendi, spurci, abominandi supra quod dici aut fingi potest, iis ipsis Idolis famulantes, usurparunt. *Soli* Equos sacrificabant cum Chaldæis & Persis; *Vitulum* Eremiticum saltationibus coluerunt & comessationibus, prorsus ut Egyptii Apim. Ammonitas,& Tyrios in *filiorum filiarumq; immolatione* imitati sunt. Libationes Syriacas Astarthæ factas,vino & placentis quas obtulerunt *Reginæ Cæli*, expresserunt. Verbo dicam; nil tam ineptum aut ridiculum, nil tam infandum aut sceleste, nil tam obscænum aut stercoreum ab ineptissimis & maledictis Idololatris usquam excogitatum erat, seu verius à tenebrarum principe eis suggestum, quin illud prætulerint cultui Dei vivi sanctissimo castissimoq;.

CAP. III.

Dii falsi quomodo Appellativè vocantur in Scripturis. לא אלהים. אלילים. *Apud LXX.* Χειροποίητα. βδελύγματα. εἴδωλα κωφά. θεοί. ἀγάλματα. δαιμόνια. οἰωνίσματα. μάταια. אליל *unde Respectu Efficaciæ* אונים. שקרים. מתים *Effectuum in conscientiis superstitiosorum.* עצבים. צירים. תהה. הבלים. *Materiæ.* עצ. אלהי אבז. אלהי זהב אלהי כסף. *Formæ externæ.* צלמים. סמל. *Materiæ & formæ aspectabilis.* מסלים. אלהי מסכה. *Dei veri & Populi fæderati.* אלהים אחרים. אלהים נכרים *Cultorum;* אלהי העמים. *Rationum peculiarium.* אלהי בעבר הנהר. אלהים תרפים. חמנים. חרשים. *Reatus Idololatrici.* שקצים. *per contemptum* גלולים. *omnium rationes indicantur.*

IDola, seu Deot falsos Vetus Testamentum aliquoties communitèr seu appellativè exprimit; est & ubi eos propriis nominibus singulatim distinguit. Communiter autem ob varias rationes variè vocantur. Ejus varietatis lubet specimen subjicere.

Primo

Primo ſecundum rei veritatem dicuntur לא אלהים Dii qui, non ſunt Dii. 2 Chron. cap. 13. 9. *Qui venit ad ſe conſecrandum, erit Sacerdos* ללא אלהים *non diis*; hoc eſt Diis falſis, qui nihil minus ſunt quam Deus. Et אלהים לא אלהים. Jerem. cap. 2. v. 11. *num mutavit Gens* אלהים והמה לא אלהים, *Deos & ipſi non Dii*; ſeu Deos, qui non ſunt Dii. Eadem verba repetuntur cap. 16. v. 20. *numquid homo faciet ſibi Deos, & ipſi non Dii.* Hi ſunt iſti λεγόμενοι θεοὶ de quibus Apoſtolus 1 ad Cor. cap. 8. v. 5. Qui ſcilicet à multis nefariè Dii dicuntur, ſed non ſunt; hoc eſt non ſunt uti alibi loquitur, Gal. cap. 4. φύσει θεοὶ, ſed tantum κατὰ δόξαν & putative.

Deinde reſpectu Efficaciæ & Eventus variè vocantur. Ut (1) אלילים. Levit. cap. 26. v. 1. non facietis vobis אלילים Vicies aut eo circiter occurit iſtud vocabulum Idolis applicatum. LXX varie vertunt. Loco prædicto per χειροποίητα; manufacta; *Dii hominum manibus fabrefacti*: Iſa: cap. 2. v. 8. βδελύγματα, abominationes, aut, abominanda; ac eodem modo Ezek. cap. 30. v. 13. Levit. cap. 19. v. 4. εἴδωλα; & Habak. cap. 2. v. 18. εἴδωλα κωφὰ. *Idola*, & *Idola muta*. Etiam *Pſal.* 97. 7. γλυπτὰ, ſeu *ſculptilia*. Iſai. cap. 19. v. 3. θεοὶ habent, & ἀγάλματα; *Dii & Simulacra.* Pſal. 95. v. 5. δαιμόνια; *dæmonia.* Jerem cap. 14. v. 14. οἰωνίσματα ſeu *auguria.* Zechar. cap. 11. v. 17. μάταια. *vana*; Quo loco ſolo vocabuli ſenſum reddunt. אליל autem dici poteſt quaſi אל אל, non Deus; quicquid ſit, Deus non eſt. At rectius deducitur ab, אלל; vanum; *res nihili*; quale revera Idolum eſt. Inde Apoſtolus, 1 ad Cor. cap. 8. v. 4. οἴδαμεν ὅτι εἴδωλον οὐδὲν ἐν κόσμῳ. *Novimus Idolum nihil eſſe in mundo*; hoc eſt virtute aut efficacia, nihil omnino poſſe. Inde אלילים dicti dii falſi; hoc eſt vani, nihili; Atque Apoſtolus omnes Deos Gentium μάταια vocat; hoc eſt אלילים Actor. cap. 14. v. 15. Noſtrates ubique pæne verbum hoc vertunt, *Idolis.*

Eodem reſpectu אונים dicuntur. Iſa: 66. v. 3. ut Benedicens און. noſtrates; As he that bleſſeth an Idoll. LXX. ὡς βλάσφημος. Deo enim maledicit; qui benedicit Idolo. Idem verbum Hoſ. 6. v. 8. Amoſ. 1. v. 5. Hieronymus *Idolum* vertit. Ipſa vox propriè mendacium ſignificat, & Laborem cum fatigatione; iniquitatem etiam & vanitatem; quæ omnia quaſi conſpirant in Idolorum cultu. Ipſa enim mendacia ſunt, hoc eſt falſa dicunt, cum cultores ſuos, vel potius ipſi ſe, vana ſpe ludant; quique ſe in cultu ullo ſuperſtitioſo fatigant, vanitatem præter & miſeriam, nihil omnino ſunt reportaturi.

Ob eaſdem rationes, reſpectu ſcilicet efficaciæ & eventus שקרים, *mendaces*, aut *mendacia* dicuntur. Iſa: cap. 44. v. 20. *nonne* שקר (LXX ψεῦδος)

ſo) in manu mea; Id eſt Idolum quod mihi inſtar mendacii erit, nequidquam eorum præſtans quæ promittere videtur. Hoſ. cap. 7. v. 1. Operati ſunt שקר mendacium; Hieron. *Idolum.*

Atq; hinc etiam מתים *mortui* dicuntur. Pſal. 106. v. 23. *Adjuncti ſunt Baal-peor & commederunt ſacrificia* מתים. Sacrificia mortuorum; eſt Genetivus objecti; ſacrificia quæ mortuis offerebantur; hoc eſt Diis qui auxilium præbere nulli poſſunt, ſed ſunt plane quaſi res mortua vana, & inutilis, è quâ aliquid auxilii aut ſolatii expectare non niſi extremæ eſt dementiæ. Itaque in oppoſitione ad omnes deos Gentium, Paulus dicit ſignanter ſe ſperaſſe ἐπὶ θεῷ ζῶντι. 1 ad Timoth. cap. 4. v. 10.

Tertio, reſpectu effectuum quos in conſcientias & mentes ſuperſtitioſorum habet cultus à Deo vero non inſtitutus, atque eventus finalis omnis Idololatriæ; varie etiam vocantur.

Eo reſpectu, dicuntur עצבים, dolores & moleſtiæ; ſumma enim ſolicitudine in cultu arbitrario occupati, præter ſummos dolores & anxietates nihil aſſequuntur δεισιδαίμονες. 2 Sam. cap. 5. v. 21. & Philiſtæi reliquerunt ibi עצביהם *dolores ſuos.* LXX τοὺς θεοὺς; *Deos.* Noſtrates Their Images. 1 Sam. cap. 31. v. 9. annuntiarunt in domo עצביהם. Of their Idolls. LXX. τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν; & pluribus aliis in locis vertunt per εἴδωλα· aliquando per γλυπτὰ ut Iſa: cad. 46. v. 1. Pſal. 105. v. 23. Etenim עצב ſignificat etiam *formare*, vel *complanare*, ut Job. cap. 10 v. 8. manus tuæ עצבוני *figurarunt vel formaverunt me.* Atque ita à complanatione & formatione ſimulacra עצבים dici poſſe videntur; atque iccirco per γλυπτὰ reddi. Ita etiam ſculptas Sanctorum imagines apud Chriſtianos appellant Rabbini. Sed vocis origo eſt עצב, imo ipſa vox eſt, quæ uſurpatur; hoc eſt *dolor* & *triſtitia*; nihil enim ſimulacra præter laborem, & dolorem, ſeu conſcientiæ anxietatem ſummam, cum iræ divinæ ſenſu adferunt cultoribus ſuis.

Ob eandem rationem צירים dicuntur hoc eſt *tormina.* Iſa. 45. cap. v. 16. *abierunt cum pudore artifices* צירים. Jun. *fabri imaginum.* noſtrat. the makers of Idolls. Vulgat. *Fabricatores Errorum.* LXX. ἐγκαινίζεσθε πρός με νῆσοι, *innovamini ad me Inſulæ*; prorſus extra oleas. Eos ſequitur Arabs. Omittunt autem quæ ſunt in Textu, atque ea addunt, quæ nullatenus indicantur. Verbum proprie ſignificat *parturientium tormina.* Eorum ſimilibus hominum conſcientias afficere & affligere ſuperſtitionem teſtatur propheta: Mic: cap. 6. v. 7.

Eodem etiam reſpectu vocantur תהו, hoc eſt *indigeſtum quid & Confuſum*, etiam deſolatio, vaſtatio, ſolitudo. Omnis enim cultus religioſus

giosus extra ordinationem divinam institutus, hominum conscientias quas excolere & confirmare deberet, vastat, & confundit; 1 Sam. cap. 12. v. 21. *Et ne declinate post* תהוי *quæ non proderunt neque erunt quia* תהו המה. LXX. οὐδὲν εἰσι *nihil sunt*; עמל etiam dici aliqui arbitrantur. Numeror: cap. 23. v. 21.

Ejusdem effectus causa & respectu eventus etiam nominantur הבלים; *vanitates*: Jerem: cap 14. v. 22. & cap. 8. v. 19. cap. 10. v. 8. *numquid* sunt בהבלי הגוים *in vanitatibus Gentium pluviæ*. LXX. μὴ ἔστιν ἐν εἰδώλοις τῶν ἐθνῶν ὑετίζων. Vid. Deut. cap. 32. v. 21.

Respectu materiæ objectorum cultus immediatorum, variè etiam nuncupantur. Inde & per contemptum nominantur עץ seu lignum: Hos. cap. 4. v. 12. *Populus meus postulat* בעצו *à ligno suo*; & Jerem: cap. 10. v. 8. Quicquid falso sibi imaginentur Idololatræ, dii sui *lignum* sunt, & præterea nihil. Etiam אלהי אבן; *dii lapidis*, seu lapidei. Deut. 4. 28. servietis diis עץ ואבן. Etiam אלהי כסף *Dii argenti*, seu argentei; & אלהי זהב *Dii auri*, seu aurei, hoc est ex argento vel auro compositi & conflati. Exod. cap. 20. v. 23. Et unus vitulus Aaronicus vocatur אלהי זהב *Dii auri* Exod. cap. 33. v. 2.

A forma etiam externa varie appellantur. Frequentissime צלמים; *imagines*, *similitudines*: Numeror: cap. 33. v: 52. perdetis צלמים; LXX εἴδωλα. & similiter 2 Chron: cap. 23. v. 17, Nostrates ubivis Images. Ad formam etiam refertur סמל; frequenter occurrit cum פסל, quæ vox proprie *sculptile* significat. Deut 4. v: 16. *ne forte corrumpamini & faciatis vobis* פסל *sculptile*, תמונת כל סמל, *imaginem ullius similitudinis*, seu Idoli. LXX. γλυπτὸν ὁμοίωμα, πᾶσαν εἰκόνα.

Materiæ & formæ respectu dicuntur פסלים *sculptilia* פסל enim est imago aut simulacrum dedolatum è lapide, ligno, vel quacunque alia materia: Exod: cap, 20. v. 4. Levit: cap: 26. v: 1. Judic: cap: 18. v. 17. Isa: cap: 42. v: 14. varie vocem hanc vertunt LXX. γλυπτὰ Levit. cap. 26. v: 1. Deut: cap: 4. v: 16. hoc est *sculptilia*. Eodem etiam sensu γλύμματα, *sculpturæ*; Isa: cap: 45. v: 20. εἴδωλα. Exod: cap: 20. v: 4. 2 Chron: cap: 33. v: 22. Etiam ἀγάλματα seu *simulacra*, Isa: cap: 21. v. 9. Et εἰκόνες *imagines*. Isai: cap: 40. v. 18, 20. Et θυμιάματα *Altarium septa*, 2 Chron: cap: 34. v: 3. nostrates constanter Graben Images. Eo nomine Rabbini plerunque vocant imagines quas Christiani quidam faciunt ut adorent. Inde פסל Chaldaicè est profanare, seu profanum reddere; nam ἀγαλματοποιίας nil profanius.

Hinc etiam nuncupantur אלהי מסכה *dii fusionis*; aut fusiles: molten Gods: Exod: cap: 34. v: 17. *non facies tibi*; molten Gods. Et est quæ

omnia

omnia hæc continet deſcriptio; Deut. c.4.v.28. אלהים מעשה ידי אדם. *Dii opus manuum hominis.*

Dei veri reſpectu & populi ſui fœderati nuncupantur אלהים אחרים, *Dii alii* Exod: cap:20. v:3. Qui, quia verus iſte Deus non ſunt, revera dii non ſunt; quales populus iſte fœderatus admittere non debuerat. Et eodem ſenſu אלהים נכרים; *Dii alieni* ſeu externi, & זרים; pluribus in locis.

Denominatione à cultoribus accepta, vocantur אלהי העמים Deut: cap: 13. v: 7. *Dii populorum*; a Deo vero ejuſque fœdere & cultu rejectorum; ob quam etiam cauſam Joſh: cap: 24. v. 14. dicuntur, אלהי בעבר הנהר *Dii transfluviales*; quos Chaldæi ſcilicet venerati ſunt.

A rationibus peculiaribus, ſeu uſu peculiari imaginario, nonnulla nomina ſortita ſunt Idola.

Ejus generis eſt חמנים. *non ſtabunt luci &* חמנים Iſa: cap: 27. v 9. LXX εἴδωλα, noſtrat. Images. Et Levit: cap: 26. v. 30. diſſipabo excelſa veſtra, & ſuccidam את-חמניכם. LXX; τὰ ξύλινα χειροποίητα ὑμῶν. Et Iſa: cap: 17. v. 8. non reſpiciet החמנים; LXX: τὰ βδελύγματα; *abominationes.* Ita dicta videntur à חמה; ſeu ſole, qui à חם ſeu calore eo nomine vocatur. Unde noſtrates quotieſcunque verbum hoc occurrit addunt in margine, Sun Images: quamvis & alia vocis originatio reddi poſſit; & aliquoties ſimpliciter ſignificet *ſimulacra.*

Ejuſdem generis eſt תרפים. Vocis Etymon ignoratur. Falluntur quia רפה deducunt. Gentilitia videtur, ſeu peregrina. Plura de ea dicemus in nominibus Idolorum propriis. LXX ſæpius ipſam vocem retinent. Ut; Judic: cap: 17. v: 5. & cap: 18. v. 14, 17. 1 Sam: cap: 15. v. 23. Aliquando vertunt per εἴδωλα, ut Gen: cap: 31. v. 19. cap: 34. v. 35. Et κενοτάφια, ſeu *vana ſimulacra* ut 1 Sam: cap: 19. v. 13. Etiam γλυπτὰ ſeu *ſculptilia* Ezek. cap: 21. v. 21. Et ἀποφθεγγόμενοι ſeu *loquentes* Zechar. cap: 10. v. 2. ob rationes mox exponendas; noſtrates vel Teraphim retinent, ut Hoſ: cap: 3. v. 4. vel reddunt per Images; voce Teraphim ubivis in margine notata.

Etiam & אלהים חדשים; *novi dii*; Judic: cap: 5. v: 8. *elegit* populus *novos Deos,* terræ fungos, qui nudius tertius neutiquam extiterunt; vid: cap: 10. v. 14.

Deinde ab Idololatriæ natura, & merito, Idola frequenter dicuntur שקצים Abominationes. 2 Reg: cap: 23. v: 24. *Expurgavit Joſia omnia Idola* ואת כל-השקצים *& omnes abominationes* LXX προσοχθίσματα; *deteſtationes*: res deteſtabiles, execrabiles. 1 Reg:

 cap.

cap. 11. v. 5. Milcom dicitur שקץ *Ammonitarum*; & Chemosh שקץ *Moabitarum*; & Molec שקץ filiorum Ammon. LXX ubivis εἴδωλον. vid. Ezek. cap. 20. v. 24. Zech. cap. 9. v. 7. Jerem. cap. 4. v. 1. cap. 33. v. 34 Isa. cap. 66. v. 3.

Denique per summum contemptum גלולים dicuntur, hoc est, *sordes, stercora, volutabra*. Ezech. cap. 22. v. 3. *fecit adversum se* גלולים *ad polluendum se*; Deos stercoreos. Levit. cap. 26. v. 30. Deut. cap. 29. v. 17. גלל *stercus est*; Job: cap: 20. v: 7. Ezek. cap: 4. v. 12. 15. Inde Diis Gentium nomen inditum, cum honestius haud mereantur.

Hisce præmissis pergamus jam ad omnia illa Idola eo ordine quo in sacris literis memorantur recensenda, quæ ante captivitatem Babylonicam coluit, aut totus populus, aut talis saltem populi pars, cujus defectio, toti justissimè imputaretur.

CAP. IV.

Primus Deus extraneus Israelitis cultus Baalpeor seu Belphegor. Is Idolum Moabiticum. In ejus cultu Izraelitis à Midianitis Balamo instructore insidiæ structæ. Pehor nomen unde. פער. *Baal peor an Priapus. Obscæna quæ vulgo dicuntur in hujus Idoli cultu adhibita. Sacrificia Mortuorum. Mons Moabiticus Pehor dictus. Baal inde Pehorius.*

PRimus Deus extraneus cujus cultu se polluit populus ex Ægypto redux erat Baal Pehor. Is primum memoratur Numer: cap: 25. v. 3. *Copulavit se Israel Baal pehori.* Iterum Psal. 106. v. 28. *Copulaverunt se etiam Bahal pehor, & comederunt sacrificia mortuorum.* Et Hos. cap. 9. v: 10. *Venerunt ad Baal pehorem, & seperarunt se pudendo.* Simpliciter etiam *Pehor* dicitur, Numeror: cap: 25. v: 18. *Machinati sunt contra vos in negotio Pehoris.* Et Jehosh. cap: 22. v. 17. *Nondum purificavimus nos ipsos, ab iniquitate Pehoris.*

Idolum autem erat Baalpehor *Moabiticum.* Ei tamen una cum Moabitis sacra fecerunt Madianitæ. Illorum enim insidiis adversus Izraelitas ei sacrificantes usi sunt. Isti autem Baalamo instructore. Numeror. cap. 31. v. 15. 16. Et in Novo Testamento, illecebræ ad scortandum, dicuntur *doctrina Balaam*, Apocal: cap: 2. v: 14. Quibus lenociniis & ratiocinationibus Madianitides in fraudem & scelus utriusque adulterii illexerunt Israelitas, refert Josephus Antiq. lib. 4. cap. 5.

Quale

Quale Idolum fuerit plurimum ambigitur. Forsan per contemptum nomen hoc Midianitarum seu Moabitarum abominationi à Spiritu Sancto inditum erat; cum aliter diceretur cultoribus. Nam *Pebor* obscænum quid & sordidum significare plurimi aiunt; vocabulum enim est incertissimæ originis. פער *apperire* significat; etiam *carnes comesas egerere*, Chaldaicè; *nudare* etiam & *retegere*. Hinc vocis originem deducit Bucerus in Psal. 105. Cujus Etymi meminit in eundem locum Calvinus; sed illud amplecti non audet. Rabbini eo vocabulo potissimùm utuntur ubi hujus Idoli mentionem faciunt. פוער עצמו לפני בעל פעור. *retegens se coram Baal pehor*, Tractat. Sarced: fol. 60.

Veterum plerique Baalpehorem Priapum fuisse crediderunt; Ita Hieronymus, in Hos. cap. 9. & contra Jovin. lib. 1. cap. 32. non aliam puto ob causam, quam quia Madianitæ Izraelitas ad stupra illectos, hujus Idoli sacris eodem tempore contaminarunt. Sed nondum natus Priapus; Lampsacenus scilicet Ponticus, qui ob flagitia patriâ pulsus, in Deorum postea numerum relatus est, ob rationes quas referre pudet. Etiam stupra ista ad Idoli sacra non pertinuerunt; cum in ipsis castris Izraeliticis nonnullos in se facinus illud admisisse, probat Zimri & Cosbi notissima ἔνστασις.

A Significatione autem vocis פער & figmento de Priapo ei addito, ansam arripiunt nonnulli in explicandis hujus Idoli mysteriis, istiusmodi obscæna proferendi, quæ animis verecundis & auribus grata esse non possunt; atq; aliis ingeri non debent. Consulatur, si cui lubet, Clâ. Voss: de origin. Idolo: Lib:2.c:1. Uno verbo ita Hebræi. נקרא פעור שפור עין לפניו פי הטבעת ומוציאין ריע Sed etiam aliæ rationes reddi possint cur Idolum nomen sortiretur à פער aperire. Forsan ita dictum erat ab *immenso oris biatu* quo sculpebatur; vel ut Isidorus, quod alii oribus patulis & hiantibus simulacrum intuebantur. Sed probabile nimis est, quod ut Christianis Idolum hoc Priapum fuisse cogitandi ansam præbuerint *stupra Izraelitica*, ita ex vocis significatione occasionem arripuerint Judæi, omnia spurca & obscæna ad cultum ejus referendi.

Adorationi hujus Idoli, adjungitur *esus sacrificiorum mortuorum* Psal. 106. Sacra *Diis manibus* celebrata nonnulli intelligunt. Sed nondum adoleverat ea superstitio, imo vix nata. Idola omnia respectu efficaciæ & virtutis mortua esse, & dici, superius ostendimus. Ex iis Baalpeor hic unus erat; ex sacrificiis ei oblatis comedentes, Deo vivo relicto comederunt sacrificia mortuorum.

Nondum ideo constat quis Deus fuerit iste Bahalpehor. De Baale

 posten

poſtea videbimus; difficultatem omnem parit additamentum Pehor. Ex eo variæ quas retulimus conjecturæ enatæ ſunt. At Pehor erat mons Moabiticus. Numeror. cap: 23. v: 28. *Duxit Balac Balaamum in verticem Pehoris.* In eo monte ædes ſacra extructa erat quæ Beth pehoris dicebatur. Deut. cap: 34. v: 6. Moſes ſepultus dicitur *in valle*, *in terra Moabitarum è regione Beth pehoris*; hoc eſt montis in quo ædes ſacra extructa. Ipſum itaque Idolum ſimpliciter Baal dictum erat; atque ita vocatur abſolutè, Numeror. cap: 22. v: 41. *deduxit Balac Balamum ad excelſa Baalis.* Baal itaque à loco quo colebatur inter Moabitas Baalpehor dicebatur; ita Jupiter Capitolinus, & Olympius dictus; & Virgo Hallenſis aut Lauretana. Atque hanc rationem cognominis adfert Suidas in Βελφέγωρ· Βέελ inquit ὁ Κρόνος, φέγωρ δὲ ὁ τόπος ἐν ᾧ ἐτιμᾶτο. Et Theodoretus in Pſal: 105. Qui autem Pehor à loco cultus abſolutè dictus eſt, ut Capitolinus, Olympius, ſine indice τοῦ Baal; etiam Baal dicitur, ſine adjectione Pehor. Baal Pehor ideo eſt Baal in Monte Pehor cultus. Valeant igitur eruditæ ſordes quas huc congerunt viri docti. Baal ſolus relictus eſt de quo capite proximo nonnulla augurabimur.

CAP. V.

Cultus Baalis. Judic. 2. 11. Ejus cultus progreſſus, regnante Achabo. Programma Jehovæ ejuratorium an portis Samariæ affixum. בעלים *numero multitudinis. Baal an nomen pluribus Idolis commune: omne ſimulacrum Baalis, Baal dictum.* τῇ Βααλ. *Baalzebub. Baal unde ita dictus proprium Idoli nomen apud Idololatras quale. Dominus Muſcæ. nominis ratio. Apollo* σμινθεύς, *Jupiter* μυαγρός. *Templum Hieroſolymitanum à Muſcis neutiquam infeſtum.* Βεελζεβουλ *Dæmoniorum Princeps. Quare ita dicitur.* זבל *ſtercus.* Βεελσαμὴν *Tyrius.* בעל־שמים *dominus Cœli. Baal Berith. Dominus fœderis Berytus urbs Phenicea. Omnes unus Baal.*

PRoximum in defectione Iſraelitica locum occupat ipſe Baal, abſolutè ita dictus; Idolum toto Oriente celeberrimum. Primùm ejus meminit Spiritus Sanctus Judic. cap. 2. v. 11. *Deriliquerunt in Jehovam & ſervierunt ipſi Baal.* Hujus Idoli ſuperſtitione per temporum intervalla polluit ſe populus uſq; ad captivitatem Babylonicam. Regnante Achabo, qui Uxorem Phæniſſam in Idololatriam iſtam inſanientem duxerat,

duxerat, eousq; progressa est ut Deo Israelis putidum Idolum inter decem tribus palam prælatum erat. Imo vix ullus superfuit perspicacissimo Eliæ cognitus, qui atroci eo flagitio vacaret. Quippe invisibile ei erat residuum illud septem millium, ob persecutionis *Jezabeliticæ* furorem latitans, quod Deus sibi servaverat. Achabum programma portis urbis Samariæ Jehovæ ejuratorium, affixissee narrant Rabbini. Sed id judaicum est; hoc est nugatorium & fabulosum: nam & ipsa Jezabel acerrima cultus Baalitici propugnatrix, summum & Ahabiticæ familiæ fatale scelus meditata, Nabothum sustulit legis προφάσει utens, de non blasphemando nomen Jehovæ.

Judic. 2. v. 11. vocatur בעלים numero multitudinis, & sæpe alibi. Hinc nonnulli arbitrantur Baal, non esse Idoli alicujus nomen proprium, sed appellativum, & omnes Deos Syriæ denotare. Imo omnia Gentium simulacra cum sint Domini & Magistri eorum, qui eis serviunt (quæ est nominis notatio) Baalim dici asserunt Hebræi שהם כאדון לעובדיהם. *Cultorum Domini sunt.* Non ideo unius Idoli impiam venerationem, sed superstitionem omnem & cultum arbitrarium, quo quis aliis præter unicum Deum verum in conscientiam suam dominationem concedit, sub Baalis nomine exagitare, censendi sunt Prophetæ.

Sed Judic. cap. 10. v: 6. בעלים Baalim nominatim recensentur, & distinctè à Diis Syriæ, Sydonis, Moabitarum, Ammonitarum & Philistæorum. Etiam versu decimo tertio capitis istius, ubi prima hujus Idoli mentio facta est, singulariter id nomen enuntiatur certum aliquod Idolum designans.

Rectius ideo Baalim dici à simulacrorum multitudine ei Idolo erectorum. Omne enim simulacrum Baalis, erat Baal. Inde Baalim fuere, quamvis is quem respexerunt omnia, unus erat; & Baalim & Baal indiscriminatim usurpantur. Imo eatenus semper ipsa simulacra seu imagines in Baalitico cultu respexit Spiritus sanctus, ut Paulus nomen Baalis genere fæminino usurpet, quo scilicet τὴν εἰκόνα ejus denotaret. Rom. c. 11. v: 4.

Idem etiam erat Baalzebub, Deus Ekron, urbis Phœniceæ ad littus maris propè Azotum. Cum oraculis divinis omnibus destituti essent Izraelitæ, ad eum misit Rex Achazias scitatum an à morbo convalesceret. 2 Reg: cap. 1. v. 2. De ratione additamenti *zebub*, ut de illo *Pehor* varie sunt doctorum conjecturæ. Muscam denotat. Forsan in Idololatrarum opprobrium ἐπίθετον additum est, ut sit Deus qui *Muscas* curaret, vel qui ne Muscas abigere potuerit. Alio nomine apud Philesthæos, fuisse appellatum Idolum censet Scaliger; scilicet בעל־זבחים.

quod est, *sacrificiorum Dominus.* Inde per contemptum levi mutatione בעל־זבוב factum. Communiter ob muscarum multitudinem qui sacrificiorum sanguine allectæ, in Idoli templum confluxerunt, ita dictum esse arbitrantur; nonnulli tamen quod amoliri putaretur perniciosissimas & lethales muscas, quæ incolas agri Ekronitiæ ad littus maris infestabant. Rationem nominis invenire se potuisse apud Hebræos negat Munsterus. At non infrequentia apud Gentes istiusmodi, ἐπίθετα. Sic Apollo inter Phrygios Σμινθεὺς dictus, sive murum. Et apud alios Hercules Κορνοπίων; & Jupiter μύαγρ☉. Consentiunt Judæi, neq; res est improbabilis, Templum Hierosolymitanum speciali beneficio divino muscis fuisse liberatum; quamvis quotidie tantus sacrificiorum numerus cæderetur. Non veri ideo dissimile est, earum infestationem Idolis & Idololatris esse exprobratam.

Nomen autem hoc in Βεελζεβὲλ mutatum, *Dæmoniorum Principi* in Novo Testamento legimus tributum. Cum enim Gentium Dii Dæmonia essent, quæ variis sub prætextibus se eis adoranda in Idolis alio fine consecratis præbuerunt, in aperto ratio est, cur eorum principi assignaretur Idoli istius nomen quod in præcipua erat ubivis veneratione. זבוב vero in זבל mutatum ad majorem Idololatrarum ignominiam. nam Zebel stercus est; quo nomine Deos Gentium vocatos esse superius ostendimus in גלולים. vox ideo ista sonat, *Baal stercoreus:* nam ut à Zebul, habitaculum duceretur, ratio nulla reddi potest.

Apud Tyrios è quibus prodiit omnis cultus hic Baaliticus; Βεελσαμὴν dictum erat hoc Idolum, Teste Sanchuniathone; Hoc est Cæli Dominus. Ita Augustinus, Quæst. lib. 7. qu. 16. *Baal,* inquit, *Punici videntur dicere Dominum; unde Baalsamen quasi Dominum cæli intelliguntur dicere. Samen quippe apud eos cæli appellantur.* Hoc est, בעל שמים cælorum dominus; seu Ζεὺς οὐράνι☉. In hisce omnibus nominibus ideo non aliud habemus Idolum, præter unum Baalem.

Judic: cap: 8. v. 32. & cap: 9. v: 4. Sichemetarum numen dicitur Baalberith; hoc est Dominus fœderis. Izraelitis Deum deserentes fœdus cum Baale inisse, ut esset eis in Deum, arbitrati sunt LXX interpretes. Ita verba vertunt. Ἔθηκαν ἑαυτοῖς τῷ Βάαλ διαθήκην τοῦ εἶναι αὐτοῖς εἰς θεόν. Et Hieronymus, *percusserat cum Baal fœdus ut esset eis in Deum.* Similiter Interpres Chaldaicus habet בעל קיים. Sed capitis noni versus quartus evincit Idolum dictum fuisse Baalberith; atq; ibi vocem istam retinent senes. Conjiciunt ideo alii hunc Deum fuisse Beyttyorum seu incolarum urbis Phœniceæ vicinæ Berytus nuncupatæ, è quibus cultum ejus didicerunt Izraelitæ.

At

At omnes hi Dii uti dictum est unus tantum erant Baal, cujus nomini ex variis occasionibus varia adjecta sunt epitheta.

CAP. VI.

Cultus Baaliticus. Cultus religiosus duplex. moralis, institutus; hujus locum apud superstitiosos arbitrarius occupat. utroque Baal cultus. Fides & spes in eo positæ. Nominis ejus invocatio solennis. Jurare per nomen Baalis. Genuflexio; Adoratio; oscula. Baalis Ædes. Ejus extruendæ occasio. Altaria. Imagines. Luci naturales; artificiales: eorum conficiendorum occasio. Sacerdotes, Cultores Baalis qui. Servi, Sacerdotes, Prophetæ. Chemarim. unde dicti. Vestes Sacerdotales. Summus Sacerdos. Sacrificia. Oleum, mustum, frumentum. suffitus. Juvenici, in eum finem saginati. ἀνθρωποθυσία. Baal quis non nomen Appellativum. Sol. Solus Deus apud Phœnices. Sacrificia Baali. Soli. Solis πολυωνυμία. An Izraelitæ solem in Baale intelligerent.

Restat ut paucis ostendamus quemadmodum Baalem hunc in terra Sancta venerarentur Apostatæ Israelitæ; deinde quis ipse fuerit cujus causa Bellum indixerunt Deo patrio. Cultus omnis divinus vel moralis est aut naturalis, vel ad Dei beneplacitum ab ipso institutus; hujus inter Apostatas locum occupat arbitrarius. Id nos docet in exemplo Jeroboami Spiritus Sanctus; 1 Reg: cap: 12. v: 31, 32, 33. in sacris peragendis fecit, *prout commentus erat animo suo:* Vide 1 Chron. cap: 13. v. 9. Utrumq; Deo ereptum Baali tribuerunt desertores.

Cultum moralem Fides, Spes, Amor, & in omnibus religiosa animæ subjectio absolvunt. Eas animæ affectiones exprimunt, Invocationes, seu preces, vota, & numinis quasi præsentis & omnia videntis & regentis contestationes sacræ & solennes. Etiam simpliciter & pænè naturaliter se exerunt in Genuflexionibus, corporis Prostrationibus, Adorationibus, aliisq; similibus externis sensus animi indiciis. His autem omnibus Baali honorem religiosum persolverunt Idolatræ.

Fidem & Spem in eo collocasse, testatum fecerunt per *nominis ejus invocationem* solennem. 1 Reg: cap: 18. v: 26. יקראו בשם הבעל *invocaverunt in nomine Baal.* dicendo scilicet, *Baal exaudi nos.* Atque eum pro Deo illos elegisse ostendit Elias, optione ista quam populo permisit, utrum sequerentur Jehovam an Baalem. v. 21. Deinde *per nomen ejus jurarunt*

rarunt, quo eum Deum præsentissimum, καρδιογνώστην omniumq; actionum moderatorem summum statuerunt. Jerem: cap. 12. v. 16. *docuerunt populum meum jurare in Baal*; aut per nomen Baalis. Hisce genuflexionem, seu corporis prostrationem cum osculis addiderunt; 1 Reg. cap. 16. 33. *servivit Baal* וישתחו לו *& incurvavit se ei.* Inde Deus residuum se timentium à desertoribus distinguit, quod *genua non curvaverint, neq; oscula dederint Baali*, 1 Reg. cap. 19. v. 18.

In cultu arbitrario quem Idolo præbuerunt, imaginem quandam totius cultus divinitus instituti, designasse videntur; atque insuper plurima addiderunt, vel à seipsis excogitata, vel mutuata à finitimis Baaliticis. Templa seu ædes sacras ei extruxerunt; 1 Reg. 16. v. 33. 34. *Ædem Baali extruxit Achabus in Samaria.* Earum ædium ubivis mentio occurrit; quæ tandem cum omni choragio & supellectile superstitioso à Jehu disjectæ erant, & in latrinas dispositæ, 1 Reg. cap. 10. v. 27. Qui autem Templum primus ei extruxit Achabus iste fuit. Lucis & Altaribus contenti fuere antiquiores Idololatræ; quod apparet ex Historia Reformationis Gideoneæ Judic. cap. 6. v. 28. postquam autem Dei jussu Templum ei paraverat Solomon; proxima accepta occasione, antiquus Dei æmulus & simia, ædem sacram sibi etiam ponendam curavit.

In æde ista, altaria ad sacrificia offerenda ei dicarunt, 1 Reg. 16. 31. *statuit altare Baali isti, in æde illa Baalis.* Plura fuisse in eadem æde ostenditur 2 Chron: cap. 23. v. 17. Et cum Altaribus imagines. 2 Reg. cap. 3. v. 2. 2 Chron. cap. 23. v. 17. In quam autem formam imagines hasce compegerint planè incertum est.

Ad Idololatriæ paraturam pertinuerunt etiam *Luci*. Horum duo genera fuere; *naturales* scilicet erant nonnulli ex arboribus consitis, quibus longe lateq; per totum terrarum orbem in sacris suis usi sunt Idololatræ; Talis erat Lucus iste quem excidit Gideon; Judic. cap. 6. v. 28. qualesque in excelsis plantare mos erat. Fuere etiam *Artificiales* Luci, seu naturalium imagines & similitudines fictæ; quæ ædibus sacris intulerunt, & in cultu Religioso aliquo modo usi sunt. Talis ille Lucus erat, quem è domo Dei extraxit & combussit Rex Josias; 2 Reg. cap. 23. v. 6. Quod hic vocatur simpliciter האשרה *Lucus* cap. 21. v. 7. dicitur פסל האשרה sculptile seu imago Luci. Mihi quidem videtur, ut quemadmodum extructo Templo Hierosolymitano Tabernaculum quo antea in cultu divino celebrando usi essent, in illud intulerunt, 1 Reg. cap. 8. v. 4. similiter Idololatras, postquam ædem Baali extrui curaverant, quia ipsos Lucos quibus eum à longo tempore venerari assueverant, in eam inferre non potuerunt, intulisse eorum imagines, seu species fictas pictasvè.

Ad

Ad cultum autem Baaliticum procurandum magnam compararunt Sacerdotum turbam. Quinquageni supra octingentos memorantur 1 Reg. cap: 18. v. 19. Horum 450 in æde Baalis Samaritica sacra peregerunt; reliqui oppidatim & vicatim in lucis. Hi communiter dicebantur עבדי הבעל, Servientes Baali, seu servi aut cultores Baalis 2 Reg. 2. 10. 21. In tria autem genera distributi fuerunt; vel enim erant עבדים propriè sic dicti, qui operas serviles tractarunt, ad superiorum nutum & arbitrium se componentes; vel כהנים seu sacerdotes, quibus mandata est sacrificia factitandi cura; vel נביאים seu prophetæ, quorum erat officium, populum doctrinis, principes autem prædictionibus, decipere. vide 1 Reg cap: 10. v. 19.

Hi omnes peculiari nomine כמרים dicti sunt. Zeph: cap. 1. v. 4. *succidam* את שם הכמרים, *nomen Chemarim*, hoc est ipsos chemarim; seu Sacerdotes Baalis, cujus immediatè ante mentionem fecerat. Idem verbum usurpatur 2 Reg: cap. 23. v. 5. Hos. cap: 10. v. 5. eodem sensu. Et כומר Chal: vertitur à Buxtorfio, *Sacrificulus, Sacerdos Gentilis, Idololatricus Hierophanta, Idolorũ sacrificus & minister.* Neq; ullibi sacro Textu alio in sensu usurpatur; & ubicunq; כהן Idolorum sacerdotibus tribuitur, Chaldæus reddit per כומרא, ut Judic. cap: 17. v: 5. A Syro autem paraphraste nomen his tervè in bono sensu pro Dei sacerdotibus accipitur. Et Epistola ad Heb: cap. 2. v. 17. ipse Christus ab eo dicitur רב כומרא Baalis Sacerdotes ita dictos ab atra seu pullata veste qua induti esse solebant, plurimi sentiunt: sed כמר etiam incalescere, & flagrare significat. Quidni igitur statuamus eos ita dictos fuisse ab officio immanissimo quo in ustione infantum functi sunt; & quod alteram etiam vocis significationem complectitur, quod in eo opere, oris nigredinem contraherent. In sacris vero suis, veste usos fuisse peculiari, innuit Historia Jehu 2 Reg: cap: 10. v: 22.

Eis omnibus unus seu sacerdos summus præfuit. Ei Mathani nomen erat, tempore, quo cultus divini reformationem procurabat Jehoiada; 2 Reg. cap: 11. v. 18.

Idolo huic omne genus sacrificia obtulerunt. Oleum, mustum, & frumentum, eos Baali dedisse, per prophetam Deus conqueritur Hos: cap: 2. v. 8. Ex iis primas fuisse Idolorum oblationes alibi ostendimus. Suffitum ei fecisse, aliquoties testatur Jeremias; cap: 7. v. 9. cap. 17. v. 13, 17. Et Juvencos obtulisse, 1 Reg. c. 18. v. 26. Eorum nonnullos in eum finem per aliquot annos saginatos fuisse, ut speciosiores caderent victimæ, docent Hebræi ad Judic. cap. 6. v. 25, 26. His addiderunt

ἀνθρωποθυσίαν, Jerem: cap. 19. v. 5. cap. 32. v. 35. de quo ſcelere plura dicemus capite ſequenti.

Videamus jam paucis quiſnam ille fuit quem tanto apparatu venerarentur. Quidam *Baal* nomen appellativum eſſe cenſent, quodvis Idolum denotans, cui delatus eſt cultus ſuperſtitioſus. Sed commentum illud clariſſime refellunt verba iſta Eliæ; 1 Reg: cap. 18. v. 21. *Si Jehova Deus eſt ſequimini eum, ſin autem Baal eum ſequimini.* Quemadmodum enim Jehova proprium nomen erat Dei Izraelis, ita Baal falſi illius Dei quem coluerunt Idololatræ. Dicam quis fuerit uno verbo; nempe Sol. Oſtendimus Phænices cultum hunc Baaliticum illos docuiſſe. Apud eos autem Sol, μόνος οὐρανοῦ θεὸς; & Βεελσαμὴν; ſeu dominus Cœli. Sol enim Baal, ſeu Dominus dictus eſt, ab eo dominio quod in lucem, adeoque eos omnes obtinere viſus eſt. Is creaturarum prima pro Deo habitus. Neque obſtat quod 2 Reg. cap: 23. v. 5. dicuntur ſacrificia obtuliſſe Baali, Soli; & Lunæ; quaſi Baal à ſole alius eſſet; nam cum nulla ſit inter Baalem & Solem in Hebræo diſtinctionis nota, Solis nomen pon po teſt ἐξηγητικῶς; quaſi dixiſſet, Baali, hoc eſt Soli. לבעל לשמש. neque multiplicatio nominum ſemper indicat rerum diſcrimen. Eadem enim Idola ſub variis nominibus fuerunt adorata. Solis πολυωνυμίαν ſuperius oſtendimus. Cum autem ſtultus iſte populus & contumax, omnium Gentium Idola ſibi colenda adſciverat, fieri non potuit, quin eadem Idola, variis ſub nominibus ac variis ritibus venerarentur. Nolo autem affirmare Izraelitas in Baale ſemper expreſſe Solem intellexiſſe; cum in animis tantum habuerint, earum Gentium Deos colere, quas rebus proſperis, & ad voluntatem fluentibus, uti conſpicerent. Ob eam rationem impius iſte Achazius ſacrificavit Diis Damaſcenis, quos hoſtibus ſuis adverſus ſe opem tuliſſe ſuſpicatus eſt.

CAP. VII.

Molec: Abominatio Filiorum Ammon. Idem Molec. Moloch, Milcham 70 *ἀρχων. cultus & locus ei deſtinatus. Cultus, Traductio per ignem. Ejus Duo genera. Vivicomburium & Februatio. Sententia Voſſii, & Maimonidis, de purgatione, rejicitur. Vivicomburium infantum. Phænicibus uſitatum. Mos & Ritus ſacrificii infandi. Mos varie traditus. Imago Moleci, & Saturni. De luſtratione per duos ignes. Temporum decurſu mitius illud cruciatuum genus obtinuit. Initiatio Idololatrica per varios cruciatuum gradus. Superſtitionis immaniſſimæ*

ſimæ origo. Locus cultui deſtinatus vallis Filii Hinnom. Locus amœniſſimus unde dictus vallis Hinnon. γέεννα. גיהנם. Quas ob rationes nomen iſtud uſurpatur ad deſignandum locum damnatorum. Tophet unde dictum. De verbis Jobi cap.17. v.7. locum & pœnas damnatorum vox denotat. Molec idem ac Baal & Baal Peor; hoc eſt Sol. Saturnus Sol. Adramelech, & Anamelech. Cultus ſolaris. Equorum dedicatio & Adoratio.

BAali in ſacra Hiſtoria proximum locum *Molec* occupat. Is dicitur, *Abominatio Filiorum Ammon*, 1 Reg. cap. 11. v.7. Quem ſcilicet Baalem ſeu Dominum vocabant Tyrii. Is Ammonitis, *Molec*, ſeu Rex dicebatur. Neque quidquam intereſt utrum Regem aliquem dicas, an Dominum. Dicitur etiam Moloch Amos cap.5. v.26. Et Milcham, Terminatione & Senſu vocis parumper immutatis, 1 Reg. 11. v. 33. & etiam Malcham; Zeph: cap: 1. v.5. LXX vertunt Levit. 18. per ἄρχων, quæ eſt vox media inter Regem & dominum quemlibet. Idoli hujus à cultu teterrimo notiſſimi, prima mentio occurrit Levit. cap:18. v.21. De eo duo præcipuè celebrantur; Cultus; & Locus ei deſtinatus. Cultus erat, *Traductio ſeminis per ignem*; Levit, cap 18. v. 21. Deut. cap. 18. v. 10. 2 Reg: cap. 11. v.3. cap.13. v. 10. Ejus duo genera fuere; Vivicomburium, & Februa. Hæc ſolum in hujus Idoli ſacris peragendis intelligenda contendit Voſſius. In ea quoque ſententia eſt Rambam; de Idololatria c.6.8. 4,5. *De ſemine tuo*, inquit, *ne des ad tranſducendum Molocho. Quomodo id fiebat? Accenſo igne magno, acciperunt partem ſui ſeminis* (hoc eſt filium aliquem vel filiam) *quam Sacerdotibus igni ſervientibus tradebant. At Sacerdotes ubi filium accepiſſent, eum patri reſtituebant, quo ipſe ex Sententia ſua eum per ignem traduceret. Igitur pater filium, permiſſu Sacerdotum per ignem agebat. Pedibus autem jubebat tranſire donec flammæ quicquid erat, emenſus foret. Non enim Molocho eum comburebant; ſed cultus ille tantum in tranſitu conſiſtebat.* Sed reclamant apertiſſima Scripturæ Teſtimonia. Locus, prout dicturi ſumus, Moleci cultui deſtinatus, erat *Vallis filii Hinnom*. In ea vero Rex Achaz, *Filios ſuos igne combuſſit*; 2 Chron. cap.28. v.3. Alios idem feciſſe teſtatur Jeremias; cap.7. v. 31, 32. qui proinde vallem iſtam, *Vallem Occiſionis* vocat. Et Cremationem Molecianam ita interpretatur Pſaltes; Pſal.106. v. 37. *Sacrificaverunt filios ſuos, filiaſque ſuas dæmonibus & effuderunt Sanguinem innoxium, ſanguinem filiorum ſuorum, filiarumque ſuarum quos ſacrificabant.* Vivicomburium planè indicat. Inde eadem vox immolare etiam ſignificat, quæ traducere. Atque in ea Sententia è Judæis ètiam ſunt

Moſes Gerundenſis, & Iſaacus Abravanel.

Superſtitionem hanc Molecianam à Phænicibus Iſraelitas accepiſſe nemo dubitat. Eos alibi oſtendimus Filios ſuos ſacrificaſſe *S*aturno. Ita de Pænis Ennius.

Pæni ſunt ſoliti ſos ſacrificare puellos.

Quem verſiculum Ennianum ita effert *S*ilius Italicus.

Mos fuit in Populis quos condidit advena Dido
Poſcere cædè Deos veniam, ac flagrantibus aris
Infandum dictu! parvos imponere natos.

Et Sophocles in Andromad.

Νόμος γάρ ἐςι τοῖσι βαρβάροις Κρόνῳ
Θυοπολεῖν βρότειον ἀρχῆθεν γένος.

Et Plato in Minoe; ἡμῖν μὲν ὁ νόμος ἐςὶν ἀνθρώπους θύειν,] ἀλλ' ἀνόσιον. Καρχηδόνιοι δὲ θύουσι, ὡς ὅσιον ὂν καὶ νόμιμον αὐτοῖς, καὶ ταῦτα ἔνιοι αὐτῶν ὑῖεῖς τῷ Κρόνῳ, ὡς ἴσως καὶ ἀκήκοας. Similiter ἀνθρωποθυσίαν Phæniciam pæne nemo non veterum memorat. Eorum exemplo ſceleri iſti operam dederunt Izraelitæ.

Ritus & morem infandi hujus ſacrificii narrant Rabbini: *Fuit*, inquiunt, *Molech imago concava habens ſeptem conclavia; unum aperiebant ſimilæ offerendæ; aliud turturibus; tertium ovi; quartum arieti; quintum vitulo; ſextum bovi. Qui vero volebat offerre filium huic aperiebatur ſeptimum cubiculum. Et facies hujus Idoli erat ut facies vituli, manus planè diſpoſitæ ad recipiendum ab aſtantibus: & ſaltabant interim quo puer in Idolo ſuccenſo igne cremabatur; percutientes tympana, ne pueri ejulatus audiretur.* Ex iis etiam Lyra; *Moloc*, inquit, *ut Ebæi dicunt Idolum erat cupreum ad formam hominis factum, interius concavum. Et in illa concavitate fiebat ignis quouſque Idolum eſſet quaſi ignitum, & tunc ponebatur puer inter manus Idoli. Et Sacerdos tympana pulſans tantum ſonitum faciebat quòd vox pueri morientis audiri non poterat, ne parentes compaterentur, ſed magis crederent animam acceptam à diis in quiete & ſine dolore.* Alii aliter; *Incendebant*, inquiunt, *Chemarim ignem magnum, & accipiebat eorum aliquis partem ſeminis à patre, & tradebat eam aliis chemarim; & illi rurſum reddebant filium patri ſuo poſtquam ipſis traditus eſſet, ut traduceret eum per ignem eorum poteſtate. Atque pater filii ipſe erat qui traducebat filium ſuum vel filiam ſuam per ignem accenſum poteſtate chemarim, tranſireque eum faciebat ab uno latere ad aliud per mediam flammam donec combvictur puer.* Traditionem iſtam pueri Τοῖς

Chemarim

Chemarim, intelligi putant verbis illis præcepti, *non dabis*, aut *non trades de semine tuo*; & traductionem, per transitum istum exponunt; nec tamen negant, eum tandem necatum & crematum fuisse. Statuam autem æneam Carthagine Saturno dicatam, cui ignis ad homines vivos comburendos suberat, narrat Diodorus: Et morem similem inter Druidas obtinuisse, superius docuimus.

Quæ item de Februis seu lustratione per ignes dicuntur, locum hic etiam habere possunt. Forsan enim temporis decursu, ad mitius istud genus cruciatuum descenderint Idololatræ, prout alibi etiam cædium horrendarum pertæsi, pro vivis hominibus hominum simulacra obtulerunt. Istiusmodi etiam καθαρισμὸν Initiationi Idololatricæ præmiserunt. Nemo enim ritè consecrari aliquorum Idolorum sacris potuit, nisi transiret per multos suppliciorum gradus; horum unus erat per ignem trajectio, quâ non leviter combusti & vulnerati erant initiandi. Ita Gregor: Nazianz. Orat. 1. cont. Julian: ὐκ ἄν τις μίθρᾳ δυνηθείη τις τελεσθῆναι, εἰ μὴ διὰ τινῶν βαθμῶν παρελθὼν τῶν κολάσεων δείξῃ ἑαυτὸν ὅσιον καὶ ἀπαθῆ. *Mithræ sacris initiari nemo potest nisi per aliquot suppliciorum gradus sacrum se & impassibilem ostenderet.* Et Nonnus; *primum levioribus suppliciis, deinde atrocioribus afficiuntur; atq; ita post decursa omnia tormenta ipsius sacris imbuuntur. Igni quippe & aqua atque hujusmodi suppliciorum generibus excruciantur.* De ritibus etiam iisdem Virgilius; Æneid. XI.

> ——— *Sancti custos Soractis Apollo*
> *Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo*
> *Pascitur, & medium freti pietate per ignem*
> *Cultores multa premimus vestigia pruna.*

De quibus videndus Plinius lib. 7. cap. 2. Atque hæc etiam imitatos fuisse Izraelitas haud improbabile.

Causas tanti sceleris exponit Propheta, Mic. cap 6. v. 6, 7. *Quanam re veniam ante Dominum, & incurvabo me Deo excelso? veniamve ante eum Holocaustis cum vitulis anniculis? an accepta habeat Dominus milia arietum, myriades torrentium olei, an darem primogenitum meum pro defectione mea, fructum ventris meæ pro peccato animæ meæ?* Lethales conscientiæ morsus miseros Hypocritas veri Sacrificii quod solum peccati conscientiam tollit ignaros, in insaniam istam adigerunt.

Locus Idoli hujus cultui destinatus, erat vallis Filii Hinnom. *Locus erat*, inquit Adrichomius, *in suburbanis Hierusalem (contra Orientem sub monte assentionis juxta Piscinam fullonis) ut Tempe amœnissimus, fontibus Siloe ac fluxu torrentis Cedron irriguus; viridariis & hortis consitus,*

 totusq;

totusque nemorosus ac deliciis plenus. Ita est, nam cum omnia alia Idola Lucos & fana sua in ipsa urbe habuerint, ædes Molocho dicatæ extra muros urbis extructæ erant. Nomine illo vocabatur antequam Israelitæ terram Cananæam ingressi essent; nam in divisione terræ primâ, disertè nominatur *Vallis filii Hinnom*, & *vallis Hinnom*; Josu: cap. 15. v. 8. neque aliunde quærenda vocis origo. Nam sunt qui deducunt à נהם *rugivit, ejulavit*, quasi à rugitu quem filii Idololatrarum ibi immolati emiserant, ita diceretur; sed uti diximus, locus à possessore ita dictus erat, longe ante quem eo scelere pollueretur. Ex גיא הינם, *Valle Hinnom* facta est uno verbo γέεννα; etiam unica dictione habemus גיהנם Gehinnom; Ioh. cap. 18. v. 16. Ob multas causas cæpit postea locus damnatorum ita vocari; Id à veteribus ita factum esse negat Hieronymus. Nempe Chaldæus Paraphrastes Hieronymo incognitus; qui sæpissime eo vocabulo pro loco damnatorum utitur; ut Isa: 33. 14. atq; alibi. Dictione γέεννα Dominum nostrum; Math: 5. & 10. eo sensu usum esse constat. Cum enim locus iste primo per miserorum infantum vivicomburium; deinde exercitus Assiriaci sub Senacheribo πανωλεθρίαν, atque summam per Josiam mortuorum ossium injectione pollutionem, horribilis & abominandus redderetur, tot sceleribus & suppliciis horrendis cumulatus, idoneus visus est qui improbis in memoriam revocaret, horrendas istas & sempiternas pœnas quas tempore præstituto, de iis omnibus Deus sumpturus est. Illatis autem cadaveribus totam vallem ita polluit Josias, 2 Reg. cap. 23. v. 10. ut non videatur usui superstitioso postea unquam fuisse seperata.

In ea Valle locus peculiaris erat Tophet; forsan omne illud spatium ea vox denotat quod erat intra sacrorum septum, 2 Reg: cap. 23. v. 10. *Polluit Tophet in valle filiorum Hinnom.* Et Hierm: cap: 7. v. 31. *Excelsa Tophet in valle filii Hinnom.* Tophet ita dictum esse à תופ *Tympanum*, plerique statuunt; nempe percutiebatur Tympanum, dum puer vivus esset in igneo Idoli conclavi, ne ejulatus quos inter flammas ederet, impia parentum commoverent viscera. Forerius in Isa: cap: 33. v. 33. ait חפת prodigium significare, atque locum inde ita dictum fuisse, quoniam horribile erat spectaculum. Et in sententiæ suæ confirmationem adducit Jobi verba cap: 17. v. 7. *statuit me parabolam populorum*, ותפת לפנים אהיה; verba illa sane varie vertunt Interpretes. Arias Montan. *Et ignis Gebennæ antea ero.* Junius; *Tympanotribarum antea materia ero.* Vulgat. *Exemplum sum coram eis.* LXX. γέλως δὲ αὐτοῖς ἀπέβην. *risus illis deveni.* Chaldœus וגהנם מן לגיו אהי *& ab interiori Gebenna ero.* Nostrates; and afore time I was as a Tabret, vel potius afore

afore them, ut notant in margine. Quæritur sine dubio Vir sanctus se opprobrium ludibrium & fabulam factum esse hominibus nihili, cui scilicet tanquam Tympano illuderentur, vel quem pulsarentur ut Tympanum. Cum autem vox illa תפתה apud Esaiam Prophetam cap. 33. v. 33. vel pro inferno sumatur, vel ad pœnas æternas figurandas abutatur, eandem hic loci significationem obtinere arbitrati sunt interpretes. Cæterum nihil obstat quo minus Tympanum hic denotet, potius quam prodigium aut portentum, quod voluit vir doctus. Verum locum & pœnas damnatorum apud Esaiam describi nemini dubium esse potest, qui paulo attentius ignem illum olim Regi præparatum, cum eo conferat, quem Dominus noster præparatum fuisse Diabolo & Angelis ejus docet.

Quisnam esset quem cultu hoc nefario venerati sunt, non adeo certa res est. Eundem cum Baale fuisse probare videtur idem cultus; nam & Baali filios sacrificabunt idque in Valle Hinnom; Jerem: cap: 7. & 31. Deinde Amosus Molocum in deserto populum coluisse affirmat; cap. 5. v. 27. at præter Baal-pehorem Idolum ullum eos ibi coluisse in eorum temporum historia non memoratur. Moloc ideo idem ac Baal-peor, & Baal hoc est Sol. Saturnum sacrificia indicare nonnulli arbitrantur; Ipsum vero Saturnum Tyrium, Solem fuisse, pluribus ostendit Cla: Vossius.

Neque ob hoc Molocho alii fuerunt Adramelech & Anamelech, quibus habitatores Sepharuaim filios suos igne combusserunt 2 Reg: cap: 17. v: 31. Adramelech est אדיר מלך seu Rex magnificus. Et Anamelech ענה מלך seu Regis Responsio, à quo scilicet responsa oracularia petierunt.

In his ideo utcunq; latenter, solem venerati sunt. Omni vero tandem larva deposita, ipsum palam & ex professo divinis honoribus prosecuti sunt. *Equos & Currus* Soli posuisse Reges Jehudæ, narrat Sacra historia 2 Reg. cap. 23. v. 11. Per omnem Orientem sacri erant Soli, Equi. Id docet Xenophon; Κυροπαιδ. lib: 8. & Anab: lib: 4. Pausanias etiam in Laconic: Eis Quadrigas additas fuisse ostendit decimo Æthiopicorum Heliodorus. Videntur hi equi fuisse instar veredorum, quibus cursores equestres utebantur, qui quotidie solem salutabant jussu Regis; vel forsan etiam ipse Rex ac principes Solem adoraturi eis insidebant. Utrum currus veri fuerint, an curruum imagines incertum est. At certum ultra hanc Equorum Dedicationem, eos directè & immediatè Solem adorasse. Ezech. cap: 8. v: 16. *Adorabant Solem versus Orientem.* Illum antiquissimum fuisse cultum Solarem, alibi docuimus.

CAP.

CAP. VIII.

Astaroth. Dea Sydoniorum: Hebræis Deus dicta. Philisthæis culta. Ejus nominis opidum. Ovium simulacra. Luci Astaroth. עשתרת *&* אשרית. *Astarte. Atergatis. Dirceto. De Regina Gatide; &* ἄτερ Γάτιδος. *Piscium abstinentia; superstitionis ortus. Simulacrum Astartis quale. Regina Cæli. Luna. Dea cælestis* οὐρανία. *Sol cæli Dominus. Luna Regina. Gad. & Meni. Isa: 65. 11. Gad; quis. Sententia Hieronymis Cæli excercitus. Dii Damasceni. Maachæ Terriculamentum. alia.*

RESTAT ut de *Astaroth* agamus, paucisque aliis Diis innominatis qui supersunt. Ashtaroth dicitur אלהי צידנים, 1 Reg. 11. v. 5. & 33. *Deus* Sydoniorum; pro Dea; cum Hebræi vocem nullam habeant, quæ genere fæminino numen enuntiet. Ea primo memoratur Judic. cap. 2. v. 13. atque iterum cap: 10. v. 8. 1 *S*am. cap. 7. v. 7. Non tantum Sydoniis sed & Philisthæis, adeoque omnibus littus maris incolentibus adoratum fuisse hoc Idolum, ostendit 1 Sam. cap. 31. v. 10.

Erat etiam hujus nominis opidum, Deut. cap: 1. v: 4. Josh: c. 9. v. 10. quod ab Idoli hujus cultu cognomen duxisse nemini dubium esse potest; vicissim Idolis sæpissimè nomina imposita fuere, à locis quibus cultus superstitiosus eis præberetur.

Judæi communiter statuunt Astaroth esse Idolorum Simulacra in similitudem *Ovium* formata. עשתרת enim *femellam ovis* denotare aiunt. Alii à multitudine *S*acrificiorum, ex *ovibus* & pecudibus, idolum nomen sortitum esse volunt; 1 Sam: cap. 7. v. 4. LXX vertunt עשתרות per ἄλση ἀσταρώθ, *Lucos Astaroth*; aliam, cum ea ejusdem pæne soni, dictionem conjungens; nam אשרות *lucos* significat. Inde Idolum hoc in *Lucis* adoratum fuisse, nonnulli arbitrantur.

Aliis nominibus Idolum hoc etiam dictum est, *Astarte*, Dea Syra nominatissima; & *Atergatis*, & *Dirceto*; Ea omnia ab illo altero fluxisse constat. Vana enim sunt quæ ex Antipatro stoico de Dea hâc producit Athenæus Deipnos: lib. 8. & cur Atergatis diceretur. Gatim Reginam quandam fingit, quæ edictum promulgavit ne quis ἄτερ γάτιδος hoc est *præter Gatidem* pisces ederet. Inde inquit apud imperitum vulgus prodiit nomen Atergatis; inepte; & Græcorum more in investigandis nominum Deorum originibus, *Atergatim* enim vocem corruptam esse ab עשתרות nemo non videt.

Inde

Inde vero prodiit conjectura ineptissima, quod ejus cultus pars erat piscium abstinentia; Ejus etiam apud Syros causam non minus ineptam assignat apud Hyginum in poëtico Astronomico Diogenetes Erythræus. *Is*, inquit, *scribit quodam tempore Venerem cum Cupidine filio in Syriam ad flumen Euphratem venisse, & eodem loco repente Typhona Giganta apparuisse; venerem autem cum Filio in flumen se projecisse, & ibi figuram piscium forma mutasse, quo facto periculo esse liberatos. Itaque postea Syros qui his locis sunt proximi desititisse pisces esitare, quod vereantur eos capere, ne simili causa, aut Deorum præsidia impugnare videantur, aut eos capere.* Istis nihil stultius. Simulacrum Idoli plurimi aiunt à femoribus ad pedes usque extremos figura piscis fictum fuisse, reliqua parte corporis femina erat. Incerta figuræ origo; sed eam piscium Religioni ansam præbuisse pæné certum. Veneri statuam fuisse dicit Nicetas in Gregorium. Ego nullus dubito quin eadem fuerit cum *Regina cæli* totiès Jeremiæ memorata. Ea Luna erat, quæ aliis & Venus & Diana, & Juno Lucina; ob *πολυωνυμίαν*, & sacrificiorum multitudinem עַשְׁתָּרֹת dicta. Deam Syram, quæ Astarte, Lunam esse se existimare affirmat Lucianus. Lunam inter astra dominantem eo nomine notari consentit Hieronymus; in Jerem: septimum.

Ita eam describit Poeta.

—— *Micat inter omnes*
Julium Sydus velut inter ignes
Luna minores: Hor: Car: lib. 1. Od. 12.

Et Epod 15.

Nox erat & Cælo fulgebat Luna sereno
Inter minora Sydera.

Hoc est *Regina Cæli.* Cum Syriæ Astarte conjungit Tertullianus Apol: cap. 24. Africæ Cælestem. Per cælestem seu *οὐρανίαν*, Venus vulgo intellecta, quemadmodum ex Luciano constat. Sed Venus ista non nisi Luna, quod aliis ostensum. Non desunt autem qui Solem *Reginam Cæli* fuisse arbitrantur. Nam שמש aliquando fæminini Generis esse probant exempla: ירח vero quæ vox *Lunam* denotat, ut illa altera Solem, nunquam. Unde Chaldæis Deus Lunus dictus. Sed vix crederem obtinuisse rationem istam Grammaticalem, sed potius uti solem בעל־שמים seu *Dominum Cæli*, etiam Regem dixerunt, ita nomine *Reginæ Cæli*, Lunam notare voluerint.

Philastrius Hæres. 15. affirmat Judæos fortunam coluisse, quæ Regina cæli in Africa nuncupatur. Respicit sine dubio ad locum illum Isaiæ; c. 65.

v. 11. in הערכים לגד שלחן והממלאים למני ממסך. Quæ verba variè vertunt Interpretes. LXX. גד. δαιμόνιον vertunt, & מני τύχην. ἑτοιμάζοντες τῷ δαιμονίῳ τράπεζαν καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα. *Parantes Dæmoni mensam, & implentes fortunæ potionem.* Et in versione latina Textus Græci quæ apud Hieronymum extat, Fortuna τῷ גד respondet; δαιμόνιον vero τῷ מני. Vulgatus non מני sed גד fortunam vertit; & Meni pro particula tantum usurpat; *qui ponitis fortunæ mensam & libatis super eam.* atque ita etiam Symmachus teste Hieronymo; & *absque me*, reddit. Junius vim vocum refert; ita enim vertit; *Qui instruitis turmæ illi mensam, quique impletis numeris illis libamen.* גד enim turmam significat; & מני á מנה numerare, enata esse videtur. Eum sequuntur nostrates; **That prepare a Table for that troope, and that furnish the drink offering unto that number**; in marginem autem rejiciunt *Gad* & *Meni*. Arias Montanus; *Paranti Jovi mensam, & implentes meni libamen.* In tanta varietate, non facile est dicere quid maxime arridet. Reginam cæli hic non intelligi certum; multa de stella Jovis, de mercurio, de stellarum constellatione, de bona fortuna, de horoscopo, ascendente planeta propitio, fæliciter posito, de Idolis Edomæorum, aliisque, incertis omnibus, in hunc locum congerunt viri eruditi. Quamvis autem ex omni parte haud faciant satis, fateor tamen animo maxime respondere quæ olim in locum annotavit Doctissimus Hieronymus. *Est*, inquit, *in cunctis urbibus & maximè in Ægypto, & in Alexandria Idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni & mensis eorum qui extremus est, ponant mensem refertam varii generis epulis, & poculum mulso mistum, vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes. Hoc autem faciebant & Izraelitæ omnium simulacrorum portenta venerantes.*

Cum Sole & Luna adoraverunt etiam totum cœli excercitum, hoc est stellas omnes. Chemosh 1 Reg. cap. 11. v. 33. eundem cum Belphehore fuisse scribit Hieronymus, in Esa: cap: 15. Verius cum Moleco, ut videre est Judic. cap: 11. v. 26.

Restant Dii innominati. Inter eos occurrunt Dii Damasceni quibus Rex Achaz Sacrificavit 2 Chron. cap. 28: v. 23. & altare struxit in ipsa Dei Domo; 2 Reg. cap. 16. v. 11, 12, 13. Maacha, avia Regis Asa, quæ Mater ejus dicitur, Idolum peculiare colendum in Luco proposuit. 2 Chron: cap: 15. v. 16. מפלצת לאשרה fecit. vulgatus; *simulacrum Priapi*; alii statuam horrendam. ἀστάρτῃ LXX. vocabulum, *Terriculamentum* seu terrorem significat. Inde Castalio *Panem* vertit, qui in lu-

cis

cis, terrorem hominibus incutere solitus. Inane potius terriculamentum Spiritum Sanctum innuere arbitror.

Quæ de Ob, & Iideoni dicuntur aliisque ἐγγαστριμυθίας generibus, atq; de Chiromantia, Augurio, Geomantia, Sortilegio, Pythiis, & præstigiatoribus, ad institutum nostrum non pertinent. Sufficiat præcipua, si non omnia ista Idola paucis perstrinxisse, quæ scelere nefario, relicto Deo vero, Apostatæ superstitiose coluerunt.

CAP. IX.

Vitulus Aaronicus. Ejus conficiendi occasio. non Deum summum sed internuntium postulavit populus. Vitulum Deum esse non credebant. Metonymicè ita dictus. An factus ad instar Apidis Ægyptiacæ. aureæ amissæ Apidis imagines. Figura vituli maris. Apis Bos fæmina. Vituli Jeroboamici cur juvencæ dicti. Non alius Deus præter Jehovam in vitulo cultus. Exosa Deo superstitio. Mendacia Gentilium de adoratione capitis asini, Hierosolymis. Figmenti occasio & color. Locus Taciti notatus; Vitulum in pulverem comminutum in aquam dispersit Moses: an in similitudinem submersionis Apidis. Aaron à Judæis purgatus inepte; à Moncæio falso. Verum crimen Aaronis.

SEquuntur ea quæ in modo mediisque cultus Religiosi deliquerunt, cultum arbitrarium instituti loco substituentes. Atque heic primum occurrit *Vitulus Aaronicus*. Exod. cap. 32. v. 1, 2, 3, 4, 5. Absente per dies aliquot in Monte Mose, populus carnalis visibilis signi presentiæ divinæ sibi promissæ avidus, & nondum cultu toto cætui communi institutus, ad conflandum in eos fines vitulum aureum, Aaronem adigerunt. *Age*, inquiunt, *fac nobis Deos qui anteeant nobis; jam enim Mosche viro illo qui eduxit nos è terra Ægypti quid factum sit ignoramus.* Deos scilicet, petierunt, non qui Jehovæ, sed qui Mosu vices, per quos Deum consulerent, obirent. Nam quod Aaroni hodie fingendum committebant, vix possibile erat, ut crederent, die crastino in verum numen evasurum. Dei autem nomen simulacris metonymice tribuere, iis etiam solenne qui neutiquam crederent simulacra ipsa Deos esse. Visibile ideo præsentiæ divinæ signum, ipsi sibi fingere & fabricare aggressi sunt.

Aaronem quidam arbitrantur vitulum hunc finxisse in similitudinem

Apidis Ægyptiæ; vel potius imaginis aureæ, quam in memoriam amissæ aut defunctæ Apidis consecrare soliti sunt Sacerdotes. Ipsum etiam animal, præstantissimum semper habitum ob labores unde terræ fructus percipimus, in animo habere potuit. Sanè Scriptura innuere videtur vitulum istum *Maris vituli* Simulacrum fuisse; nam Psal. 106. v. 9. nomini quo significatur annectitur participium generis masculini. שור אכל. Ægyptios autem *Boves fœminas* Isidi consecrasse, mares sacrificasse docet Herodotus in Euterpe. Nec obstat quod Propheta Hoseas, *Vitulos Jeroboamicos* ad instar vituli hujus Eremitici fictos, עגלות vocet, cap. 10. v. 5. quam vocem cum sit generis fœminini per *δαμάλεις*, hoc est juvencas, reddunt LXX; cum in contemptum eos ita vocet Propheta, prout rectissimè in locum annotat Hieronymus. Magnum etiam fuisse simulacrum Scriptura innuit, cum Izraelitas *gloriam suam mutasse in formam bovis comedentis herbam*, docet; psal. 106. v. 20. At aliquid est, quod ob hujus vituli erectionem, eos *corde revertisse in Ægyptum*, affirmet Stephanus, Actor. 7. ubi scilicet istiusmodi viderant Simulacra.

Populum alium Deum præter Jehovam in vitulo colere in animo non habuisse, patet ex rei gestæ historia. Superius ostendimus eos non Deum summum Jehovæ loco, sed internuntium, Mosis, postulasse; conspecto autem vitulo dixerunt; *Hi Dii tui Izrael qui eduxerunt te è terra Ægypti*; *quod videns Aaron extruxit Altare coram eo proclamavitque dicendo, festum Jehovæ cras esto.* Dii tui; hoc est Deus tuus; nam Vitulus unicus erat, & uni consecratus: Ita Nehem cap. 9. v. 18. *Cum fecissent sibi Vitulum fusilem, dixerunt hic Deus tuus, qui eduxit te ex Ægypto*; hoc est Dei tui Simulacrum; seu præsentiæ ejus in medio tui, signum visibile. Væcors sane & rebellis populus fuerit; at eos usque adeo desipuisse, ut crederent vitulum novitium quem nudius tertius fecerant in deserto, eos eduxisse ex Ægypto, nemo arbitrari potest, nisi qui non tantum eos unum vitulum conflasse, sed omnes in vitulos etiam mutatos fuisse sentiat. Deinde populo ad consecrandum vitulum accersito, proclamavit Aaron Festum Jehovæ; *Cras*, inquit, *Festum Jehovæ esto.* Hoc est; coram Simulacro hoc tripudiantes celebrabimus Jehovam. Ei est festum institutum, non vitulo, non Apidi, non Osiridi aut Isidi. Certum ideo Izraelitas Eremiticos non alium Deum præter Jehovam colere statuisse. Id argumentum doctissimè olim in Libris de Idololatria, & Prælection: in Lib. Apoc. prosecutus est, seculi sui Decus, Johannes Rainoldus.

Quanto se scelere cultus hujus arbitrarii excogitatione, populus obstrin-

obstrinxerit quamque Deo exosa fuerit ea superstitio, ex horribili eventu citissimè patuit. Latius ista enarrandi nunc non est Locus; Ex verbis autem illis Exod. cap. 32. v. 34. *Quo die visitaturus sum, utique visitaturus sum adversus eos peccatum hoc*, in proverbium abiit inter Judæos, *nullam pœnam irrogari Izraeli in qua non sit uncia vituli.*

Etiam hujus sceleris occasione, turpissima inter Gentes alias infamiæ labe, & perenni, aspersus erat totus populus. Non enim aliundè quàm ab Idololatriâ hâc vitulinâ, ansam arripuerunt nonnulli celebratissimum istud cudendi figmentum, de capite aureo Asini in templo Hierosolymitano adorato. Utcunque enim putidissimum esset mendacium, at omni tamen colore destitutos fuisse fabulatores, non sinit nos arbitrari stultitia hæc, seu quæ stultitiam omnem exuperavit insania. Verba Taciti Historiar. V. sunt; *Effigiem animalis quo monstrante errorem sitimque depulerant penetrali sacravere.* Prius dixerat illud animal Asinum fuisse. Id autem conciso & presso dicendi genere hic loci assecutus esse videtur Vir egregius, quod nemo unquam post homines natos plura mendacia verbis paucioribus protulerit. At enim negari non potest, umbram quandam veræ historiæ, & rei gestæ, quamvis obscurissimè per mendaciorum horum ambages conspici posse. Siti, viarumque errore, populum aliquoties pressum solitudine vastissimâ, & gravatum fuisse, docet sacra historia. Viæ ducem, atque aquas importunè flagitasse novimus; in asinorum incidisse gregem qui aquatum irent, iisque præmonstratoribus usum, fabula est anilis. At vero Vitulum illum aureum eo animo conflasse, ut illo signo Dei præsentia visibili quasi oraculo in angustiis uterentur, cujusque auspiciis iter pergerent, ex rei gestæ narratione patet. Etiam longo post tempore, sedibus fixi Cananiticis, non alio quam illo eremitico exemplo ducti, penetralibus quibusdam eandem effigiem sacraverunt, Dane scilicet & Bethele; Mira rerum omnium confusione, Gentiles, vitulum aureum, in vivum asinum, miraculum eductionis è Petrâ aquarum, in fontem seu rivum ope asinorum repertum, Danem & Bethelem in Hierosolymas transformarunt. Ne autem mendaciis istis Gentilium continuandis ansam ullam præberet, Josephus diligentissimus alias Antiquitatum & rerum gestarum Gentis suæ narrator, historiam hanc de aureo vitulo Aaronico alto pressit silentio. Targum autem Uzzielis, de hoc scelere; *exiit fama eorum mala inter populos terræ, & acquisiverunt sibi nomen malum per Generationes suas.*

Vitulum hunc in pulverem comminutum, *dispersit* Moses *in aquarum superficiem, & jussit bibere populum.* Exod. cap. 32. v. 10. Ex eo Mosis facto conjiciunt Seldenus & Grotius, eum allusisse ad submersionem Apidis Ægyptiacæ; præstituto enim tempore Apidem in Nilo solennitèr submerserunt. Sed submersio ista Apidis pars erat cultus Idololatrici eáque longè superstitiosissima. Eam Mosem imitatum fuisse, præsertim facto illo quo pœnam summa cum ignominia Idololatris irrogavit, & in se est incredibile, & historiæ sacræ planè adversatur.

Judæorum magistri ex verbis istis Aaronis, Exod. cap. 32. v. 24. *aurum in ignem conjeci, & prodiit hic vitulus,* quo ipsum à crimine expedirent, fingunt eum massam auri eo animo in ignem conjecisse, ut Izraelitas iis ornamentis quæ stolide in Idololatriam essent profusuri, spoliaret; Magorum autem opera, quorum nonnulli ex eâ fuerunt colluvie Ægyptiaca, quæ cum populo in desertum ascendit, vitulum prodiisse. Ben Uzziel Sathanam in medium aurum illapsum, eam produxisse formam; quæ sane vix conveniunt cum iis quæ de facto Aaronis memorat Historia sacra, v. 4. nempe *eum aurum ex manu populi acceptum, formasse cælo, & fecisse ex eo vitulum fusilem.* Criminis etiam omnis suspicionem ab eo amoliri conatur Franciscus Moncæius libro isto cui nomen imposuit Aaroni purgato. Dissertationibus autem istis, ne quid gravius dicam, ad ingenii ostentationem comparatis, multa audacter comminiscitur & temerarie, quæ miror mortalium ulli, cui sanum esset sinciput in mentem unquam venire potuisse. Fingit Aaronem summum tum temporis fuisse pontificem, fingit vituli similitudinem vidisse in monte, tum cum Deus expresse dixerit, neminem ullam vidisse similitudinem, fingit eum vitulum formasse ad instar cherubinorum quos postea Moses Dei jussu erexit; obliviscitur, Deum severe interdixisse, ne imaginem ullam formarent, Spiritui autem Sancto in os plurima contradicit, aliaque multa profert, quæ referre piget. Quamvis autem alium Deum præter Jehovam populo colendum in vitulo Aaron non proposuerit, in eo autem crimine manifesto se illumq; astrinxit, quod Dei injussu cultus arbitrarii in signo visibili viam modumq; excogitaverit.

CAP.

CAP. X.

Vituli Jeroboamici: Eorum conficiendorum occasio. rationes impulsivæ usus. Teraphim. quales imagines & quomodo confecta. νεκυομαντεία Micheæ Teraphim. Ephod Gideonis. Æneus serpens. Decem Tribuum captivitas.

AD instar Vituli Aaronici longo post tempore duo alii *Vituli aurei* à Jeroboamo sunt erecti. Huc enim refero superstitionis Jeroboamicæ ortum & occasionem. Nimis coacta sunt quæ de Josepho quidem referunt. In ejus memoriam *vitulum* olim in Ægypto dicatum fuisse aiunt; quod sane incertissimum. Deinde Jeroboamum Ephraimitam è stirpe Josephæa, quo populum in suæ familiæ veneratione retineret, hanc figuram elegisse quam in sacris dicaret. Sed hæc dura nimis & coacta, uti diximus videntur. Placet magis vituli Aaronici memoriam, hisce aliis conficiendis occasionem præbuisse. Quanta enim in veneratione apud populum istum antiqua patrum suorum facinora recte an secus facta, fuerint, testantur quæ de æneo serpente itidem eremitico, atque Gideonis Ephod, aliaque memorantur. Horum autem vitulorum Historiam refert, Spiritus Sanctus; 1 Reg. cap. 12. v. 27, 28, 29, 30, 31, 32. Consilii ineundi rationes Jeroboamicæ latius exponuntur; 2 Chron. cap. 12. v. 12, 13, 14. Tota Tribus Levi, atq; piorum Israelitarum plurimi, Dei institutis adhærentes, relictis avitis sedibus concesserunt in partes tribuum Jehudæ & Benjaminis; nam ut irent in ditionem Judaicam redirentque quoties vellent, sine dubio iis liberum non erat. More enim eorum qui rerum potiuntur, præsertim ubi coeunt Regni novitas, & regnandi libido, omnem Religionis prætextum in malam partem trahentium, eos qui Hierosolymas adirent Deum colendi gratia, deficiendi à jugo suo consilium tuto inire potuisse judicavit iste Jeroboamus; ac proinde eam iis omnem ademit libertatem. Quid quod tèr quotannis omnes mares ex lege tenerentur se coram Domino ad Templum sistere; cui præcepto si dicto essent audientes, necesse esset ut toties subditis omnibus Rex destitueretur, qui omnes in hostis sui infestissimi essent potestate. Regnum nullum, cui is mos erat duraturum conjecit. Quid ergo ageret? an palam à Jehova ejusque cultu deficeret, populumque in idem scelus pertraheret? Id quidem probabile est hominem nefarium, qui divina omnia humanáque ambitioni suæ postposuit, conaturum fuisse, si spes esset populum apud quem recens & precarium imperium ob-

tinuerat

tinuerat, eo impietatis adigendi. In animum ideo revocat Vitulum iſtum Aaronicum, ac eo modo quem deſignaverat Aaron, Jehovam coli potuiſſe populo perſuadet. 1 Reg: cap: 12. v. 28. *Inito conſilio Rex fecit duos vitulos aureos, & edixit Izraelitis, ſatis vobis ut non aſcendatis Hieruſchalama, ecce dii tuo O Izrael, qui eduxerunt te è terra Ægypti*: iiſdem verbis utitur quibus in ſui vituli dedicatione Aaron. Jehovam autem in vitulis iſtis, quos non Deo ipſi, ſed cultui Hieroſolymitano oppoſuerunt, Jeroboamum, & populum coluiſſe palam eſt. Sublato itaque poſtea per Jehu cultu Baalitico, hoc eſt Solari; huic tamen Deum in vitulis adorandi, uſque ad ultimam & æternam captivitatem, pertinacitèr adhæſit decem tribuum populus.

Hujus Generis fuerunt τὰ תרפים. Primum inter Judæos memorantur Judic. cap. 17. v. 5. Nonnulla de iis diximus in Theologiæ Abrahamicæ enarratione, ad Gen: cap: 31. v. 19. Quid fuerint nondum conſtat. *Imagines ad certum ſtellarum poſitum factæ, cum figuris*, ait Grotius. Humanâ vero figura imagunculas factas fuiſſe, indicat Hiſtoria Michaelis filiæ Saulis, quæ ut nuntios patris ad Davidem occidendum miſſos falleret, Teraphim in lecto ejus poſuit, quorum ſpecie & figura decepti, ipſum Davidem ægrotantem ſe conſpexiſſe arbitrarentur. 1 Sam. cap. 19. v. 13. In ſpeciem oris humani imagines factas fuiſſe ſcribit in Lib. Rad. R. D. K. Modum fingendi refert Elias in Thisbe. *Mactabant*, inquit, *hominem primogenitum, cujus caput torquendo præſcindebant. Caput vero abſciſſum ſale condiebant; ſcribebantque ſuper laminam auream nomen Spiritus immundi, atque ita incendentes candelas coram eo adorabant. Per mortuos vaticinatio*, antiquis familiaris. Ut per viſcera ejus Deos conſuleret, catamitum ſuum Antinoum occidit Imperator Hadrianus, dein retulit Deorum in numerum. *Accenſionis* candelarum coram imaginibus mos apud nonnullos adhuc durat. Teraphim etiam in uſu fuiſſe ad vaticinia elicienda, docet Hiſtoria Sacra. Zech: cap. 10. v. 2. *Teraphim locuta ſunt vanitatem*. Ezekiel: cap. 21. v. 21. *conſuluit Teraphim*. Eo autem modo quem deſcribit Elias conſecrata fuiſſe apud Judæos, Judaicum eſt figmentum; neque enim ii in eorum uſu alium Deum præter Jehovam colere, in animis habuerunt. Genus tantum erant Simulacrorum parvulorum, & portatu facilium, larium inſtar & penatum domeſticorum. Argentum itaque illud ex quo conflata fuere iſta Michæ Idola, affirmat mater ejus, ſe *Jehovæ conſecraſſe ad facienda Teraphim*. Judic. cap. 17. v. 3. Valde etiam Michææ animum oblectabat, quod Levitam in Sacerdotem obtinuiſſet, v. 10. cui perinde fuiſſet ex qua familia eſſet Sacerdos ſuus oriundus, niſi ſtatuiſſet Jehovam venera-

ri

ri. vid.v.13. Teraphim iſta comitabatur *Ephod*; hoc eſt *amiculum Sacerdotale linteum.* Ea duraſſe ad captivitatem narrat Author lib. Judicum, cap.18. v. 30. Poſt captivitatem ſine eis victuros Izraelitas prædixit Hoſeas, cap.3. v. 4. neque enim iis aſſentior qui veri & falſi cultus ibi mentionem à Propheta juxa fieri arbitrantur. Ephod,inquiunt, Domino; Teraphim Idolis. Sed utraque fuere ſuperſtitionis paratura; neque enim Izraelitis licitus magis erat uſus Ephodi, quam τῶν Teraphim.

Huc etiam pertinet Ephod Gideonis, Judic. cap. 8. v. 27. De forma veſtis, nihil opus eſt dicere, cum ea in libro Exodi pluribus deſcribatur. Amiculum erat inauratum: primo victoriæ μνημόσυνον, deinde mutatum in uſum ſuperſtitioſum. Ephod συνεκδοχικῶς ſumi arbitratur Auguſtinus; atque Gideonem omnia veſtimenta pontificalia confeciſſe, quo cultum Dei in civitatem ſuam Hophram pertraheret. Bono forſan zelo, ſed eventu peſſimo.Nam hæc Dei injuſſu inſtituebat; ipſum tamen Deum penitus non deſeruerunt Gideonitæ.

Omnibus nota ſunt quæ attinent ad Serpentem æneum eremiticum; In finem Evangelicum primo erectum, deinde in uſum ſuperſtitioſum tranſlatum, ſummo cum contemptu fregit & abjecit Rex pius Ezechias.

Atque hæc fuere ſi non omnia, ſaltem præcipua Idola, cultuſque falſi media & inſtrumenta, quibus populus iſte in Idololatriam profligatiſſimus,in Apoſtaſia hâc initiati, rejecto primo Theologiæ Moſaicæ fundamento ſe polluit & contaminavit. Fæda Idololatriarum harum colluvie volutantem, & inſanabilem Eccleſiam decem tribuum, 2 Chron:cap.36. v.16. in captivitatem æternam ſine ſpe aut promiſſione reditus, abduci Deus procuravit. De Eccleſia Judaica pauca adhuc dicenda reſtant.

CAP. XI.

Defectionis Eccleſiæ Judaicæ Progreſſus, & Eventus.

PRimum Theologiæ Moſaicæ Fundamentum cultus arbitrarii & Idololatrici introductione repudiaſſe Apoſtatas pluribus oſtendimus; Reſtat ut paucis doceam eos etiam aſpernatos eſſe alia illa ejuſdem veritatis principia quæ parem cum illo primo locum in iſta Theologia occupaſſe, ſimiliter oſtenſum eſt. Juſtificationem gratuitam, & ſalutem æternam Meſſiæ meritis obtinendam & mediatione, docuit etiam iſta Theologia. Temporis decurſu invaluit de juſtitia per opera legis, & ceremonialium rituum obſer-

vationem error perniciosissimus. Hac opinione inflatus contumax populus & sui plenus, magnificè in omnibus & ubivis se extulit, quasi Solus dignus quem Deus curaret. Etiam tandem spreta obedientia morali atque in vitia profusi, in unis sacrificiis & ritibus externis spem omnem collocarunt. Erroribus his perniciosissimis obviam ivit Deus ministerio prophetarum. Sed nec eo à prava propriæ justitiæ opinatione, cujus fermento sæpissimè turgent qui ab omni justitia sunt remotissimi, dejecti fuere; sed ea demum defectionis hujus initialis pars magna fuit.

Messiæ promissum, qui una cum Justitia & pace æterna, novos cultus divini ritus institueret, abolitis istis Mosaicis qui ad tempus directione præstitutum impositi fuerunt, Tertium constituit Theologiæ Judaicæ fundamentum. Absolutam cermoniarum æternitatem somniare incipientes, hujus etiam principii curam abjecerunt.

Hæc erat defectio illa partialis Ecclesiæ Judaicæ, quam septuaginta annorum captivitate corrigere, Deo summa utenti lenitate & misericordia placuit. Postquam enim se à sceleratis istis moribus & erroribus per ministerium propheticum populus divelli passus non est, atque insuper omni injustitia, libidine, rapinis, stupris, homicidiis & oppressionibus esset cumulatus, in eam conditionem redacta est Ecclesia, ut partim ob constitutionem nationalem, partim quia multo maxima pars populi in defectionem consenserat, prorsus impossibilis evasit Ecclesiæ per bonorum seperationem Reformatio. Placuit ideo Deo μετοικεσίαν inferre catholicam, ut omnia quæ ad Theologiæ Mosaicæ observantiam pertinent, ab ipsis quasi fundamentis denuo ordiri posset populus in terram patriam redux.

Hunc itaque finem horrendum nacta est partialis ista Ecclesiæ Judaicæ Apostasia; Urbe ipsa, & Templo, totius cultus solennis sede unicâ ferro & igne vastatis & solo æquatis, populus residuus in captivitatem est abactus, cultus celebrandi totali facta intercisione.

Nondum vero Deus amorem suum omnem erga populum istum expleverat, nondum curam & spem omnem istius Ecclesiæ abjecerat; aliam periclitationem, quod de animabus individuis somniant Rabbini, eam subire voluit.

CAP. XII.

Captivitatis Babylonicæ ad Reformationem Ecclesiæ necessitas; Reformationis Ezraiticæ capita. Synagoga magna restaurata. Ejus origo

go.; Opus. Festum Tabernaculorum restitutum Deo gratum. Reformationis Ecclesiasticæ regula unica. πολυγαμίας repudiatio. Textus Biblici accuratio: punctorum Hebraicorum origo.

OMnem curam Ecclesiæ in captivitatem deportatæ Deum non abjecisse, & ex eventu patuit, & ipse piis per promissa sua fidem fecerat. Quinimo Patri clementissimo pro maximis sceleribus brevis illa μετοικεσία satis erat pænarum. Alius erat eâ durante, longè alius populi istius status, quam nunc est ejusdem populi seperatissimè à Deo disjuncti. Neque enim tum temporis aut verbo scripto, aut Spiritu Sancto, aut ministerio Prophetico, aut Spe reditus certissimâ destitutus erat. Verum uti diximus, impossibile erat ut Ecclesia ista ad bonam frugem recuperaretur, sine totali observationum solennium intercisione. Cum enim Templum Sanctum esset, Urbs sancta, totaque Terra, Sacerdotes ex unâ certâ Familiâ oriundi omnes, Administrationes sacræ ad locum unum alligatæ, maxima parte Sacerdotum populiq; corruptâ & in defectione Apostatica pertinacitèr hærente, transmigratio ex Ecclesiæ sedibus Catholica, Reformationi necessario præstruenda erat. Exacto autem Captivitatis tempore præstituto, populum reducem sub auspiciis piorum Principum, Sacerdotum, & Prophetarum, absolutissimam Ecclesiæ Reformationem, ad normam Theologiæ Mosaicæ molitam fuisse, testantur libri Ezræ, & Nehemiæ, Historici; Haggai Zechariæ, & Malachiæ, Prophetici.

Reformationis autem istius, quam à primario ejus Autore Ezraiticam vocabimus, sex fuere partes solenniores. viz. 1. *Templi instauratio*: 2 *Magnæ Synagogæ institutio*; 3. *Diligentissima Exemplarium librorum sacrorum consideratio*. 4. *Verbi Dei prædicatio sedula*. 5. *Solennis Cuthæorum Excommunicatio*. 6. *A mixto populo separatio*.

Quæ ad Templi Instaurationem pertinent, cum ab aliis ob difficultates quasdam Chronologicas plus satis sint vexata, neque ad institutum nostrum propriè pertineant, præterire visum est.

Secundam partem Reformationis Ezraiticæ, statuimus synagogæ magnæ, quæ celebri fama inter Judæos memoratur, institutionem. אנשי כנסת הגדולה seu *Viri Magni Synagogæ*, Reformatorum istorum usitatissima periphrasis est. Qui de ea plura scire velit, præter Judæos, consulat Martin: Reymand. pug. Fid. part. 2. cap. 4. Petrum Galatin: Arcan: lib. 4. cap. 6. Bodin. de Repub. lib. 6. cap. 8. Baron. Annal. T. 1. A. C. 31. 10. 31. 11. 33. 19. Lorin. ad Numer. cap. 11. v. 16. Casaubon. Exercit. 13. 5. Capell. Vindic. pro Casaub. lib. 3. cap. 2

cunæ: de Repub: Heb: Constant: l' Emper: in Titu. Middoth: cap. 5. Sect: 3.

Synedrium septuagintauniusvirale à Mose institutum erat in Deserto, quod comparatè ad minores Judicum consessus *magnum* communitèr vocant. Illud nonnulli affirmant soli seculo eremitico inserviisse, neq; durasse in terra Cananæa constitutis Judicibus aut Regibus; quos egregiè falli docet Seldenus, synedriorum horum vindex acerrimus; qui tamen non negat ea multoties intermissa fuisse. Synedrium hoc primo in loco restituit populus redux. Sunt fateor quibus ad stomachum nō facit pars hæc eminentissima Reformationis Ezraiticæ, quæq; de ea dicuntur pro figmentis habent Judaicis; ipsi interea credere parati, quicquid Talmud mendax audet in traditionibus fingendis, modò in opinionum quas fovent commodum cedat. Ast uti diximus, Synodi hujus Septuagintauniusviralis origo sacra erat, ab expresso Dei mandato prodiens. Magnos autem viros illos & Prophetas è captivitate reduces, in lege Dei instructissimos, Reformationis omnimodæ zelo flagrantes, cœtum istum absque quo, neque ordinem conservare potuerunt neq; Autoritatem, non restaurasse qui somniant, me rivalem non sunt habituri. Neque enim aliis in rebus officio suo ita defuisse deprehendantur, ut in hoc summæ utilitatis, & ad populi regimen necessitatis instituto, negligentes eos fuisse suspicaremur.

Porro! cætus iste Reformatorum, non à membrorum ejus numero, qui præcisè erat determinatus, sed ob personarum dignitatem quæ eum constituerunt *Synagoga magna* κατ' ἐξοχὴν dictus est. Etenim consessorum plurimi, viri erant θεόπνευστοι, Prophetæ, & Spiritus sancti Amanuenses. Istiusmodi conventum à Diebus Mosis, Ecclesia ista nunquam viderat; nulli ideo mirum videri debet, si ea in sacram praxim reduxerit, quæ à Deo instituta ab ipsis pæne Ecclesiæ primordiis spreta & neglecta jacuerant; atque si divina fretus autoritate, nonnulla constituerit circa ipsam scripturam sacram in omnium fidelium in finem usque mundi usum & commodum. Ecclesiæ reformatio proximè accedit ad institutionem ejus primam. Necesse ideo erat ut omnes isti Prophetæ & viri divini quasi unus essent Moses; magnum enim iis opus & arduum incubuit, quo multarum generationum ruinæ erant reparandæ. Summæ autem diligentiæ, in omnibus ad normam Theologiæ Mosaicæ examussim restaurandis, specimen, uno aut altero documento addere placet.

Primum esto festi Tabernaculorum restitutio, Nehem. cap. 8. v. 15, 16, 17, 18. *Cum invenissent scriptum in lege præcepisse Jehovam per Mosem ut considerent Israelitæ in* T*abernaculis in festo eorum mense septimo* -- *Egressi*

Egressi populus --- fecerunt sibi tabernacula quisque in tecto suo, aut in atriis suis, ac in atriis domus Dei, etiam in platea portæ aquarum, sic cum fecissent, tota congregatio illa reduces à captivitate Tabernacula, & considerent in ipsis Tabernaculis, cum ita non fecissent filii Izraelis inde à temporibus Jehoshuæ filii Nun, usque in diem istum, erat lætitia valde magna. Hoc est quamvis Festum septimi Mensis observaverant, non tamen in Tabernaculis consederant, à diebus Jehoshuæ. Sed quid opus inquies, fuerit institutum antiquatum, quod Samuel Propheta, David Rex, & Josias Reformatorum ante captivitatem maximus omiserant, in usum revocare? Annon ultra tempora Davidica quibus maxime floruit cultus Divini observatio religiosa in Reformatione resipiscere, meræ erat & nimiæ curiositatis? at non ita Deo visum. Ut enim illud eorum officium sibi gratum & acceptum esse testaretur, illico per prophetam non tantum festum illud magnopere laudibus effert, sed insuper ejus nomine cultum Evangelii spiritualem introducendum celebrat, Zech. cap. 14. v. 16, 17, 18, 19. nempe ut inde discerent Pii Reformatores, quanti esset apud Deum pretii omissis aliis omnibus considerationibus ad normam Theologiæ Mosaicæ in opere suo severè & accuratè attendere.

Cum Gentilibus etiam ἀθέμιτον μῖξιν, à diebus Solomonis vix sanctè vitatum è finibus Ecclesiæ Synagogam istam exterminasse mox ostendemus. Sed et altius ascenderunt. Etenim consuetudini antiquissimæ, à Deo vero nunquam approbatæ, plures uxores ducendi, atq; ob causas leviculas eas dimittendi quas legitimis tabulis sibi junxerant, quæ apud totam Gentem ἀπ' ἀρχῶν obtinuerat, se opposuerunt viri Spiritu prophetiæ instructi, Malac: cap: 2. v. 14, 15, 16, *Jehovah testificatus est inter te & uxorem adolescentiæ tuæ, contra quam tu perfide agis, cum sit socia tua, & uxor fœderata tibi; nam nonne unam effecit, quamvis residuum spiritus penes ipsum esset? quid autem unam? quæsiturum semen Dei; --- sibi odio esse dimissionem ait Jehovah Izraelis.* Illustre adversus polygamiam Testimonium, quale alibi in toto veteri Testamento ante captivitatem non extitit. Fateor ambigua esse verba priora v. 15. ולא אחד עשה; quæ variè reddunt Interpretes. *Nonne unus fecit? nonne fecit unum?* κ᾽ οὐκ ἄλλοις ἐποίησεν; *& non alius fecit:* אחד enim cum sit generis masculini, fœminam denotare non posse videtur. Sed vocem fœmininam ab ea derivatam non habet. Nam אחת non est ab אחד quæ אחדת pareret, sed ab את, ut docet R.D. in Michlol. Nil mirum ideo si אחד genere fœminino aliquando usurpetur, prout vi ejus acceptionis neutraliter significat Zech. 11. 7. verba etiam sequentia non alium sensum admittunt.

De uno Abrahamus nescio quid nugatur Targum Jonathanis. Sed verba manifesto interpretanda sunt, aut de unica fæmina initio creata, prout eorum sensum reddere videtur ipse Autor & Scripturæ interpres optimus Dominus noster Jesus Christus; aut de consilio unici Dei, unum marem unamque fæminam matrimonio legitimo jungendi.

Verba etiam quibus de repudiis agit Propheta ambiguitate omni non carent v. 16. כי־שנא שלח אמר יהוה Heronym: *Cum odio habueris eam dimitte dicit Dominus*. Antiqua versio Anglicana; if he hate her, let him put her away. Quam lectionem in margine retinet Tralatio Regia, quæ tamen in alium plane sensum verba interpretatur. The Lord saith that he hateth putting away, ad mentem Spiritus Sancti. Cum enim verba elipticè ponantur, is sensus qui sine supplementis arbitrariis proximus est ut fundant, est amplectendus. Absolute ideo ponitur שלח; & Deus se istud *τὸ mittere* odio habere testatur.

In hunc modum jacta sunt prima Reformationis Ecclesiæ Judaicæ ex captivitate reducis, fundamenta. Ipsissimas Dei institutiones originarias, utcunq; per tot sæcula antiquatas & oblivioni traditas, summa fide & diligentia indagantes, iis sanctissimè adhæserunt.

Sacræ Scripturæ Accurationem proximo in loco memoravimus. Is maximus Ecclesiæ Thesaurus cui sub Dei cura, Spiritusque administratione existentiam suam in terris debet. Hæc totius Reformationis lex unica; quæ ideo primo in loco accuranda. Exemplaria antiqua summa fide servata apud se Ezram & socios propheticos habuisse nemo justè ambigere potest. Eis correctissime describendis, atque mendis ex aliis quæ durante dispersione irrepere potuisse non est impossibile, tollendis, operam summam navarunt. Omnium collationi ascribunt nonnulli initium קרי וכתיב. In toto autem opere usi sunt præsentissimo Dei afflatu & ductu. Literas vero antiquas quibus à Prophetis, ad eorum exemplar quæ Deus ipse primus exaravit, verbum sacrum scripserant Spiritus Sancti Amanuenses, Ezram mutare, nec voluisse, nec debuisse, nec potuisse, nec opus habuisse, ante probavimus. Est & aliud Figmentum quod apud magnos aliquot Viros, secius quam oportuit fidem adeptum est; totam scilicet sacram Scripturam amissam, ab Ezra memoritèr restauratam & scriptis commissam. Mendacium ineptissimum, simul & Blasphemia. Deus ne sirit ut quis in posterum curæ, providentiæ, & amori ejus in Ecclesiam istud convitium faciat.

Ad Textus Biblici accurationem Ezraiticam punctationis Hebraicæ inventionem pertinere viri doctissimi arbitrantur. Illorum sententiæ eatenus accedo, ut eam maximè probabilem censeam. Postquam enim in

Ecclesia

Ecclesia Judaica desierit ministerium Propheticum, alios quoscunque opus illud suscepisse cogitare est Religio. Sive ideo ipsis literis vocales coævas fuisse dicamus, sive ab Ezra excogitatas, perinde est, cum divinam eis originem utraq; sententia ascribat. Sunt autem qui totam punctationem Hebraicam, **ἕυρημα** esse statuunt Rabbinorum post-Talmudicum. Quid autem in causa hâc sentiam, cum instituti ratio id exigat, posse me sine cujusquam hic vel alibi offensione proferre spes est; quamvis haud ita hac ex parte prosperè successit alius conatus, quo glocitantem ab ovo excluso gallinam inscius absterrui.



DE PUNCTATIONIS HEBRAICÆ *ORIGINE DIGRESSIO.*

E*Zram* atque collegas ejus, *Synagogæ Magnæ* Assessores, dum sacras Scripturas accurarent, *punctationem Hebraicam* invenisse, cùm ante tempus istud solis viginti duabus literis consonantibus in scribendo uterentur *Judæi*, virorum magnorum sententia est. Ego quidem illorum opinioni refragari nolo, qui vocales literis coævas fuisse statuunt, neque in eâ pertinacitèr persistere; cum illi etiam qui punctorum originem *Ezræ* ascribendam ducunt, planè divinam fuisse asserant. Nemini ideo post *Ezræ* tempora *punctationem Hebraicam* quâ nunc Dei beneficio utimur, assignandam esse, ea sententia est cujus patrocinium Digressione hâc suscipimus; seu quod eodem recidit, ortum illam habuisse divinum & infallibilem. Sunt enim nonnulli qui *Rabbinos* quosdam *post-Talmudicos* eam excogitasse arbitrantur; nec arbitrantur modo, sed & alitèr sentientes contumeliis excipiendos ducunt. Illorum autem sententiam quo minus examini subjiciam, haud terret immanis quâ utuntur confidentia. Etenim iras, & verba sesquipedalia, quæ quasi veritatis causam agentes, animis fastidio & nimiâ sui opinione elatis, aut studii partium fermento inflatis, obtendunt nonnulli, qui spernere, aut saltem negligere non didicit, exulceratis hisce temporibus veritatis defendendi spem omnem & curam abjicere necesse habebit.

Cùm primùm sanè in hoc sententiarum divortium à Viris doctis

itum

i tum esset, perpauxilli momenti visum est, utcunque lis dirimiretur. *Elias Levita* pænè solus est qui in sententiam de novitate punctationis propendit inter *Judæos*. Is vero cum partem Legis Oralis, quam umbram, aut nubem deperit gens superstitiosissima, illam semper fuisse statuerit, à *Rabbinis* tantum scriptis mandatam, de divinâ ejus Authoritate securus est. Etiam forsan ei perindè erat, utrum à Deo ipso an à Magistris qui tantum non Dei locum occupant, profecta censeatur. Christianorum qui sententiam istam primi amplexi sunt, quæ ex eâ mala ortum ducerent, cogitationibus suis providere non poterant. Postquam autem in temerandis Sacris Scripturis nonnullorum audacia toleranda esse desiêrit, atque indies progrediatur, ne ἀκίνητον nihil tandem aut sacrum in sacris relinquatur, eorum omnium qui debitâ verbi Divini Reverentiâ tenentur, omnes *Hebraicæ* veritatis apices sanctissimè tueri, interesse videtur. Etenim ex uno hoc de *punctorum Hebraicorum* inventione *Rabbinicâ* & arbitrariâ, errore, mala plurima in Ecclesiam Dei, veritati sanctissimæ pernitiem minitantia se effudisse videmus. Hinc singula verba sacræ Scripturæ, seorsim ab omni cum aliis connexione, tanquam totidem opinor signa *Hieroglyphica*, considerari & expendi debere, quidam affirmant; Scripturas sacras in istâ *punctorum* dispositione seu fixatione quâ nunc utimur, à *Judæis* esse corruptas, alii; Hos inter est *Bellarminus*, De Verb. Dei. lib. 2. cap. 2. Textus Hebraici sensum sine punctorum ope à nobis percipi non posse contendit *Johannes Morinus*; atque ideò cùm *puncta* incertorum hominum studio in omnibus fallibili, in nonnullis apertè falso, ortum suum debeant, Textum illum *Hebraicum* regulam & normam fidei esse non posse; Excercitat. lib. 1. cap.2. Ut corrigatur ideò ad exemplar vulgatæ *versionis Latinæ*, optat *Gregorius de Valentia*, Tom. 1. Disput. 5. qu.3. Ἕυρημα istud *Rabbinicum*, non usque adeò perfectum esse, quin melius fieri possit alius, quem honoris causâ, atque ob rationes alias, non nomino. Punctationem à quopiam mutari posse pro libitu suo, modo commodior sensus verborum per istam mutationem eliciatur, alius censet. Addit *Capellus* discrimina plurima inter Textum *Hebraicum* & versiones antiquas, *Græcam* præsertim τῶν LXX, hinc ortum duxisse, quod illa facta sit ante *punctorum* inventionem, ac proindè secuta sit lectionem istam quæ tunc in usu fuit, â qua in suâ *punctatione* multoties recesserunt *Masorethæ*. Vereor autem nè hâc datâ portâ, à curiosis & prurientibus hujus seculi Ingeniis, præsertim si audaciæ accesserit diligentia, majora adhuc opinionum portenta expectari possint. Quemadmodum inter viros doctos lis hæc non ita pridem agitata fue-

rit *Buxtorfium* præsertim & *Capellum*, neminem latet qui hæc nosse curat. Quæ à nonnullis aliis nuper dicta sunt ab iis mutuata sunt penè omnia. Imò quosdam *Rabbinorum* Testimoniis pro *punctorum* novitate nequaquam adeò stipatos incessisse, nisi *Clarissimi Buxtorfii* eousq; arassent vitulâ, ut quæ ille sibi objiciendo protulisset, in usum suum convertissent, compertum satis habeo.

Biennium jam est, & quod excurrit, ex quo Ego Linguâ nostrâ vernaculâ, super hâc quæstione de punctorum origine nonnulla scripsi, & edidi. Ea ita non nemo excepit, prout illum decet, qui ad honorem suum pertinere sentit, maximum aliorum præ se ferre contemptum. Corniculam istam coloribus nudare, quibus fretus nil non sibi arrogat, facilè esset, si ea res jam ageretur. Sed id præsens institutum nostrum non patitur. Neque permittet in molem inexpectatam crescens quod præ manibus opus est, ut omnia quæ ad quæstionem hanc enodandam, litemq; decidendam spectant, quod ab initio statui, hic loci persequar. Rationum ideo momenta quibus nixus in sententiâ de origine divinâ *punctationis Hebraicæ* adhuc persevero, paucis perstringens, atque objectiones præcipuas quibus eam oppugnare nonnulli contendunt examini subjiciens, ad ea quæ de Reformatione *Ezraitica* dicenda restant, pertendam.

Primo ideo ab usu *Catholico*, & Possessione argumentamur. Tanti Thesauri *possessio* non facilè est deserenda. Tota Dei Ecclesia *Punctationem* hanc Scripturarum Veteris Testamenti habet in peculio. Magnum in eo Beneficium situm esse non negabunt sententiæ nostræ Adversarii. Exemplaris ullius punctatione antiquioris nullubi gentium extat monumentum. Nulla ergo adversus *possessionem* afferri potest præscriptio legitima. Conjecturæ sunt quicquid ex parte adversâ dicitur. Verum quidem est, plurima esse exemplaria, atque etiam ab omni retrò antiquitate olim extasse sine Punctis exarata. Nullam verò extare ei tempori coævum, quo novitatis *punctorum* patroni illa inventa esse fingunt, ipsi opinor confitebuntur. Legitima ideo est *possessio*, & à vetustate ritè inducta præscriptio. Est inter *Seldeni* Libros qui nunc in *Bibliothecâ Bodleianâ* asseruantur, Pentateuchus antiquissimus duobus voluminibus pulcherrimè descriptus; versibus autem *Hebraicè* & *Chaldaicè* alternatim, ita ut Textui ubivis adhæreat *Targum*. Ad primum libri aspectum statim deprehendi puncta vocalia addita fuisse & inserta longè post literarum scriptionem. Testantur id scribendi modus, & atramenti color. At vero codicem istum nonnisi aliquot secula post fictam *Rabbinorum punctationis* inventionem exaratum fuisse, plurimis indiciis ostendi

 potest

poteſt. Quamvis autem Argumentum hoc per ſe non ſit ſatis validum ad totam litem hanc dirimendam, ſi tamen graviſſima rationum momenta in Contrarium non proferantur, virium abundè ſatis ad objectiones depellendas, habere reperietur. Nugas *Grammaticales*, unius aut alterius vetuſti Scriptoris de punctis ſilentium, argutationes *ſophiſticas*, conjecturas incertiſſimas, atque id genus alia, ad Dei Eccleſiam ex poſſeſſione hâc ejiciendam ſufficere qui concedet, is facilis eſt, ſi quid ego judico, in cauſâ non ſuâ. Argumenta ideò quæ ad evertendam punctorum originem divinam proferri ſolent, æquali libra, nec hûc nec illûc propendente, cum iis quæ pro eâ militant non ſunt ponderanda; cum ex hâc parte etiam pendeat poſſeſſionis hujus momentum, quod prius loco moveri debet, quam rationes adverſæ, pari paſſu incedere cenſeantur. In rebus autem aliis pauci ſunt, qui tantâ ſocordiâ & negligentiâ laborant, ut facilè ſe ita circumſcribi patiantur, & ex bonis hæredetariis expelli. Agat quiſque quod volet, ego ſane non niſi invitus, & rationibus oppreſſus, de hâc poſſeſſione cedam.

II. Ipſius rei natura ἐξ οὐρανοῦ non ἐξ ἀνθρώπων eam eſſe luculenter oſtendit. θεῖόν τι ubivis ſpirat. Ab initio ad finem uſque librorum ſanctorum, ſui ſimilis, ſibi conſtans, ubique ſincerè & infallibilitèr ſenſum literarum determinans, Spiritus Sancti mentem indicat & enunciat, hæc punctatio. Ἔνστασιν unam in contrarium quæ alicujus ſit momenti æternùm non reddent οἱ ἐξ ἐναντίας. In obſcuriſſimis, & myſteria profundiſſima occultantibus prophetiis, in quibus intelligendis *Judæi* omnes talpis ſunt cœciores, atque ab adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſemper fuerunt, maximè hoc elucet. Nollent ſpero Viri graves & docti, lucem illam quam locis ſacræ ſcripturæ innumeris affert punctatio, incertiſſimarum conjecturarum pretio vendere, niſi adeſſet ἀμαρτία ἀνθολκῆς. Accentus autem quoſdam ſuperfluos eſſe & inutiles, *ſcheva* mutum fruſtrà ſæpe addi, & multiplicari ſine cauſa, atquè iſtiuſmodi λεπτολογίας quas in *Grammaticæ* Reformatione ad *Hypotheſin* ſuam innuit *Capellus*, adeo frivolæ ſunt & ineptæ, ut miror viros doctos iis inſiſtere, in animum ſuum unquam inducere potuiſſe. Uniuſcujuſque apicis in ſacris ſcripturis rationem ſe ritè tenere puto non dicent Viri docti: certè qui mihi dixerunt, ſcriptis ſcilicet & libris editis, apices quoſdam in *punctatione Hebraicâ* prorſus inutiles eſſe, & accentus ſuperfluos, ſcio; at quis, illis idem dixerit neſcio; neque in tantâ cauſâ fidem & authoritatem tricis *Grammaticalibus* & audacibus prætumidorum hominum conjecturis, adjungere animus eſt. Dicunt alii *punctationem Hebraicam*, non uſque adeo opus perfectum eſſe, quin

corrigi

corrigi, emendari, & perfectiùs reddi poſſit. Eos autem cur ſui opinione elatos nimis, aut quo alios faſtidioſiùs contemnant ſcientes volenteſque ſe magnificentiùs quam pro meritis gerere, judicem, cauſæ non unæ ſunt. Agè verò; ſi viri ſint, & placet, vires tentent. Illicò videbimus quantum *diſtant æra lupinis.* Illi, illiuſque ſapientiæ qui *punctionem* edidit, ſi ſe ruperint, nunquam æquabunt. Per inſtantias agant, aut non proderit vana verba effundere, quorum eſt πολὺς νόμος ἔνθα καὶ ἔνθα. Quiſquis ſeriò opus hoc perpenderit, perfectum, divinum, abſolutiſſimum illud inveniet, aliorum operum Dei ſimile, quibus addi nihil poteſt, nihil detrahi. Emendati aut corrigenti dicam; זכר מלחמה אל תוסף

Neque ſanè ego ſatis mirari poſſim, quid doctis hominibus in mentem venerit, iſtiuſmodi opus cui in quoquam emendando impar ſemper fuerit atque etiamnum eſt tota doctorum natio, indoctis quibuſdam nebulonibus, ſubſidiis omnibus cum ſpiritualibus, tùm ſcientiæ ſecularis, deſtitutis, aſcribere.

III. In quæſtione hâc quæ de facto eſt, ipſorum *Judæorum* teſtimonia non minimi ſunt momenti. Omnes hìc idem ſentiunt; *punctationis* ſcilicet originem fuiſſe divinam. Ipſe *Elias Levita* qui pœnè ſolos inter ſuos ſonorum apertorum per apiculos deſignationem *Maſorethis Tiberienſibus poſt-Talmudicis* aſcribere auſus eſt; eam tamen *legis oralis* à Deo ipſo in monte *Sinai* traditæ partem fuiſſe, neque minus ſanctè & illibatè conſervatam, quam ſi à primo ortu ſcriptis commiſſa fuiſſet, ubivis contendit. Sed ſcriptionem ipſam *Moſi* aut *Ezræ* conſtantèr aſſignant, eorum plurimi, & Doctiſſimi. Qui id Teſtimoniis evictum videre velit, adeat Cl: *Buxtorfii diſſertationem* doctiſſimam de *punctationis Hebraicæ origine*, & *Joſephum de Voyſin* in præfatione ſua eruditiſſima, *ad pugionem fidei Raymundi Martini.*

Cùm autem Ego alibi dixiſſem *Rabbinorum* Teſtimonia in hâc cauſâ multum valere, eos ideo ipſi *punctationi* inveniendæ idoneos cenſeri debere, regeſtum eſt. At iniquiſſimæ comparationis iſtius fatuitas ipſa ſe prodit. Etenim rem divinitus factam fuiſſe aliqui teſtari poſſunt, ſaltem neque ſe, neque patres ſuos illam feciſſe, qui reverâ rei ipſi faciendæ omnino impares ſunt & inepti.

Sed ut *Hebræorum* teſtimoniis illudant, contentionem non eſſe dicunt de *Vocalium ſonis* ſed de ſignis tantum. *Hebræos* enim eoſdem ſemper vocalium ſonos quibus etiamnum utuntur, habuiſſe, atque ita linguam iſtam nunquam *vocalibus* fuiſſe deſtitutam, agnoſcunt. Diſcriminis hujus obſervationem ad litem hanc totam dirimendam, tanti momenti eſſe non ita pridem nonnemo arbitratus eſt, ut effranato ani-

mo in me invaserit, quod controversiam hanc enarrans, illius nullam rationem habendam duxerim. Ast ego in quæstione versari utrum *Hebræi* omnes ad tempus usque *Masoretharum Tiberiensium* penitus essent muti, suspicari non potui. Si enim *vocalium sonis* destituti fuerint, muti etiam fuêre, neque unum verbum perfectum eloqui potuerunt unquam. Per literas enim ipsas sine vocalium sonis apertis, nihil profari posse, norunt *qui nondum ære lavantur.*

Eo ideò sensu linguam *Hebræam vocales* habuisse, non tantùm prius quàm cuiquam in mentem venerit illas *notis* vel *figuris* exprimere, sed etiam ante vel unicam literam *consonantem* scriptam aut exaratam, qui rationibus, & argumentis probare contenderit, causâ opus habet sine dubio quâ facilè licet esse disertum. Intereà *punctorum*, non *sonorum* investigamus originem. Sed quoniam causæ suæ interesse judicant novitatis *punctorum* Patroni, ut discrimen illud inter *sonos* & *figuras* vocalium in hujus Quæstionis agitatione diligentèr perpendatur, age concedamus *Hebræos* ante punctorum inventionem mutos non fuisse, sed cæterorum hominum more locutos. Illinc autem quid in causæ suæ subsidium exsculpere possint, adhuc nobis expectandum.

IV. Utilitatem summam, si non absolutam necessitatem *punctorum* atque accentuum, ad Textum Sacrum ritè intelligendum, quoniam alibi exposuerim, nolo hic pluribus narrare. Omnium judicio, qui *Linguâ Hebraicâ* In sacrarum literarum studio unquam usi sunt seriò, ista permitto. Egregium testimonium ex libro *Bahir* in hunc finem profert R. *Bechai*; sec: בשלח Exod. cap. 13. v. 17. דמין נקודתא באתותא דאוריתא דמשה בנשמתא רחיי דאנוש hoc est *sunt puncta cum literis legis* Mosis *qualis est anima vitæ in corpore humano.* Si autē lux illa cælestis quæ ex fixatione & restrictione sensus verborum quibus utitur Spiritus Sanctus, veritati fæneratur, ingenii & arbitii humani effectus esse censeatur, quanta mala indè illicò oritura sunt, quæque fidei præjudicia, nemo facile coniicere potest. Conatus aliquorum quos egessit ista suppositio, ingrata admodum est memoria. Hinc *Textus Hebraici* incertitudinem & obscuritatem, per versiones correctionem instituendam, etiam & conjecturas, si modò quis modeste iis uti velit, ipsorum nimirum judicio, qui ut in conjecturis doctis concinnandis, artifices peritos se ostentent, omnem Dei hominumque Reverentiam abiicere parati sunt, non sine horrore & indignatione justissimâ, conjecturis dubiis, incertis, imo ineptissimis nixos, nonnullos jactantes, vidimus. Pejora etiam adhuc nos pertimescere cogunt prurientia & ambitiosa hujus seculi ingenia. Amoveantur *pūcta vocalia*, Accētus distinctivi omnes, nudæ literæ, seu potius ita nudatæ maneant,

maneant, nulla per librum ullum distinctione adhibitâ, unoquoque vocabulo puncto aliquo prout fit apud *Samaritanos*, aut saltem imaginario, à reliquis divisô, quanta malorum *Ilias*, quanta scandala & pericula Ecclesiam inundarent, illicò pateret. Quia autem omnia ista ita amoveri & abiici possint, imo forsan & debeant si incertorum hominum, *Rabbinorum Judaicorum* ἴυγμα sit tota *punctatio*, ratio nulla quæ alicujus momenti sit afferri potest.

Aiunt vero literas istas אוי quas *matres lectionis* appellant, atque ה ante *punctorum* inventionem vel vocales fuisse, vel vocalium loco usurpatas, quarum beneficio omnibus incommodis istis quæ vocalium absentiam comitari videntur facilè lectores mederi potuerint; *puncta* etiam per *Masorethas Tiberienses* non ad arbitrium seu pro libitu apposita fuisse, atque ideo illorum Authoritate punctationem non niti. Ast ego primùm libenter scirem, utrum eæ solum literæ, quas *matres lectionis* apellant quæ nunc in Sacro Textu apparent in eum finem usurpatæ fuerint, an etiam additæ & insertæ aliis in locis omnibus, in quibus vocis sonus earum præsentiam exigit. Si eas solùm usurpatas olim fuisse dicent, quæ etiamnum Textui adhærent, iisque in locis, vocibusque in quibus persistunt, luce meridianâ clarius est, illas vices *Vocalium* supplere non potuisse, neque defectum earum compensare; cum innumeræ voces sint in quibus neutiquam appareant, neque aliquoties ubi adsunt rectæ pronuntiationi inserviunt, si modó præsenti punctationi fides ulla adhibenda sit? necesse enim esset ut unica א omnes pene sonos apertos per se redderet, quod quam ridiculum esset imaginari nemo non videt. Sin vero dicent olim in Textu multiplicatas fuisse literas istas vocales, atque ad soni vocum normam ubivis scriptas, & E. G. דבר scriptum fuisse דאבאר, scire velim quinam illi fuere qui ausi fuerunt tot literarum millia à Deo ipso & Prophetis in Sacris Scripturis exarata, evellere & abiicere; vel quando id factum fuisse suspicemur? Ut *Judæis* audax hoc facinus adscriberemus non patitur illorum aut Religio, aut superstitio. Eorundem hominum non est, quoties unaquæque litera in totis Bibliis usurpetur sanctè in numerato habere, & tot millia sponte abiicere. Plagæ ideò quam veritatis luci & Scripturarum perspicuitati infligit de *novitate punctorum* sententia novitia, figmentum hoc mederi non vult. *Origenem* autem literarum harum *Vocalium* ope *Hebraicum Textum* characteribus *Græcis* expressisse, quod etiam prætenditur, nullis aut rationibus aut Testimoniis evincunt. Nudis affirmationibus, suspicionibus, conjecturis in tantâ causâ locus ut ullus assignetur, haud æquum est. Ex usu Judæorum, vel ex punctis ipsis Linguæ *Hebraicæ* pronuntiationem discere potuit; ita ut ad Textum *He-*

braicum Characteribus *Græcis* repræsentandum fictitio ipso subsidio & imperfectissimo nihil opus habuerit.

Deinde *Masorethas Tiberienses* non ad arbitrium proprium scripturas punctuasse, quæ Responsionis supra positæ pars altera est, Judæi futili de *Lege orali* traditione freti cum aliqua verecundia & specie probabilitatis prætendere possunt, alii non item, qui scilicet *oralem* istam legem superstitiosorum hominum figmentum esse agnoscunt. Est tamen qui in defensione novitatis *punctorum*, vicies neque sine contumeliis in contrasentientes asserit, *Masorethas* istos scripturam punctuasse secundum lectionem usitatam quæ mentem Spiritus Sancti ritè exhibuit, & non ad proprium arbitrium; Videamus ergo quid hîc rationis sanæ subsit, quod cuiquam persuadeat *Masoretharum* istam fictam punctationem pretio ullo habendam esse. Bibliis inquiunt *puncta affixerunt Masorethæ secundum lectionem tum temporis receptam & usitatam.* Apud quos vero, inquam, lectio illa recepta erat, quæ punctorum affixionis norma constituitur? Scilicet apud illos ipsos *Masorethas.* Eo enim tempore quo facinus hoc factum fuisse aiunt, an Christiani ulli fuerint qui Textum Hebraicum intellexerint, incertum est. *Masorethæ* ergo Biblia punctuarunt secundum lectionem inter ipsos receptam. Ea spes est. Quamvis pessimos eos nebulones fuisse, si qui fuerint, & quidvis pro libitu fingendi audacia perpetuò utentes, alibi ostendimus. Esto vero quod in hoc incæptu expedivit iis esse probos. Quid tum porrò, *genuinum Spiritus sancti sensum lectio ea recepta exhibuit*, *cui in punctis affingendis attendebant.* Istius vero sensus qui quæso Judices erant & arbitri? Ipsi sine dubio *Masorethæ*. Itaque *Masorethæ* non pro arbitrio suo sed secundum Lectionem inter eos receptam, & sensum quem optimum & verum judicaverunt puncta affixerunt. Id ego si negarem, quo modo quæso evinceret Adversarius? An eos fide bona in aliis rebus versatos ostendet? non faciet unquam; An testes adducet; nullos habet; neminem autem unquam ab Historico exegisse juramentum docet nos *Seneca.* Agamus ideo ex æquo & bono, & concedamus quod probari non potest. At vero ista invicem non repugnant: proprio judicio in discernenda lectione vera, & sensus spiritus Sancti investigatione uti potuerint, cum tamen nullam formam aut normam punctationis habuerint, atque ita judices arbitrarii esse operis quod instituerunt, nisi nemo quidquam agere pro arbitrio censendus sit, nisi agat perversè. Aliud quidem esse judicium rigidum, aliud *arbitrium* affirmat *Marcus Tullius* in oratione pro *Roscio.* At nusquam leges *Judices arbitrarios* constituissent, si necesse esset ut qui statuat quidquam pro *arbitrio*, illud

statuat

statuat sine judicio. Nos sanè cum aliquid aliorum *Arbitrio* permittimus, non id volumus ut in sententia ferenda de nobis rebusque nostris animis propriis indulgeant, nulla æqui aut recti curâ adhibita. Cum itaque Ego M*asorethas* puncta Bibliis pro arbitrio affixisse dixerim, nihil aliud intellexi, neque intelligere potui, quam id operis eos confecisse propriis judiciis utentes, confidentesque. Scientia ideo, peritia, judicium & integritas *Rabbinorum Tiberiensium*, quæ omnia vitiosa nuce haud emerem, secundam hanc sententiam, unicum fundamentum sunt præsentis lectionis codicum omnium *Hebraicorum*. Nemo enim est mortalium qui usum exemplarium quæ etiamnum sine punctis exarantur, didicit, nisi ope punctorum. Sed Traditione, inquies, non proprio judicio freti, lectionem à patribus acceptam exhibuerunt in ista sua *punctatione*; verùm quàm fidi fuerint Traditionum custodes, quam periti ineptissimarum fabularum, imo blasphemiarum horrendarum sub nomine Traditionum antiquissimarum consarcinatores, & venditores, quasi id sibi laudi duxissent, omnia veritatis vestigia evertisse funditus, nolo hic pluribus dicere cum res sit manifesta & postea dicetur. Istius ideo Traditionis, cum ipsi si non promicondi, tamen custodes & conservatores propria authoritate constituti essent, nondum liberamur quominus uni istorum nebulonum fidei in lectione totius Textus Hebraici nobis innitendum sit. Dicunt verò porrò veram *Textus* lectionem, non tam *traditione orali* conservatam fuisse, postquam lingua ista vernacula esse desiit, quam ipsa Textus scriptione quæ semper integra mansit. Sed & hoc etiam mihi mirum videtur; neque enim faciles explicatus admittit, quomodo vera scriptioni preservari lectio possit, per scriptum illud quod legi non potest. Libenter enim scirem, cum literæ sine apertorum sonorum seu vocalium usu effari non possint, atq; quidvis significent pro ejus qui sonos istos adjungit libitu, quomodo ex iis dependeat vocalium discrimen, & usus legitimus? Sed istis diutiùs insistere non placet; nè in istiusmodi disputatores iterum inciderem, qui consequentias pernitiosas quas inveheret *inventio punctorum Rabbinica*, cujus patrocinium susceperunt, iis imputanda ducerent, qui de divino illorum ortu sunt securi.

V. Porro! Sententiæ de origine *punctorum* antiquâ & sacrâ vires accedunt & Authoritas ex incertitudine & fluctuatione Authorum sententiæ contrariæ in ortu illorum assignando. *Ezram* puncta invenisse nolunt; Quis ideo operis Author? quando, ubi terrarum vixit? in quem finem opus suscepit; cujus jussu, suasu, aut authoritate? Quem, quos habuit operis ἐργοδιώκτας arbitros, judices; Quid de suscepto

&

& absoluto opere, censuerint, aut statuerint ii, quorum maximè interfuit ut ex amussim perageretur? omnia ista eos ignorare aut ipsi profitentur palam, aut est probatu facile. Commune dicitur opus fuisse *Masorethbarum Tiberiensium*. Nempe sic dixit *Elias Levita*. Seculo post Christum natum *quinto* absolutum fuisse aliqui statuunt, *sexto* alii, *septimo* aut *octavo Morinus*. Quid autem si dicerem *Masorethas* istos *Tiberienses* nullos fuisse, atque hujus sententiæ Authores, quo fingerent puncta à *Masorethis* istis fuisse excogitata, finxisse prius ipsos *Masorethas*? An ex probata ulla historia, ex rerum præteritarum monumentis, me falsi convincerent? sat scio eos non posse. Fateor quidem circa annum 350 cum *Hieronymus* in *Palæstinâ* esset, *Judæos* scholam obscuram & ingloriam habuisse in Urbe *Tiberiadis*. An eò loci duraverint, ad Tempus cui necesse habent opus hoc imaginarium assignare ejus fictores & fabri, incertum est; etiam improbabile. Ea enim erat gentis tum temporis conditio, ut nullubi inter *Romani* imperii fines, quod toties, cædibus, dissidiis, & bellis concusserant magno aliquo in numero diu tuto consistere potuerint. Eo etiam ipso in loco quo opus hoc confecisse dicuntur non longe ante magna clade affecti sunt à *Gallo*, *Constantii* Imperatoris legato. Abs illo tempore, an scholæ ullius *Masorethicæ* vestigium *Tiberiade* hæserit protinus est incertum.

Porro! omnia quorum inter Judæos scientia, aut doctrina unquam ulla fuit, in Oriente circa Babylonem, ubi sedes quietas magis occupaverant, diligentius tum temporis exculta fuerunt, quam in *Palæstina*. Cum per seculum jam unum & alterum æquè penè ac pisces muti fuissent *Rabbini Occidentales*, ex oriente prodiit magnum illud & consummatissimum fabularum & nugarum opus Talmudicum quod *Babylonicum* vocatur. Paucos, obscuros, ignobiles, nullius nominis aut pretii homunciones, aliis ejusdem professionis insciis viris celebribus & inconsultis, tantum opus suscepisse & perfecisse, eorum est credere, qui iis ominibus quæ in causæ commodum cedant, fidem adhibendam facilem habent, & in procinctu. Porro! qui scripta ulla *Judaica* vel à limine salutavit, scit Judæos omnes esse, atque à Rejectione finali semper fuisse insolentissimos rerum à se, suisque, uti sibi videtur præclarè gestarum præcones. Tantum in arena hac sibi semper caverunt; ne vera tacitè præterirent, ut falsa, ficta, inaudita, ubivis promant mentientes impudentissimè. Jam vero inventi hujus divinissimi cui par nihil unquam aut æquale ea gens extulit, altissimum inter ipsos per aliquot secula est silentium. Post mille annos tandem prodiit quidam Elias, qui opus hoc Masorethas quosdam *Tiberienses* excogitasse suspicatur. Nemon' erat qui

qui divini istius artificii ortum inter inventores ipsos scriptis antiquitati committere potuerit, præsertim cum tanta esset ejus gloria & utilitas, ut nullubi terrarum, *Christianus* aut *Judæus*, doctus aut indoctus repertus sit, qui usui, aut perfectioni ejus in parte aliqua, aut in toto, aut in minimo apice contradicere vel voluerit, vel ausus sit? an credibile est tanti conatus, prospero exultantis successu, famam apud gentem traditionum omnium etiam de rebus futilibus & nihili retinentissimam, intra brevis ævi spatium penitus interiisse? Fateor me tantum credulitatis in peculio non habere, undè istiusmodi conjecturarum portentis fidem adhiberem.

VI. Punctationem Bibliorum præstantissimum inventum fuisse, nemo opinor negabit. Plane dicendum, *nil oriturum alias, nil ortum tale.* Immortale beneficium in ejus usu accepit Ecclesia. Viri docti sunt qui statuunt, eam ad veram sacrarum literarum intelligentiam absolutè prorsus & indispensabiliter esse necessariam. *Sine punctis* inquit *Marcus Mann:* in præfatione sua ad *Lexic: Hebræ: nulla certa doctrina de hac lingua tradi potest; cum omnia possint diversimodè legi, uti futura sit major confusio unicæ hujus linguæ, quam illa Babylonis.* Et *Rodulphus Cevallerius* de Rudimentis linguæ Heb: Cap. 4. *Quod superest de vocalium & Accentum antiquitate eorum sententiæ subscribo qui linguam Hebræam tanquam omnium aliarum ἀρχέτυπον absolutissimum, plane ab initio scriptam fuisse confirmant; quandoquidem qui contra sentiunt, non modo authoritatem sacræ scripturæ dubiam efficiunt, sed radicitùs meo quidem judicio convellunt, quod absque Vocalibus & distinctionum notis nihil certi firmique habeat.* In eadem sententia est *Franciscus Junius* Animadvers: in lib: 2: Cap. 2. *Bellarmini de Verbo Dei*; Ubi ex *Johanne Isaaco*, ex Judæo Christiano, *eum qui scripturas sine punctis legere aggreditur, equo ἀχαλινώτῳ comparat.* Non dicam quæ de Jovinianis literis Hieronymus, post alium quendam de Plautinis; *has præter Sybillam leget nemo*; possum autem illud Poetæ usurpare, δεινὸς δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται; ita undiquaque in nudis literis se offerunt difficultates. Et notatu digna sunt quæ habet *Engelbertus Engles* in præfatione sua ad lexicon *Valentinii Schindleri*; *sunt* inquit *multi doctissimi clarissimique viri, qui ideo quod quidam Judæorum Rabbini longe post 22 Alphabeti literas puncta ab hominibus inventa esse asserunt, uno eodemque tempore cum consonantibus Hebræorum vocales non extitisse existimant; verum loca scripturæ è multis pauca modò enumerata, si attentius considerentur, perspicuum evadet puncta una cum 22 literis aut orta esse, aut scripturam olim ceræ instar, nunc in hanc partem, nunc in illam fuisse flexibilem.* Et *si puncta ab hominibus sunt*

 inventa,

inventa, sequitur necessario, scripturam hoc nostro tempore authoritatem habere non divinam sed humanam. Inde illud Aben-Ezræ in *Statera Linguæ Sanctæ* כל פירוש שאינו על דרך הטעמים לא תאבה לו ולא תשמע אליו hoc est; *quæcunque expositio non fuerit juxta rationem accentuum, ne acquiescito ei, neque audeas eam.* Similia habet aliis in locis; addam tantum quæ habet Com: in Exod: cap. 20. v: 1. דע כי המלות הם כגופות והטעמים הם כנשמות והגוף לנשמה כמלבוש; *scito dictiones esse quasi corpora, & accentus quasi animas; corpus autem est animæ quasi vestimentum.*

Idem sentit Theologorum qui in hac Palastra excercitati sunt, pars longè maxima. Concedunt quidem libentèr *Pontificiorum* nonnulli *Textum Hebraicum* semota punctatione, aut non omnino, aut vix & imperfectè admodum intelligi posse. Deinde magnorum quorundam Virorum qui in scriptis suis obitèr & aliud agentes, omnibus quæ ad causam hanc spectant neutiquam pensitatis, sententiam in ea præcipites nimis tulerunt, concessiones in rem suam audissimè rapientes, mirum quanta audacia sacram veritatem Hebraicam triumphent tanquam inutilem & vix aut ne vix quidem intelligibilem. Imò non desunt qui illis, qui divinam punctationis originem firmissimè credunt, eò quod ex illorum sententia qui ortum illius *Rabbinicum* statuunt, eam posse, etiam & forsan debere è medio tolli afferant, dicam grandem impingunt, quasi in sacras scripturas injuriis & id molientibus unde multũ Textus perspicuitati decederet. Eadem ratione *Socinianus* quispiam me Christum cultu Religioso adorandum esse negare dixerit, quia negem eum ita adorandum esse, nisi esset summus ille & unicus Deus, cum ipse persuasissimum habeat eum Deum illum summũ non esse. In hoc igitur omnes viros doctos suffragatores habemus; tanti scilicet ad verum & genuinum sacræ scripturæ sensum percipiendum momenti esse punctorum vocalium, & Accentuum usum, ut iis remotis, omnia pæne mira confusione turbata, incerta sint futura. Verum quidem est, eos qui veram *Textus lectionem* ope punctationis sunt assecuti; atq; notitiam ejus sensus quem verba punctata, & loca accentibus distincta effundunt, retinent, aliorũ mediorum ope in studio Scripturarũ multum proficere posse. Supponamus verò puncta ista excogitata nunquam fuisse, sensum & intellectum omnem quem eorum beneficio è Sacris Scripturis hausimus ullo modo vel immediate, vel mediantibus aliorum studiis & laboribus abiiciamus penitus; nudas literas accedamus præconceptarum sententiarum vacui; illicò videbimus in quantas difficultates, incertitudines & tenebras simus conjecti. Cum enim uniuscujusque Arbitrium, pronuntiationis vocum, lectionis sententiarum, *pausarum* & distinctionum omnium norma constitutum

stitutum fuerit, quis prohibebit quin in lites inextricabiles & perniciosas statim inciderit tota Doctorum natio. Ἐξαγώνιον illud verbum Dei unicum erit μῆλον ἔριδος. An ἀκίνητον quidquam & indubitatum in eo relinquerent superba & luxuriantia ingenia, scientiæ opinione pertumida aut de Doctrinæ famâ laborantia, planè incertum; imo potius nihil tale relictura, pænè certissimum. *Punctatione* hâc nituntur omnia illa media quibus in linguâ istâ addiscendâ utimur, etiam profectus in solidâ illius cognitione adjumenta plurima. Istis omnibus (non hac aut illa conjugatione prout *Capello* placet, cum omnium eadem sit ratio) abjectis, sine quorum ope & beneficio nè *Judæi* ipsi qui toti sunt in linguæ hujus studio aliquid certi cui inniterentur haberent, litibus æternis non tam lata fenestra, quam porta decumana certissimè aperietur. Quisquamne enim pæne est hominum paulò doctiorum, qui non verecundaretur, quemque ignaviam suam non tæderet, si nihil novi excogitare possit, quod se judice & teste conduceret ad veram & genuinam Sacræ Scripturæ lectionem emendandam, & sententiarũ distinctiones ritè figendas & constituendas? Neminem autem illicò inventum iri censebimus, qui, ut se Artificem illo præstantiorem, aut in conjecturis doctis concinnandis peritum magis ostentet, molimen ejus deiiceret? Hospes sit oportet in omni re literariâ, *criticâ* præsertim, qui alitèr sentit. Sed nihil opus est, inquiunt, ut præsens lectio aut punctatio in quoquam mutetur. Ast, inquam, Ego ut opus aliquod ita sacrũ habeatur, ut illud in quoquam mutare, aut quidquam in eo novare nemini jus sit, illud necesse est ut ei accidat vel ab operis ipsius præstantiâ, vel insuper à summâ & inviolabili Authoris Authoritate. Ubi sola præstantia & ratio operis prætenditur, æquum est ut præstantia & ratio illa accuratè & diligentèr perpendantur, undè constet haud frustrà obtendi. Instituto autem examine, ea quæ rationi rectæ minus congruere videntur, abiicere, examinatori integrum est & liberum. Quominus autem in hâc causâ ita fieri debeat nihil est quod vetat. *Commentum* hoc *punctationis* præstantissimum quidem esse dicunt, atque iccircò non facilè in quoquam reiiciendum. Bene habet; sed libero examini ob præstantiam non eximitur; nihil minus; imo ubi per mutationem illius lectio examinatoribus judicibus verior, aut sensus commodior elici potest, cum per meritum tantum examini subjectum locum suum tueatur, non modo licita sed etiam necessaria erit ista mutatio. Hic vero de omnibus sententiis, imo de unoquoque vocabulo dici debere palam est. Age igitur vires tentent, totam vim δοξαστικὴν hîc exhauriant Critici, conferant huc Annotationum plaustra, condant novalectiones, sensus novos, abiit, periit, navem ascendit fidissimus iste veri-

tatis facræ custos, receptæ scilicet lectionis Reverentia. Multa, fateor, à novitatis punctorum patronis proferuntur, in Solutione Argumenti ab impossibilitate, linguam istam dicendi, & sensum Scripturæ pluribus in locis genuinum assequendi, semoto punctationis beneficio, ducti. *Johannes Morinus* rem ita se verè habere fatetur, ac impossibilem planè linguæ hujus cognitionem accuratam; illosque ridet qui *Masorethas* punctatione suâ rectam linguæ pronuntiationem observasse arbitrantur. Verum est *linguam Hebræam* vocibus, ad alias linguas comparatam, paucissimis contineri. Ast illinc haud facilis, aut disci expedita redditur. Etenim quamvis voces seu dictiones paucæ sint, multæ tamen sunt ejusdem significationis; & nulla pene est quæ non plures admittat; plurimæ, multas. Eædem literæ varias, sæpe diversas plane significationes exhibent. דבר notum est. שלמה *Solomo* est, & *perfecta*, & *retributio*, & *vestimentum*. Innumera istiusmodi exempla peti possint ex quolibet linguæ hujus *vocabulario*; & *concordantiis*. Dum sane vernacula esset, & ab innumera hominum turba quotidie prolata, non difficile admodum erat uniuscujusque vocis vim rite percipere, & usu retinere. Cum autem in usu communi esse desierit, & nemo homo esset, cui patria erat & vernacula, totaque in uno libro asservaretur, ut recta ejus pronuntiatio continuaretur, nisi ex Textus Libri ipsius consideratione, planè est impossibile. *Græcam* linguam accentibus olim caruisse, nonnulli urgent; & tamen intellectui satis expositam. Sed qui Accentus *Græcos* cum punctis & accentibus *Hebraicis* conferendos statuit, is neque horum, neque illorum usum aut munus in alterutrâ linguâ, satis percipere videtur. Lingua Græca illam habet amplitudinem, ut omnia pene in ea redundent. Deinde tanta est in ea regularis vocum variatio, atque ex se invicem in constructione dependentia, ut accentus parum aut nihil ad orationis intelligentiam conducant. Paucissima sunt verba quæ in *temporibus* quibusdam, literis iisdem constantia, per accentus sensibus distinguuntur. In Hebræa omnia alitèr se habent; minima est vocum variatio; dependentia in orationis serie rara & abrupta; elleipses frequentissimæ, vocum ambiguitas penè infinita. Et tamen in ipsis Græcis, ubi vox vere ob defectum accentus, quod non sæpe accidit, dubiæ est significationis, labi haud est difficile. Exemplum sit magni Hieronymi παρόραμα· Scripsit Eusebius in Chron. ad N: MCCCCXXVI. ΕΠΙΜΕΝΙΔΗΣ ΤΑΣ ΑΘΗΝΑΣ ΚΑΘΑΙΡΕΙ· Vertit Hieronimus, *Epimenides Athenas subvertit*; pro *Lustrat:* cum dubium est utrum καθαιρεῖ an καθαίρει legendum esset; sed res nota est ex historia; non enim subvertit, sed Sacrificiis lustravit terram Atticam Epimenides. Etiam, quod nonnulli putant, ipsum Aristotelem fugit

fugit verus sensus dicti proverbialis cujus meminit, III Nicomac. cap. 5. οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδ' ἄκων μάκαρ. Cum per πονηρὸς improbum intelligat, accentu in ultima; cum sine dubio πόνηρον accentu in prima hoc est ærumnosum & laboriosum intelligat diverbium. Nam πόνηρος & μάκαρ rite opponuntur; πονηρὸς & μάκαρ neutiquam. Eadem est ratio, eadem etiam significatio vocis μοχθηρὸς quæ improbum, & μόχθηρος quæ eum qui ærumnosam vitam agit, significat. utraque vox μοχθηρότατος reddit; unde quæstio ista ex ambiguo apud Athenæum Deipnos. octavo. Stratonico proposita. Τίνες εἰσὶν οἱ μοχθηρότατοι τῶν ἐν Παμφυλίᾳ. cum Pamphyliorum, & misera esset vita, & latrociniis infamis. Imo maximos viros aliquoties verborum sensu deceptos fuisse, ubi vox ambigua nullo accentu distincta, occurrit, quamvis attenta totius περιοχῆς consideratio sensum unum præcisè exigere videatur. exemplo sit ipse Marcus Tullius, post homines natos Græcè & Latinè doctissimus. Is Tusculanarum primo, verba Leonidæ ad Lacones contra Xerxem ita pugnaturos, ut crederent se sine dubio morituros in prælio, ita refert; *pergite animo forti, fortasse apud inferos cœnabimus.* ἄριστον est prandium; significat etiam bello optimum, seu fortissimum; ab ἄρης diductum. Diodorus autem Siculus Lib. sexto ait Leonidam eis præcipisse ταχέως ἀριστοποιεῖσθαι, dixit ἀριστᾶτε, vel ἀριστοποιεῖτε ταχέως; hoc est *propere prandete.* hunc sensum ἀντιθέσεως ratio exigit; scilicet *Cœnaturi apud inferos.* Ad oppositionem autem Cicero non attendens, & ἀριστᾶν accipiens quasi diceretur ab ἄριστον, quod virum fortem significat, transtulit, *animo forti pergite*; sunt ad manum ὁμοίωσεις aliæ, sed malè instituta comparatio non permittet me diutius iis insistere. Dices forte an authoritati etiam eatenùs niti punctationem, ut nefas sit penitus eam abjicere. Ab authoribus autem nec aliunde omnem habet authoritatem. Ut illuc ideò quò pertendimus, veniamus: quinam juxta illorum sententiam, qui punctationis originem divinam oppugnant, ejus fuerint Authores, paucis considerabimus.

Qui ab *Ezrâ* Biblia punctata fuisse negant, uti anteà diximus, id operis uno ore assignant *Masorethis* quibusdam; seu *Rabbinis Judaicis Tiberiensibus.* In tempore designando contrarias tenent sententias. Post absolutum utrumq; opus *Talmudicum*, quod huic punctorum εὑρήματι prævium statuunt, *Masorethas* aliquos *Tiberide* vixisse conjiciunt; idoneo enim ullo argumento aut Testimonio probare non possunt. Scholam quidem eo loci aliquot antè seculis, *Judæos* habuisse fatemur, desertam vero & desolatam tum cum *Talmud Babylonicum* confectum est; fuisse dicimus. Demus verò, quoniam id nimis vellent viri docti, *Rab-*

binos

binos aliquot *Judaicos*, plures pauciore∫ve tùm temporis *Tiberiade* vixi∫∫e; qui quale∫ve fuerint, quidque illorum doctrinæ, judicio, integritati, a∫cribendum ∫it, nihil injuriosè de ∫amâ illorum detrahentes, de∫piciamus.

Nolo Ego hic ea repetere, quæ alibi ∫cripsi de *Judæorum* po∫t Templi ∫ecundi & finalem gentis à Deo rejectionem ∫tatu conditione, & obduratione horrendâ. Præ∫enti in∫tituto ∫atis faciamus ea ∫ubjiciendo, quæ cum omnibus nota ∫int, à nemine negari po∫∫unt. Maximum olim Judæorum privilegium fui∫∫e, ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ θεοῦ narrat Apo∫tolus ad Rom. cap. 3. v. 2. Illo autem jamdudum exciderant: neque enim eorum curæ, aut fidei, Verbum ullatenùs ampliùs e∫t commi∫∫um. Etenim fœdere divino Patribus eorum Verbum erat concreditum, I∫a 59. v. 21; illo cum per infidelitatem excidi∫∫ent, atque Dei populus & Eccle∫ia e∫∫e de∫ierunt, ip∫ius verbi non ni∫i malæ fidei po∫∫e∫∫ores e∫∫e cæperunt. Cum jure ad u∫um Verbi legitimo, Spiritum Sanctum etiam ami∫erunt penitus, eodē ∫cilicet fœdere promi∫∫um. Quid autem in, vel circa Dei Verbum ab illis quibus nullo modo e∫t concreditum, atque Spiritu de∫titutis, expectari debeat facile e∫∫et o∫tendere, ni∫i i∫ti horrendo e∫∫ent exemplo. Illotis manibus, con∫cientiâ & mente impuris ad ∫ancti∫∫imum Dei verbum accedentes, omnia ∫acra fœdè contaminant ip∫i ab omnibus contaminati; etenim μεμιασμένοις καὶ ἀπίστοις οὐδὲν καθαρὸν ἀλλὰ μεμίανται αὐτῶν καὶ ὁ νοῦς καὶ ἡ συνείδησις; uti de illis ip∫is loquitur Apo∫tolus ad *Titum* cap. 1. v. 15. Deinde eatenùs à vero Spiritus Sancti in Verbo ∫en∫u percipiendo ab∫uerunt. ut toti veritati quæ in libris i∫tis quos manibus quotidiè terebant unicè continetur, ob∫tinatè, præfractè & pertinaci∫∫imè ∫e oppo∫uerint. Quicquid in totâ ∫cripturâ ad Dei gloriam, quicquid ad propriam ip∫orum ∫alutem pertinet, id omne iis maximo odio fuit & abominationi. Imò à tempore *Rabbi Judæ* principis qui *Mi∫hnam* compo∫uit, & deinceps, novam quandam Religionem ∫uper∫titio∫i∫∫imè coluerunt, abs illa Patribus præ∫criptâ, ∫eu *Theologiâ Mo∫aicâ* planè alienam; Chri∫tianæ, cui illa altera famulata e∫t, è diametro oppo∫itam. Etenim horribile Dei maledictione, ob repudiatum & occi∫um Filium ∫uum ∫ancti∫∫imum, mundi Servatorem, continuò pre∫∫i, novis ∫celeribus à nexu e jus & pœnâ nequicquam ∫e expedire ∫atagerunt; ∫tupidi intereà, bonarum artium omnium, & ∫cientiarum, hi∫toriæ omnis, omniemque in vitâ humanâ utilium ∫upra fidem omnem ignari∫∫imi. Maximos eorum magi∫tros genus hominum fui∫∫e ineptum, futile, delirum, magicum, idololatricum, ∫uper∫titio∫um, indoctum, pravum, docet utrumque *Talmud*; in portentosis

tosis autem fabulis excogitandis ità occupatum, paritèr in arenam descendisse videantur mentiendi certamine invicem se superaturi. Qui ab istiusmodi homuncionibus propudiosissimis, vanis, stultis, mendacibus, maledictis, atque Deo exosis, *Punctationem Biblicam* prodiisse, atque illicò ab omnibus *Judæis* & *Christianis* sine ullo examine prævio, aut hæsitatione quacunque, in normam lectionis omnis, cùm privatæ tum publicæ, etiam & expositionum & interpretationum omnium, receptam & adhibitam sibi persuaserit, credulitatem suam sine me rivali solus est habiturus.

Scio quidem viros doctissimos, Argumentis aliis, atque pluribus in hâc causâ usos esse; mihi quæ apud me ejus sunt momenti, ut abs eâ sententiâ quæ eorum Authoritate munita est discedere non possim, nolim, breviter indicasse l sufficiat. Habent etiam Viri Docti qui originis punctationis *Rabbinicæ* patrocinium susceperunt, quas sententiæ suæ obtendunt rationes, quæ consideranda restant.
Primo autem in loco *magnorum aliquot virorum nomina* quibus potior est sententia quæ punctorum novitatem astruit, recensent. Centum verò aut eo circiter ab hinc annis, impossibile fuisset cuiquam hoc Argumento uti. Vix seculum est, ex quo percrebuit audax hæc conjectura; neque tantum stabilitatis habet, quin minori temporis spatio spes est ut evanescat. Quamvis autem is sim quo nemo doctorum hominum nominibus libentiùs assurget, quo minus tamen hîc loci in Argumento quod abs aliquorum testimonio sumitur multùm desudem, causæ non unæ sunt. Cum enim haud minora nomina, nec tenuiori in re literariâ famâ Viri celebres desint, quos istis facillimum esset opponere, nullam ex istiusmodi non tam Testimoniorum quam hominum conflictu, litis hujus decisionem sequi posse, prudens lector judicabit. Præterea Viros doctos non eâ diligentiâ, quæ par est, in Authoribus citandis semper uti comperior. Exemplo sint qui *Valentinum Schindlerum* laudant quasi sententiæ de inventione punctorum Rabbinica astipularetur; qui in voce שבל ostendit se judicasse ea etiam *Ezræ* seculo fuisse antiquiora. Aliqui dubitant; alii obitèr & aliud agentes litem hanc transigunt; qui data opera sententiæ istius defensionem susceperunt opidò pauci sunt. Eorum vero nonnullos qui merito suo magni nominis in Theologia & Ecclesia Dei fuere dum viverent, atque adhuc sunt apud non ingratos posteros, si prospicere potuissent in quem finem quidam verbis eorum uterentur, non nisi accuratè pensitatis rationum momentis quidquam in causa hac pronunciaturos fuisse arbitror.

Secundo

Secundo, *dicunt antiquas literas Hebræas Samaritanas fuisse; Samaritas autem puncta vocalia nunquam habuisse; ideoque neque veteres Hebræos.* R. Nisi Viris doctis, ad sententiam suam confirmandam argumenta deessent, incertissimis istiusmodi conjecturis haud dubio non niterentur. Literas antiquas *Hebræas* eas ipsas fuisse quæ etiamnum in usu sunt inter *Judæos* superius probavimus. Etiam incertum plane an *Samaritæ* olim in scribendo punctis vocalibus usi sunt. Usos fuisse affirmat Postellus. Neque est cur quisquam miretur excellentis istius Artificii usum & perititiam, stultum populum istum amisisse. Porrò! esto, quòd *Ezra* literas antiquas repudiaverit, novis vel excogitatis, vel aliundè mutuatis: quâ quæso indè ratione sequi videatur, eum novarum istarum literarum inductione, puncta etiam non invenisse? Sed quoniam Argumentum hoc ipsi tandem qui eo prius usi sunt tanquam imbelle & inutile abjecerint, causa nulla est cur illud ulterius persequerer.

Tertio; *dicunt, Judæos in synagogis librum legis sine punctis scriptum quem tantum non adorant Mosis authographum repræsentare affirmant, asservare; Israelitas etiam in China inveniri, in quorum libris antiquissimis puncta non apparent, cùm eorum nonnulli, sexcentis ab hinc annis scripti fuerint; undè constare aiunt non Mosen aut Ezram, sed Rabbinos posttalmudicos punctationis Hebraicæ artificium excogitasse.* R. Argumentum hoc quàm levis, imò nullius sit in hâc causâ momenti, alibi ostendimus. Responsionum capita hic tantum transigemus. Dicimus ideo primò, praxim istam *Judæorum Catholicam esse*, seu toti Genti in omnibus ubivis Synagogis communem, nullo idoneo Testimonio probari; nostra autem nihil refert quid pauci *Judæi Occidentales* in Synagogis suis faciant; cum nos penitus lateat, plurimorum, & celebriorum praxis. Secundo, neque *antiquam* esse quisquam adhùc ostendit; consuetudinum illarum *synagogicarum* pleræque superstitiosæ & Idololatricæ, plurimæ novitiæ sunt, *post-Talmudicæ* omnes.

Tertio; Ipsi *Judæi*, saltem eorum plurimi doctissimique, constantèr negant se praxi istâ docere velle Biblia antiqua punctata non fuisse, cùm ipsi adhæreant sententiæ de punctationis totius divina origine. *Quarto*; liber iste *synagogicus* quamvis puncta non habeat, habet tamen קרי וכתיב quæ non magis à *Mose* fuisse, quam ipsa puncta concedent qui utuntur hoc Argumento. Aut verò non probat codex, seu mos potius quorundam Judæorum, puncta non esse literis coæva, aut probat קרי וכתיב Textui ita esse. *Quinto*; dicunt qui in rem suam praxin hanc *Judæorum synagogicam* audissimè arripiunt, *Rabbinos* ob duplicem causam puncta excogitasse; primò scilicet ut lectio Textus sacri redderetur magis

gis

gis expedita; atque aliis æquè ac ſibi facilis; [deinde ut nonnulli qui minus docti eſſent, eorum ope Textum Biblicum legerent in ſynagogis; ipſi ideo concedunt codices punctatos olim in ſynagogis legi ſolitos. Imo certiſſimum eſt antiquitùs Judæos ἑλληνίζοντας *verſione* legis *Græcâ* in ſynagogis uſos fuiſſe; ità ut ex modernâ hac nonnullorum conſuetudine nihil certe colligi poſſit. *Sexto*; conſuetudinis hujus rationes alias reddunt ipſi Judæi; earum nonnullas nos alibi ex *Azariæ Imre Bina*. cap. 59. recenſuimus. Qui vero regulas iſtas viginti & unam perpendet, quas in deſcribendo codice qui in ſacris *Synagogicis* uſurpandus eſt, neceſſario obſervandas eſſe ſtatuunt Magiſtri, facilè perſpiciet eos non ſine cauſa codicem non punctatum uſurpare, cum planè impoſſibilis ſit regularum iſtarum omnium in punctis deſcribendis accurata obſervatio. Præcipua autem ſi non unica conſuetudinis hujus ratio in eo conſiſtere videtur, ne quis ſcilicet in ſynagogis publicè legem legere præſumat, donec uſque adeò peritus ſit, ut omnia puncta cum *vocalia* tum *accentualia*, exactè obſervare poſſit in codicum lectione, quibus non exarantur. Nam librum iſtum recitantes, non ſolum omnia puncta vocalia diligentiſſimè pronuntiando diſtinguunt, ſed unumquodque etiam vocabulum ad accentuum modulationem cantillant. Alia etiam ratio, forſan omnium veriſſima, quam & nos alibi indicavimus, hujus conſuetudinis, colligi poteſt ex eo quod veriſſimè pronunciat Johannes Morinus, Grammat. Samaritan. cap. 15: *Scriptura* inquit *ejuſmodi longè pluribus ſenſibus obnoxia eſt quam quæ dictiones cum ſuis vocalibus omnibus deſcribit, atque ideò myſticis interpretationibus quæ ex ſola traditione* πατροπαράδοτῳ *diſci poſſunt alia longè fertilior.* Denique, eſto quod per librum hunc *Moſis* αὐτόγραφον ſe referre velle dicant; quod eorum nonnulli fingunt ad unius vocis inſtar, abſque ullâ verborum diſtinctione exaratum fuiſſe; at *Ezram* Biblia non punctaſſe inde nullo modo ſequitur; Nihil ideò omnino ad litem hanc dirimendam confert iſta Judæorum praxis.

Quarto; Adducunt Teſtimonium *Eliæ Levitæ*; qui circa annum 1520 in *Germaniâ* vixit. Is non tantum apertè affirmat *Maſorethas Tiberienſes poſt-Talmudicos* puncta inveniſſe, ſed pluribus argumentis id probare ſatagit. Quid quæſo deinde? *ergo ſententia iſta veriſſima eſt*. Quid ita? ob quam enim cauſam majoris apud nos Authoritatis eſſe debeat Unus *Elias* quam alii plurimi, ætate illo longè priores, doctrina haud minus celebres? facile eſſet illius Teſtimonium non tantum numero, ſed & pondere aliorum obruere. Sed Ratio, inquiunt, non deeſt cur unius *Eliæ* potior debeat eſſe Authoritas, quam aliorum omnium ejuſdem profeſſionis Magiſtrorum contraſentientium. Quænam autem illa? *Judæi*,

inquiunt semper gestiunt ea omnia sibi suisque ascribere quæ in Gentis honorem ullatenus cedant. In eum finem impudentissimè nullubi non mentiuntur. Istis ideo in propriâ causâ loquentibus fides nulla est adhibenda. Ast vero cum Elias eam sententiam amplectatur, quæ Antiquitati atque adeò Punctorum honori multum deroget, non nisi veritatis vi coactus in eam discessisse putandus est. Sed longè alitèr se res habet. Post natum nomen *Rabbinicum* nihil unquam aut ab istis, aut à totâ gente factum est, quod cum præclaro hoc invento comparari possit. Quid quæso magnificentius fingi poterat in gentis honorem, quam eorum nonnullos eâ fuisse sapientiâ & sensûs scripturarum periciâ instructos, ut potuerint, eâ vero sanctitate & fidelitate, ut voluerint *punctationem biblicam*, opus omnium consensu consummatissimum & utilissimum quod post homines natos in lucem prodiit unquam, invenire, & proferre? Ausim dicere Adversarios omnes *divinæ originis punctorum* lubentissimè concessuros, totam gentem Judaicam, ex eo die quo à Deo rejecti fuerunt, nihil unquam aut suscepisse, aut perfecisse, quod cum illorum inventione conferendum sit. Non negarem magistrorum nonnullos postquam *philosophiæ Peripateticæ* à Saracenis in lucem & usum hominum recuperatæ, operam dederunt, ineptire desiisse, atque ea scripsisse quæ aliquo cum fructu legi possint. Antiquiores autem omnes *Mishnicos Talmudicósque* nihil præter deliria, somnia, fucos, mendacia, consarcinasse & evulgasse, consentiunt docti omnes, & res ipsa testatur. Punctationem summo cum Judicio, Conscientia, Veritatis amore & cognitione sacris literis affixam esse, nemo est, quod sciam, qui negat. Nihil ergo est quod in gentis totius, in *Magistrorum Tiberiensium* honorem æquè cedat, nihil quod æquè Christianos omnes Rabbinis in servitutem manciparet, ac *figmentum istud Elianum* de inventione punctationis Rabbinicâ. Et sanè admodum probabile est non aliam ob caussam in eam sententiam delatum fuisse *Eliam*, quam quia probè intelligeret, eâ semel admissâ & stabilitâ, omnes sacrarum literarum studiosos necesse habere agnoscere se immortali beneficio Rabbinis istis Tiberiensibus devinctos esse.

Addunt prætereà Testimonium *Aben-Ezræ*, cujus major est Antiquitas & Authoritas. Is verò Comment in Exod. cap. 25; hæc verba habet. *Vidi in libris quos examinarunt sapientes Tiberiadis, de quibus jurarent quidam ex senioribus eorum quod ter diligentèr consideraverunt omnem dictionem, omnem punctationem, & unamquamque vocem plenam & defectivam, & ecce scriptum erat jod in dictione* חיישה *sed non sic inveni in libris Hispaniæ & Galliæ nec in ultramarinis.* Facilè perspicient lectores

lectores eos Testimoniorum penuriâ admodùm laborare, qui istiusmodi producunt, quæ tantum absunt ut sententiæ quam assertam vellent, suppetias ferant, ut planè confirment contrariam. Dicunt, fateor, *Tiberienses, codices istos examinasse ut scirent utrum punctatio exactè responderet veræ pronuntiationi.* Apud ipsum Authorem autem nihil tale occurrit. Tantum affirmat eos codices istos examinasse, ut scirent scilicet utrum exactè scriberentur. Neque Quæstio quam agitat de puncto aliquo erat, sed de litera *jod*, quam voci הירשעה inesse debere ex accurato codicum istorum examine apparere docet. Istorum ideo codicum, quo clarius de Authoritate eorum constet, quos ipse viderat, quibus *jod* in voce istâ exarata invenitur, scriptorum aliquos jurasse se omnem vocem, omnem dictionem, totámque punctationem diligenter examinasse, dicit; ad normam scilicet antiquorum istorum examplarium quæ penes se habuerunt; Neque magis hinc sequitur eos puncta excogitasse quam ipsas literas, cum *omnem vocem*, *dictionem omnem*, hoc est literas omnes, non minus quàm punctationem examini subjecerint. Nihil aliud ideò de senioribus istis Tiberiensibus refert R.A.E. quam eos jurasse se codicum istorum scriptionem (quorum Unum ipse viderat) literis & punctis constantem diligentissimè examinasse.

Quintò; Utriusq; Talmudis de punctis silentium quidam urgent; non ita *Clariss. Vossius* qui mentionem illorum nullam in *Mishna* fieri contendit; esse factam in utroq; *Talmude* fatetur. Duo autem in hoc Argumento supponuntur; primò utrumque *Talmud* de punctis penitus silere; nam si in uno ullo loco ullubi memorentur, illicò evanescet tota vis hujus Testimonii; deinde à silentio *Talmudum* necessariò sequi punctorum usum tunc temporis incognitum fuisse.

Primò ideò negant Viri docti mentionem ullam punctorum in toto opere *Talmudico* fieri. Cùm verò nimis probabile sit, eorum aliquot qui Argumento hoc utuntur, neutiquam ita diligenter ingentia illa volumina perlegisse, ut tutò possint pronuntiare, ea omnia de punctis pennitus silere, loca nonnulla indicant in quibus si tunc temporis nota aut in usu fuissent, fieri non potuit, ipsis judicibus, quin memorarentur.

R. Quamvis Ego neutiquam concederem puncta nondum fuisse excogitata, si maximè ἀναντιῤῥήτως constaret eorum mentionem nullam fieri in opere *Talmudico*, cùm certissimum sit plurima esse ad *linguæ Hebrææ* doctrinam pertinentia quorum in eo altissimum est silentium, ita ut totum hoc argumentum sine minimo veritatis dispendio aut præjudicio præterire possim; tamen cùm non desint ex utróque *Talmude* desumpta Testimonia, quæ punctationem tùm cùm opera illa edita

 fuerunt,

fuerunt, cognitam fuisse evincunt, ipsa luce clarius est, argumentum hoc admodum imbelle esse, & nullarum plane virium. Nihil opus est ut ea loca hûc transferrem, quæ eruditissimus Buxtorfius in *Tiberiade* sua produxit, quæque doctissimus ejus filius solide vindicavit ab exceptionibus *Capellianis*. Consulat lector ea quæ *Rabbi Azarias* in *Imre Bina*, cap. 59. collegit, ex *Talm. Hierus. Megill.* cap. 4. & *Talm. Babylo. Megil.* cap. 1. fol. 3. & in *Nedarim* fol. 37.

At porro urgent, nullam punctorum mentionem fieri tùm cùm evidenter necessaria fuisset, si modo tum temporis punctandi artificium excogitatum fuisset; cum enim verboum illorum רבר & etiã בניך quæ diversa plane significant pro diversitate vocalium quæ literis affigi, vel cum iis pronuntiari possint sensus varios distinguere vellent, de punctis vocalibus nihil plane dicunt Talmudici doctores, sed ipsa vocabul a iterum repetentes ostendunt se discrimen pronuntiatione significasse, quod scriptis notare non potuerunt. Quum facile enim iis fuisset indicasse verbum hoc cum *Camets*, aut cum *Tsere*, aut cum *Holem*, aut *Hirich* scriptum aut pronunciatum, hoc aut illud significare, si modo puncta ista iis cognita fuissent?

R. Puncta vocalia nominibus artificialibus olim distincta non fuisse concedimus. A Grammaticis pro arbitrio illis imposita fuere, longo post tempore Ita etiam in aliis linguis factum est. Masorethæ *Tzere* sæpissimè *Camets* vocant absolutè; aliquando *Camets Caton*, iis nominibus nondũ distinctis. *Segol* etiam ab iis dicitur *Pathach Katon*: & *Kibbuts Shurek*. Aperti soni quos denotant iis prima nomina fuere. Quamvis ideo vocales nominibus istis, quibus eas distinxit invicem *Grammaticorum* serior ætas, indigitare forsan non potuerint doctores *Talmudici*, nihil tamen impedit quo minus illorum figuras exarare nosse, censendi sint. Deindè quî probari potest, Talmud, sine punctis scriptum fuisse? Judæi constanter asserunt Mishnam utroque Talmude antiquiorem, antiquitùs punctatam fuisse, quamvis ex multis seculis codices isti nullubi apparuerunt; donec iterum nuperrimè accurratum est Amstelodami. Omnis autem hujus argumenti vis, ex eo pendet quod punctis in scribendo tum temporis non uterentur; quod est ἐν ἀρχῇ. Porro eam esse orationis seriem iis in locis quibus de vocularum istarum vario sensu agitur, ut ad discrimen assignandum nihil opus sit punctorum adjectione, ostendit dudum Cl: *Buxtorfius*.

Sexto; Ex vocalium & accentuum numero qui operosus & inutilis esse dicitur contra punctationis antiquitatem Argumentum elicit *Capellus*. Vocales quatuordecem sunt; earum multæ, aliquæ saltem inutiles esse dicuntur; cum non sint totidem soni distincti in loquela humanâ.

Deinde

Deinde Accentuum plurium nullam rationem reddi posse aiunt; cum nihil omnino significent, nihil distinguant, intelligentiam nullam exhibeant, neque in discendo linguam aut legendo, ulli, subsidio sint aut adjumento. Videntur ideo utriusque generis puncta, cum *vocalia* tum *accentualia* *εὕρημα* fuisse Rabbinicum, neque illud ad rem ipsam cui inseruit satis accommodum. Non desunt autem qui ex vocalium numeri & discriminis consideratione, medio planè contrario, eundem finem se assequi posse putant. Adeò enim, inquiunt, exactè & accuratè omnes sonos apertos seu vocales puncta ista exhibent, ut inventum artificiosè magis excogitatum videantur, quam ut primis literarum inventoribus, quibus curæ erat necessaria tantùm exprimere, ascribi debeat. Ita aliquibus Arbitris, superflua sunt & inutilia, aliis, accuratè sonis vocalibus aptata, neutris, ob rationes planè contrarias, divina. Sed utriusque objectiunculæ facilis est solutio. Qui accuratissimam perfectionem in punctatione hâc agnoscunt, illam ordine divino movere, justam causam sine dubio nullam habent. Quo perfectius suo genere quidquam est, eo divinius censeri debet. *Hebræam* autem linguam omnium linguarum antiquissimam, & perfectissimam, tanquam aliarum normam ab ipso Deo, virisque divinis spiritu prophetico instructis, editam esse, non sine causis gravissimis arbitrantur viri doctissimi. Non autem negarem rationi huic vim inesse nisi perfectissimæ sapientiæ, atque omnia simul comprehendenti, ortum punctorum assignaremus. Eorum autem qui vocalium accentuumque plures inutiles esse causantur, planè futilis est oratio, & superba. Quî quæso doctorculi isti fidem nobis facient unquam, ea omnia in sacris literis quorum rationi isti non tenent, esse inutilia? Hoccine est rem seriò agere? Hoccine argumentari? multorum Accentuum rationem, usum, utilitatem nos non intelligimus; ergo *superflui* sunt, & à Rabbinis pro arbitrio excogitati? Facile quidem esset quamcunque litem eo modo transigere. An vero ex nostrâ ignorantiâ & inscitiâ de verbo Dei statuere debeamus? Idne tandem æquum censebitur? Ego sanè mallem ei fidem adjungere, qui se nihil, quàm qui se omnia scire profiteretur. Quid si unus aliquis, nobis ignotissimus, per accentum ullum, in perceptione sensus vel minutissimæ voculæ in sacris literis adjutus fuerit, vel in legendo eo modo quam Deus approbavit, dum viguerunt instituta Ecclesiæ Judaicæ carnalia, directus; an eum nos homunciones, quibus inter innumera alia usus iste ignoratur, inutilem judicabimus? Proculdubio, nisi ob alias rationes apud se anteà statuissent viri docti punctationem Divinæ originis non fuisse, audaci istâ cavillatione, in hac causa uti non sustinuissent. *Judæos quidem neminem hodie putare existere cui absoluta contet*

accentuum ratio, ſcribit *Sebaſtianus Munſterus*, Epiſtola præfixâ ad commentar: R. D. *Kimchi* in *Amoſum*. Elias quidem Levita, in Epiſtola *Hebraica* ad eundem *Munſterum*, teſtatur ſe librum de ratione accentuum ſcripſiſſe, qui *Romæ* periit. Si editum fuiſſet ſcriptum illud, forſan haberent docti & modeſti viri, id cujus ſcientiæ eos nequaquam pœniteret.

Septimò; *Hieronymum* etiam puncta neſciiſſe contendunt; cùm, uti aiunt, nullubi eorum mentionem ullam fecerit. Illum autem virum doctiſſimum, uti videtur, omnia quæ ſciret, ſive id agendi occaſionem ullam habuerit ſive non habuerit ſcriptis commiſiſſe arbitrantur; in quâ quidem ſententiâ, mihi iiſcum conſentire haud licet. Deinde oſtendant vellem quam rationem habuerit *Hieronymus* narrandi, *Hebræos* in lingua ſua ſcribenda, non tantum literis ſed vocalibus etiam uſos eſſe, cum id omnes aliæ gentes ei notæ, fecerint. Nemo eſt antiquorum Hiſtoriographorum qui plura & certiora de rebus Carthaginienſium memoriæ prodidit quam Polybius Megalopolitanus. Oſtendit autem paſſim non tantum ſe linguam Punicam intellexiſſe, ſed & legiſſe etiam illorum hypomnemata. Cum enim Libro Hiſtor. tertio accuratè docuiſſet, quibus copiis Annibal Italiam ingreſſus eſt, affirmat ſe ea omnia quæ retulit collegiſſe ex æneis tabulis, ab ipſo Annibale deſcriptis. Et tamen iſte Polybius, nullibi Hiſtoriarum meminit inuſitati generis ſcribendi, à dextra ad ſiniſtram, quo uſi ſunt Pœni, quod tamen ipſe ignorare non potuit. Parum itaque ſubſidii ſententiæ huic à ſilentio *Hieronymi* expectandum eſt. Certum enim eſt illum potuiſſe puncta ſcire, nec in ſcriptis meminiſſe; Certum eſt ea eſſe potuiſſe, atque illum latuiſſe, cum multa exemplaria ſemper fuerint, abſque illis deſcripta; certum etiam eſt *Hieronymum* pauciſſimorum exemplarium copiam obtinuiſſe, Magiſtris autem uno duobuſve uſum; ut neutiquam mirum videri debeat, ſi codicem punctatum nunquam vidiſſet; Grammaticæ autem nullæ fuere; neque quiſquam tum temporis excoluerat illius linguæ artificium. Ejus ideo ſilentio niti, non eſt argumentis, aut ſententiis, ſed incertiſſimis conjecturis contendere adverſus veritatem. Sed neque deſunt Teſtimonia ex operibus *Hieronymi* deſumpta, quæ apertè indicant ipſum & vidiſſe, & cognoviſſe utriuſque generis puncta. Alibi locum illum ad Evagrium retuli; *literis vocalibus in medio perrarò utuntur Hebræi.* Eadem verba in eundem ſenſum citant *Rab: Azar:* in *Imre Bina* cap. 59. *Symeon de Muis*; *defenſ: Veritat. Hebraic. Joſephus de Voyſin* præfat; ad pug. fid: Reſpondent *Hieronymum* אהוי *literas vocales* vocaſſe; cum in aliis linguis id officium præſtent. Equidem י & ו vocales ſunt, cum ſcilicet puncta adjecta habeant; quamvis ſæpiſſimè conſonantium vices ſubeant aliter quam fit in linguâ

linguâ *Græca.* א Vocalem unquam fuisse nondum probatur; diverso etiam sono frequenter profatur, abs eo quem si vocalis esset effunderet. Nudæ ergo literæ istæ non sunt vocales quas indicat *Hieronymus.* Deinde Exposit. cap. 3. *Ionæ* hæc verba habet; *Satis miror cur ita translatum sit, cum in Hebræo nec literarum, nec syllabarum, nec accentuum, nec verbi sit ulla communitas.* Nescio an quis apertiùs accentuum mentionem facere possit; quos tamen ante puncta vocalia in usu fuisse nemo dicet. Sic in Gen. 19. 33. ad vocem בקומה *appungunt,* inquit, *desuper, quasi incredibile esset quemquam coire nescientem*; punctationem irregularem observans. Et in Ezek. 27. *Frequenter Hebræa nomina pro diversitate accentuum & mutatione literarum vocaliumque, quæ vel maximè apud illos habent proprietates suas, variè interpretantur.* Et Epistola ad Paul: & Eustochium seu præfat: in Esaiam affirmat Prophetiam istam *apud Hebræos scribi per cola & commata.* Quæst. Heb. in Gen. 44. *Et in hoc loco inquiunt quidam frustra simulant adorasse Jacob summitatem sceptri Josephi, quod videlicet honorans filium potestatem ejus adoravit; cum in Hebræo multo aliter legatur; & adoravit* inquit *Izrael ad caput lectuli.* מטה verbum est, de quo quæstio oritur. Novit *Hieronymus* Apostolū verbum illud rediddisse per ῥάβδος. Si non ita punctatum fuerit, ut revera lectum reddi deberet, quomodo quæso ausus fuisset dicere in *Hebræo aliter legi*, cum sine punctis alitèr non legatur? debuitne *Hieronymus Nicodemo* suo auscultare contra Translationem ab ipso Apostolo usurpatam, aut loci sensum abs eo redditum, & audacitèr pronuntiare in *Hebræo alitèr legi*? quod nisi concedimus illum puncta scivisse, falsissimum est. Satis ideo constat *Hieronymum* puncta vocalia & accentus novisse; eorumque mentionem apertiorem fecisse, quàm abs illo expectanda erat, qui alias occasiones ea memorandi non habuerit. At *Hieronymum* nonnulli inquiunt ex usu communi discere potuisse verbum istud מטה eo modo ibi loci pronunciandum, ut lectum significet. Sed de Verbi *pronuntiatione* apud *Hieronymum*, nihil; quomodo legebatur in Hebræo, hoc est ab omni lectore Textum inspicienti ostendit; Et quis quæso *communis iste usus* fuit, quem sequi fingitur? Uno ut diximus alteróve *Magistro* usus est. Illum vero obscuri Magistri susurrationem Apostoli Authoritati prætulisse, non est credibile; præsertim cùm orationis series utrumque sensum admittat; certissimum enim est Jacobum Deum adorasse *summitati baculi* innixum.

Ultimo in loco, linguarum, *Arabicæ,* & *Syræ,* cum *Hebræâ* cognationem prætendunt nonnulli; Eæ vero, inquiunt, nuperrimè punctationem admiserunt; eadem autem cum istis Hebrææ linguæ conditio

antiquitùs

antiquitùs fuisse videtur. R. Quo tempore primò literarū usum, quo punctorum obtinuerunt, *Arabes* & *Syri*, plane est incertum. Characterem antiquum *Arabicum* ante Secula exolevisse ostendit Clar: *Golius præfat: ad Sur:* 31. *Alcorani.* Quas alias in eâ linguâ mutationes temporum rerumque omnium vicissitudines induxerunt planè nescimus. Forsan puncta etiam in desuetudinem abierunt, in usum communem per *Saracenos* iterùm revocata. Revera quando primum puncta vocalia in usu apud *Arabes* & *Syros* esse cæperunt, nullum extat Testimonium fide dignum Esto etiàm quod omnes istæ linguæ *Orientales* ab initio punctis vocalibus caruerint; nihil id impedit quo minùs *Ezra* illa in sacræ linguæ usu adjecisse censeatur?

Atque hæc sunt præcipua Argumentorum capita quibus Viri docti se probasse putant, punctationem Hebraicam εὕρημα fuisse *Rabbinorum post-Talmudicorum*; quibus qui se ex tanti Thesauri possessione dejici patientur, me comitem neutiquam sunt habituri.

Ab eâ curâ etiam quam circa sacras scripturas *Ezra* adhibuit, profectam notissimam istam in Sacris Bibliis variationem, quæ sub nomine *Keri* & *Cethib* venit, multi arbitrantur. Haud placet hîc repetere, quæ de naturâ & numero variantium istarum lectionum alibi scripsimus. Sunt qui primis Spiritus Sancti Amanuensibus varietatem hanc ascribunt; horum aliqui mysterium ei subesse putant; ambiguitatem τῆς בת קל causam ejus fuisse alii. Sunt qui τῆς *Kerioth* notas esse *Masorethicas* asseverant, partim lectiones varias è diversis codicibus collectas, partim correctiones Textus criticas; Hæc illorum opinio est, qui parum pensi habent quid censeatur de Codicis Hebraici puritate, quem *Masorethicum* vocant, quasi hîc distinctionis notâ opus esset, aut alius unquam codex *Biblicus* in usu hominum fuisset. Perlectis multorum virorum doctorum sententiis & Argumentis, aquam hic mihi hærere fateor; lubet tamen addere quæ habet Isaacus Abravanel super hac re, in præfatione ad *Hieremiam* Prophetam. Rejectâ aliorum sententiâ minus commodâ addit; *verum res verè sic se habere mihi videtur; Ezram cum Viris synagogæ magnæ comperisse libros perfectos & integros prout erant scripti: priusquam vero punctationem instituerer & accentus & distinctionem versuum attendit ad lectionem: & si quid ipsi occurret alienum à natura sive proprietate linguæ & à Grammaticæ regulis, secum ipse reputavit, id ob alterutram è duabus causis contigisse. Primo quod Scriba in his heteroclitis spectarit aliquod è mysteriis legis secundum dignitatem Prophetiæ ejus, & profunditatem sapientiæ ejus, ideoque non ausus est conari delere quidquam è libris divinis; intellexit*

tellexit enim sic singulari sapientia libros illos esse conscriptos, nec sine causa scriptas esse literas defectivas & redundantes & ejusmodi peregrinas dictiones, quamobrem reliquit eas in Textu prout revera erant scriptæ; in margine vero posuit Keri sive expositionem hujusce scripturæ exoticæ secundum proprietatem linguæ, & juxta simplicem sensum.--- Fieri etiam potest, ut Ezras putaverit in Scripturâ Sacrâ extare literas & dictiones heteroclite scriptas sine ulla alia causa nisi quia qui illas proferebat, non recte, ut oportet, illas expresserat, sive ob imperitiam linguæ Hebraicæ sive ob imperitiam orthographiæ-- ideoque oportuit exponi veram dictionis scripturam & lectionem secundam Grammaticæ regulas. Hæc est ratio Keri quam in margine posuit scriba sanctus veritus injicere manus in verba authorum inspiratione Spiritus Sancti loquentium.

LIB. V. CAP. XIII.

Reformationis Ecclesiæ Ezraiticæ partes reliquæ. Solennis Verbi divini prædicationis instauratio. Nehem. 8. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8. *Ejus ante captivitatem neglectus. Jehosophati in ejus restauratione conatus.* 2 *Chron.* 17. 7, 8, 9. *Principes, Sacerdotibus & Levitis in eo opere adjuncti. Primorum Ecclesiarum Christianarum Reformatorum, in eo diligentia & successus. Judæorum nugæ; aliorumque. Cuthæorum Excommunicatio. Ezræ* 4. 2, 3. *Ab impuris mixturis populi separatio.*

PErgimus in Reformatione Ecclesiæ è Captivitate reducis. Summam in prædicatione Verbi Divini qua populus redux qui diu in tenebris *Babylonicis* jacuerat, in cognitione Dei, atque officio suo ritè peragendo instrueretur diligentiam, tertio in loco Reformatoribus hisce assignavimus. Incæpti ejus verè divini extat Historia.---Nehemiæ cap. 8. v. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8. *Congregati sunt populus totus; --- legebant enim librum illum, legem Dei explanate, & exponendo sensum dabant intelligentiam per scripturam istam.* Spretum & neglectum erat officium istud populi instruendi per conciones sacras & solennes Verbi Dei expositiones, durante priore defectione; quatenus scilicet ad Sacerdotum & Levitarum curam ordinariam pertinuit. Extraordinaria Prophetarum Verbi prædicatio ita divinæ erat procurationis, ut eo nomine, neque laudanda neque increpanda esset Ecclesia. Ut *Labia Sacerdotum scientiam conservarent*, Deus constituerat; *Malac.* cap. 2; v: 7. Ab iis legem Dei, hoc est mentis Dei in lege expositæ, sensum petere,

Populi erat officium. Sacerdotes idcirco ob operis hujus neglectum ſeverè Deus increpat. Hoſ. cap. 4. 6. Levitis etiam populi inſtruendi munus incubuit. Deut. cap. 33. v. 10. Johoſophato ideo Eccleſiam ad Voluntatem Dei reformare inſtituenti, nihil antiquius erat curâ Verbi illius per totam Eccleſiam prædicationis; cùm autem Sacerdotes & Levitæ vel ob numeri paucitatem, vel quòd illorum plurimi, fœdæ ipſi legis divinæ ignorantiæ ſcelere implicarentur, muneri eſſent impares, ex jure communi illis adjunxit Viros alios principes, & magnates, quibus cordi erat Eccleſiæ reformatio. 2 Chron. cap. 17. v: 7. 8, 9. Hujus enim muneris adminiſtrationis neglectus, defectionis Eccleſiaſticæ τεκμήριον eſt certiſſimum? accuratio verò, Reformationis pars haud ultima. Piis ideo Reformatoribus hujus officii ratio habita eſt quàm diligentiſſimè. Ei etiam operi non ſine ſucceſſu admirabili incubuerunt, quibus Deo uti placuit in Eccleſiis ſuis à myſtice Babylonis ſervitute diuturna, recuperandis.

Arbitrantur Recentiores Judæi *Paraphraſim Chaldaicam* verbis illis quæ ex *Nehemiah* protulimus indicari. Ei, ſive ſententiæ accedunt, ſeu delirio ſe affines præbent è Chriſtianis nonnulli, poſtquam in opinione aliâ haud minus abſurdâ ſtatuerint δουλεύειν ὑποθέσει. At nos linguæ Hebraicæ uſum & peritiam è populo nondum interiiſſe, quod vellent, ſuperius oſtendimus. Porro; expreſſe dicitur concionatores hoſce *Ezraiteticos* prius librū legis *explanatè legiſſe*, deinde *ſenſus expoſitione*, *ſcilicet intelligentiam* dediſſe. Cui quæſo fini ſerviret iſta explanata lectio, ſi plebs neutiquam intellexiſſet ipſum verborum ſonum? Solennis ideo erat inſtituti divini de prædicatione verbi aſſiduâ, reſtitutio quæ memoratur. Sequitur Cuthæorum Excommunicatio; ſeu rejectio potius. Hiſtoria extat Ezræ c. 4: v: 2, 3. *Acceſſerunt ad Zerubabelem, & ad primores populi, & dixerunt eis, ædificemus vobiſcum, nam ſicut vos requiſituri ſumus Deum veſtrum, non enim alteri ſacrificamus inde à diebus Eſarhaddonis Regis Aſſyriæ, qui deduxit nos huc. Dixit vero eis Zerubbabel & Jeſhua cum reliquis primoribus paternarum familiarum Iſraelis, non eſt veſtrum nobiſcum ædificare domum Deo noſtro, ſed nos qui una ſumus ædificabimus Jehovæ Deo Izraelis.* Non erat in cultu divino participatio, ſed Regum *Perſicorum* gratia, qua tunc favente utebantur Judæi, quam ambierunt Hypocritæ. Si enim animo ſincero quæſiiſſent ſe Deo Izraelis adjungere, rejiciendi non erant Sed alia plane res erat, prout ex eventu patuit; neque quidquam aliud Religionem prætendentes in animis habuerunt, quàm quod in ſimili caſu, ante tot ſæcula Sichemitæ. Gen: cap: 34: v: 23.

Samarit-

Samaritanorum Rejectioni accessit ab impuris mixturis cum populis profanis seperatio. Ea prolixe narratur, Ezræ capitibus nono & decimo, Nehemiæ vero ultimo. Atque ita demum absoluta erat διαζώνης illa Ecclesiæ Reformatio, & Theologiæ Mosaicæ in pristinum locum honorem, usum & dignitatem Restitutio.

LIB. V. CAP. XIV.

Judaicæ Ecclesiæ Apostasia finalis. Ejus occasiones generales. Populus Gentilibus mistus. Philosophiæ ingressus. Mala ex ea varia enata. Disputationes, rixæ. Sectæ. Linguæ sanctæ oblivio, Plebis oppressio, & ignorantia. Doctorum ambitio, & cæcitas. Morum corruptio. Scripturarum versiones.

GRatiam Dei in Ecclesiæ restauratione secuta est, temporis processu, hominum ingratorum defectio, eamque casus & ruina horribilis. Ut eam etiam paucis exponamus, postulat instituti nostri ratio. Ministerio Prophetico fundata nova Ecclesia, eo durante, quamvis haud omni culpa vacans, puritatem tamen retinuit Deo misericordi gratam. Eo sublato, tota Ecclesiæ moles sensim vergit in ruinam. Quæ eam in salebras compegerunt è quibus emergere nunquam potuit, brevi indicabimus, deinde defectionis ejus totalis naturam.

A tempore Reformationis absolutæ, populus Tyrannide & opressionibus Regum, *Syriæ*, & *Ægypti*, oppressus, variisque calamitatibus hùc illùc undique dispersus, etiam alienigenas in Terrâ Sanctâ ferre coactus, plurimorum malorum contagione illico erat affectus. Iis seculis, eristicam istam Philosophiam inanibus vitilitigationibus stipatam, quam non ita pridem parturiebant, obstetricantibus Macedonum armis, longè latéque per totum Orientem in lucem produxerunt Græci. Eam etiam imbiberunt Judæorum Doctores. Dum staret Templum Solomonis, atque in eo sincero & debito cultu Deum castè adorarent, piis omnibus penitus incognita erat ea Philosophia. Ante enim captivitatem Babylonicam, rei literariæ, aut exoticarum scientiarum nulla occurrit apud gentem istam mentio; unis exceptis *Mathematicis*, quas à Chaldæis acceptas, in usus Idololatricos pervertisse videntur. Prona quippe est in superbiam & δεισιδαιμονίαν omnis humana Sapientia, præsertim ubi menti insidet in veritatis obsequium non subactæ. Græcanica autem ista Philosophia sensim in Ecclesiam introducta, non tantum in magnum

malum sed in purioris Theologiæ perniciem, citissimè evasit. Hinc etenim illi quorum Religio in sola fide & observantia mandatorum Dei constitit, Scholas erigere, illarum plane absimiles quibus præfuerunt antiqui Prophetæ, Disputationes infinitas instituere, nodos nectere, & in sectas dissilire cæperunt, non aliter quàm Philosophiæ istius causa factum esse inter Græcos novimus. Non magis *Platonis*, non *Aristotelis*, non *Zenonis* nomina apud Græcos turbarum disputatricium insignia fuere, quan *Shammai*, *Hillelis*, aliorumque apud Judæos. Academicos, Peripateticos, Stoicos, æmulati sunt Pharisæi, Sadducæi, Esseni: Eo autem horum quam illorum disputandi pruritus pernitiosior extitit, quod non de lana caprina, seu figmentis quæ de propriis cerebris ut araneæ telas texerunt, ut illi, sed de Religione, de cultu Dei, de Scripturarum sensu, quæ omnia sacra & adoranda, rixas inierunt.
Deinde Linguæ Sanctæ populus ex magna parte erat oblitus. Is secundus erat misturæ cum Gentilibus fructus. Qui in dispersionibus, Græce, qui in avitis sedibus vixerunt Syriacè locuti sunt. Ita plebs paulatim in summam legis Dei ignorantiam adducta, cum vix linguam intelligeret in qua sola scripta erat. Ea ignorantia freti, Doctorculi cristas erigere, sibi nil non arrogare, quasi soli saperent populum despicere, eorumque fidei dominari, titulos magistrales sibi sumere, invicem contendere, omni timoris Dei studio abjecto. Longum nimis esset sectarum origines, discrimina, opiniones, scelera, prætextus, heic loci persequi. Cum inter nota versari, & ab aliis occupata, ob rationem operis necesse habeam, eorum tantum capita breviter perstringere placet. Sufficiat ideo plebis ignorantiam, Doctorum superbiam, vanitatem, cæcitatem, cum illa, literæ ipsa, hi Spiritu essent destituti, inter causas defectionis catholicæ summatim annumerasse.

Adde quod postquam per aliquod tempus Hasmonæi rerum potiti essent, Θεοκρατία divinitus instituta abjecta, in Regimine politico palam ad mores ritusque Græcanicos defecerunt. Græca fuere nomina, Hircanus, Alexander, Aristobulus, Antigonus, eorum qui more Macedonico populo imperitabant. Atque inde etiam non minima mala orta sunt. Cum itaque desierit in Ecclesia ministerium propheticum, populus autem profanis cum gentilibus mistoris expositus linguæ suæ pæne esset oblitus, atque Doctores, in varias sectas Philosophorum more dissilientes proprio tantum honori consulerint, & nemo esset qui flagitiorum segetes indies succrescentium exscinderet, omnia palam in ultimam properabant ruinam. Prius autem quam fatalis hujus defectionis capita recenseam, necesse est ut de versionibus Sacræ Scripturæ, quæ circa hæc tempora cum

cum populus linguæ Sanctæ peritiã amiserat ortum habuisse plurimi arbitrantur, nonnulla dicamus; Ea digressionibus brevissimis expediri posse spes est.

De Versione Græca Sacrarum Scripturarum LXX *Seniorum.*

DIGRESSIO SECUNDA.

DE versione Scripturarum Græca τῶν LXX, quæ huic temporis intervallo, dum in proclive esset ad Defectionem Catholicam Ecclesia Judaica communiter assignatur, necesse habeo ea dicere quæ olim *Protagoras*, referente Laertio, de Diis Gentium; περὶ μὲν θεῶν inquit ὀυκ ἔχω εἰδέναι, οὔθ' ὡς εἰσιν οὔθ' ὀυκ εἰσιν; πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι; ἥ τε ἀδηλότης, ϗ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου. Omnia enim quæ de versione illa vulgo dicuntur adeo sunt incerta, tot tantæque circa ea sunt opinionum digladiationes, ut iis omnibus accuratè examinandis, vix vitæ spatium sufficeret; ita quod ille olim dixerit, incertos multos, rem hanc certare, vidimus.

Versionem aliquam hisce temporibus Scripturarum per LXXII viros factam fuisse, plurimi consentiunt; nec desunt tamen qui omnem de ea historiam tanquam malam mercem, & fabulam mere Judaicam repudiant. Tempori Ptolomæi Lagi, opus illud assignant Irenæus & Clemens Alexandrinus; Philadelphi, notissimus historiæ Pater Aristeas apud Josephum, & ipse Josephus; Philometoris nonnulli. Philadelphum misisse ad Herodem Judæorum Regem ut interpretes istos ad se mitteret, Autor est Justinus apol. 2da. Quæ in summo viro ἀνιστορησία, seu παρόραμα χρονικὸν, probat eum rumoribus qui de versione ista vulgo jactabantur fidem præbuisse nimis facilem. Consilii libros legis Judaicæ obtinendi Philadelpho Autorem fuisse Demetrium Phalereum plerique scribunt; At Dimetrii istius opera Philadelphum in re literaria paranda nunquam usum fuisse alii arbitrantur; Magno enim eum apud regem istum odio fuisse, atque proinde initio ejus regni ex morsu Aspidis diem obiisse prope Diospolim scribit Laertius. Neque huic Testimonio aliter occurrere potuit Cl. Vossius, quam asserendo, Philadelphum, regnante Patre, Bibliothecam suam instituisse, contra communem fidem veterum omnium; cum tamen nec ita nodo sufficiat cuneus; nam longe ante Patris sui obitum capitali odio Demetrium prosequutus est Philadelphus. Porro sex ex omni tribu missos esse à Pontifice summo Judæorum ad Philadelphum, ad opus illud conficiendum plurimi pæne audent jurare; Sunt au-

tem qui tantum numerum hominum doctorum ex quaque tribu tum Hierosolymis vixisse, nec juratis credent. Quidam illos non tam Interpretes, quam vates fuisse volunt; inter quos aliquando fuit Augustinus, de civi.t Dei. l: 18. cap. 43. quod Hieronymo nemo unquam persuaserit. In Lxxii. cellas distributos, unumquemque totum opus seperatim confecisse, ita ut in nullo verbo reddendo dissentirent affirmat Justinus; figmentum suaviter ridet Hieronymus, Historiæ post Justinum fidem adhibent Serarius aliique; Cum Hieronymo plures derogant. Totam Versionem Lxxii. diebus absolutam fuisse nonnulli scribunt; horrendam istam festinationem alii repudiant. Sunt qui Pentateuchum solum eos transtulisse scribunt, ut Aristeas, Josephus, Philo, & Talmudici Doctores pænè omnes; Totam veteris Testamenti Scripturam Espieres, Morinus, Neotericorum plurimi. Judæos eo opere plurimum gavisos esse nonnulli statuunt; alii ob inceptum *Angariã* solenniter instituisse, ipsumq; opus exercasse: versionem suum Lxx. non ex Hebraica veritate sed ex Targum Chaldaico confecisse asserit Philo, cui assentiunt Rabbinorum nonnulli; ex Codice Hebræo sine punctis exarato Capellus, & qui ei in controversia de punctis nihil non debent. Codicem aureis literis si non exaratum, at ornatum honoris causa ad Philadelphum misisse aiunt quidam summum Pontificem; plerique Rabbinorum illiusmodi codicem profanum esse, neque ulli usui aptum clamant. Quidam summa linguarum peritia instructos Interpretes, summaque fide in opere adornando usos esse affirmant; Sensum sponte ob varias rationes multas in locis corrupisse alii; fide aut intelligentia caruisse, Munsterus & Ximenius. Sanè mira sunt quæ de versione hac scribit Hieronymus ad: Rustinum. Et ad Paulam & Eustochium; præfat. in Esa. noluisse Interpretes fidei suæ sacramenta perspicuè Ethnicis prodere disertè affirmat. Versionem Græcam quæ adhuc sub eorum nomine extat illam ipsam esse quam illi olim elaborarunt, coniiciunt plurimi; antiquam illam dudum periisse contendit Drusius, nec solus. Si superfit, pessime pluribus in locis, post Hieronymum, corruptam esse concedunt plurimi, inter quos est Bellarminus; puram illibatamque præservatam asseverat Morinus. Totam Traditionem de versione ista fabulam Judaicam, ut ante diximus nonnulli rentur. Eam concinnandi ansam ex Exod. cap. 24. v. 7. 11 arripuisse fabulatores, statuit Heinsius in Aristaro; cap. 10. *Dictum est inquit, Mosem Aaronem &* Lxx. *Seniores ascendisse ad Deum & quod in principes filiorum Israel non misit manum suam; pro quibus ultimis verbis Hellenistæ habent* καὶ τῶν ἐπιλέκτων τοῦ ἰσραὴλ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς; *& electorum Israel non dissonuit neque unus; hinc haud dubio historia de Ptolomæo & illis* 70 *senioribus*

oribus --- hinc famoſæ illæ ſcenæ quas Beatus Hieronymus explodit, hinc inventum illud neminem in tanto numero in exprimendis ſacris diſſenſiſſe. Placuiſſet forſan iis qui non ignorant quam periti ſint ex leviculis occaſionibus portentiſſimorum mendaciorum conficiendorum artifices Judæi, viri doctiſſimi conjectura, niſi eum Grammaticum fuiſſe & vanum hominem, ridendum ob arrogantiam, poſtquam in vivis eſſe deſiit, pronuntiaſſet recentior Ariſtarchus. Opiniones haſce diverſas, aliaſve circa verſionem hanc digladiationes, examini hic loci ſubiicere abs opere inſtituto eſſet alienum. Cum autem in illud tempus de quo agimus communiter referatur, nihil quod ſciam impedit quo minus quid de ea ſentiam breviter dicerem.

Verſionem legis ſeu pentateuchi Moſaicæ in linguam Græcam factam eſſe circa tempora Ptolomæi Philadelphi, evincunt plurimorum Teſtimónia & celebris Traditio. Probabile eſt à Judæis Alexandrinis id operis ſuſceptum eſſe in eorum gratiam qui in ea diſperſione lingua Græca utebantur, neque Hebraicè eſsent docti. An *Targum* aliquod, quod aliqui volunt, tum temporis extiterit plane eſt incertum. Maxima ſane pars populi dialecto tum temporis uſa eſt Syro--Chaldæa. Fuerunt igitur forſan inter eos, qui in opere hoc ſcripturas transferendi in linguam vernaculam, præiverunt Helleniſtis. Sed quæ de eo dicuntur ſunt conjecturæ meræ, cum nulla iſtiuſmodi laboris ſuperſint veſtigia. Pentateucho temporis decurſu acceſſit ſcripturarum veteris Teſtamenti quod reliquum eſt. Totum opus ab iiſdem Autoribus non prodiiſſe, & fatentur plurimi, & extant indicia certa. Ad eundem modum abſolutum fuiſſe opus Targumicum ſtatim videbimus. A quibuſcunque autem prodiit, illud patet, ſuſceptum & abſolutum opus fuiſſe, cum Eccleſia Judaica jam præceps rueret in exitium. Atque inde conjici poteſt quanti eſſet facienda iſta verſio, ſi adhuc extaret integra & incorrupta. At quicquid eſt quod primæ iſtius Alexandrinæ verſionis reliquum eſt, variè corruptum & interpolatum fuiſſe diebus Hieronymi ipſe paſſim oſtendit. Bene eſſet ſi ex eo tempore nihil mali paſſa fuiſſet vulgata quæ tunc extabat Græca verſio. Undè illud factum ſit, negari non poteſt, eam jam ſexcentis in locis abs Hebraica veritate diſſentire, atque ſæpius verba dare quibus ſubeſt nullus ſenſus tolerabilis, in quibus exponendis quàm fruſtra ſint interpretes, non opus eſt dicere; res ipſa patet. Sunt tamen qui Servatorem noſtrum ea verſione uſum fuiſſe, atque ita Eccleſiæ commendaſſe affirmant; prorſus uti ſacrificulus quidam ſcripſit eum. Miſſas cantitare ſolitum. De novi Teſtamenti ſcriptoribus majori cum probabilitatis ſpecie id affirmari poſſe videtur. Multi enim loca

veteris

veteris Testamenti in eorum scriptis recitantur iisdem verbis quæ etiamnum extant in Versione Græca; quamvis sæpissime ab Hebraicis in nonnullis discrepare videantur. Discrepantiam istam verborum tantum esse non etiam sensûs ostenderunt plurimi;nonnulli etiam Apostolos Textum Hebraicum revera sequutos esse,ubi vulgo versioni Græcæ adhæsisse videntur. Maximè arridet illorum sententia, qui Spiritum Sanctum totius Scripturæ Autorem pro arbitrio suo mentem propriam exponentem,Testimonia ex vetere in novum Testamentum quæ ipsi placuerunt verbis utens, traduxisse affirmant; Græcæ autem versionis exscriptores Christianos, sensim ea ipsa verba, ei inseruisse.

Haud desunt Argumenta validissima quibus nituntur Sententiæ hujus Autores. Unicum heic loci mihi indicare sufficiet, quod nescio an à quoquam hactenus sit observatum. Notum est Testimonia nonnulla obscurius paulo in Novo Testamento esse prolata, ita ut non cuivis facile statim sit discernere, è quo loco Veteris sint desumpta. Eorum aliquot certum est quosdam Græco Textui inseruisse iis in locis ubi antea nullum eorum erat vestigium, atque è quibus neque desumpta fuerunt, neqne sumi poterant.Exemplo sint ea verba quæ citat Apostolus Epist.ad Heb. cap. 1: v: 6. καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ. Cum unde Apostolus hæc verba mutuatus esset quidam non scirent, inserenda duxerunt Deuteronomii Cap: 32. v: 43: post itaque ista verba εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ, addiderunt καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ; quorum Verborum in Textu Hebraico neque vola est neque vestigium; nihil quod iis inserendis ansam ullam præberet; ut autem locum interpolatum esse intelligamus, immediate post verborum istorum intrusionem violentam, repetunt illud εὐφράνθητε, ut ita legitimè procederet orationis Mosaicæ sensus. Apostolum autem verba ista ex eo loco non protulisse, præterquam quod in eo non sint verba Spiritus Sancti cujus nomine ea profert, manifestum facit præfatio quam Testimonio ei præmittit; ὅταν inquit εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς οἰκουμένην λέγει; In ista autem περιοχῇ Mosaica de inductione Primigeniti in mundum verba nulla sunt, cujus enarratio directus est Spiritus Sancti scopus in Psal. 65: in quo revera Testimonium illud dictum est.

Unicum locum addam eumque notissimum;Ex verbis illis Mosis Gen: 47.v:31: וישתחו ישראל על־ראש השהמטה, ostendit Apostolus Jacobũ Deum adorasse *virgæ* seu *baculi* summatati innixum; scilcet fide validum, quamvis pæne moribundum. Irrepserunt in Textum Græcum verba illa Apostolica, καὶ προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, quasi scilicet ita transtulisset verba illa Mosis Apostolus; Græcos enim

validum,

validum, quamvis pænè moribundum. Irrepserunt in Textum Græcum verba illa Apostolica, καὶ προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, quasi scilicet ita transtulisset verba illa Mosis Apostolus; Græcos enim Interpretes primitus מטה eo loci per ῥάβδον non extulisse, vel inde evidenter satis constat, quod eam voculam eâdem historiâ, de eadem persona & re sæpiùs iteratam, constanter reddunt per κλίνην, seu lectulum uti videre est cap: 48: v: 2: & c. 49: v: 33; sed de Hisce Deo dante aliàs.

LIB. V. DIGRESSIO TERTIA.

De Origine τῶν Targumim seu Paraphrasium Chaldaicarum.

HUic Temporis intervallo, cum Ecclesia Judaica jam rueret ad interitum, *Paraphrasium Chaldaicarum*, seu τῶν תרגומים saltem partium aliquot illarum, plurimi ortum assignant. An plures olim fuerint in eam linguam sacræ scripturæ versiones quam quæ supersunt, incertum fecerunt quæ de versione Græcâ τῶν LXX è Paraphrasi Chaldaica factâ dixerunt veterum nonnulli; Integram in totam scripturam, abs uno homine, pluribusve, eodem tempore aut seculo elaboratam nunquam extitisse confitentur docti omnes, Judæi, & Christiani. Superest etiamnum in legem seu *Pantateuchum Mosis* Targum triplex. Horum unum *Onkelosi*, aliud *Jonathanis Ben Uzzielis* nomine insignitur; Tertium, nescio quam ob causam, *Hierosolymitanum* dicitur. Illud quod in libros Historicos & Prophetas extat, nomen præ se fert ejusdem, vel alius *Jonathanis*. Josepho cuidam lusco vel cæco, quisquis fuerit, tribuitur illud in *Psalmorum*, *Jobi*, & *Proverbiorum* libros. Incerti planè Authoris sunt quæ in *Estheram*, *Canticum Solomonis*, *Ruthам*, *Threnos & Ecclsiasten*, sub *Targumim* nomine extant, Commentationes fabulosæ & aniles. Ezræ & Danielis libri Targum nunquam habuerunt, cum essent ab initio partim Chaldaicè scripti; Meminit quidem Targum Danielis Elias Levita Præfatione sua ad Methurgamim. Sed per Targum eum eo loci ipsum *Chaldaismum*, non Paraphrasim antiquam intelligere probat orationis series; atque iccircò Grammaticam Chaldaicam institui optat, ad normam *Targum Danielis*. Superesse Targum in libros Chronicorum non ita pridem indicavit Ravius; cujus exemplar tandem nactus V: D: Samuel Clericus, Academiæ Oxoniensis *Archi-typographus* (vir ob multiplicem eruditionem meliori sorte dignissimus) illud propediem est editurus; Atque ita absoluta erit in omnes

libros Veteris Testamenti *Paraphrasium* catena.

Quæ de tempore quo *Targumim* hæc elaborata sunt dicuntur apud Authores omnia sunt incertissima. Silent *Josephus*, *Origenes*, *Hieronymus* istiusmodi monumentorum literariorum indagatores solertissimi. Veteribus notum fuisse *Targum* aliquod sub nomine *codicis Syriaci* arbitratus est *Sixtus Sinensis.* Is tandem editus, (si revera editus) opus Christianum se esse prodit, à Parahrasibus istis Chaldaicis Judæorum satis diversum. Sunt qui suspicantur *Jonathanem* istum filium *Uzzielis*, ob nominis ἰσοδυναμίαν eundum fuisse cum *Theodotione* notissimo scripturarum *interprete*, cujus nulli non veterum meminerunt. At nemo est qui memorat proselytum istum *Ponticum* scripturas Chaldaicè interpretatum esse; cùm Græca illius Translatio esset notissima. Paraphrasium ideò harum omnium ignari videntur veteres Christiani. Nonnulli itaque arbitrantur eas omnes non tantum post urbis & Templi excidium, sed & ætatem *Hieronymi* scriptas fuisse. Illum enim iis in locis vitam egisse notum est, quibus impossibile videtur ut eum penitus laterent *nomina & facta horum Pelopidarum.* Odium quod Christianis cum Judæis intercessit, undè neuter populus alterius res gestas celebrare dignatus est, silentii hujus à quibusdam causa prætenditur. In utroque sane vulgus ita animatum fuisse credibile est. At quid hoc ad *Josephum* Judæorum doctissimum; qui res gestas omnes gentis suæ, iræ & studii adversus Christianos causas procul habens, diligentissimè exposuit, versionis etiam Græcæ narrationem texentem satis longam & honorificam? Quid ad *Hieronymum* omnium non tantum librorum, sed & Traditionum Hebraicarum indagatorem curiosissimum? Cur isti paraphrasium harum mentionem nullam fecerint causa alia esse oportet. Sed nolo Argumento huic mordicus adhærere. Certum est Hieronymum, omnes libros, omnia monumenta literaria quæ suo ævo extiterunt, non vidisse; neque enim tantæ rei sufficit aut ingenii humani imbecilitas, aut vitæ hujus brevitas. Neque credibile est eum omnia quæ vidit aut cognovit in scripta retulisse. Etiam superius ostendimus, argumentum à veterum quorundam scriptorum silentio ductum, vetustati librorum aut literarum fidei abrogandæ idoneum non esse. Consulat lector, Petrum Galatin. Arcan: Cathol: lib: 1. cap 3. pag: 7: 8, 9. Martin: Raymund: pug. fid: lib. 1. Guliel: Schikard: Bechin: Happerusc: pag, 37. Buxtorf: de Origin Punctor: pag: 127. Josephum de Voysin; Præfat: ad pug: fid: Cocceium, in Saned. pag: 226. Buxtorf: Abbreviat: pag: 120. Morin. Præfat: ad Biblia Græc: Hoornebeck: præfat: ad controvers: Judaic: Hottinger: Philolog. Sac. lib. 1. cap. 3. S. 1. pag. 259. Rivet: Isagog: ad Sac: Scrip. pag. 119.

De

De cunctis paucis seorsim agam. Inter Targumistas omnes, si operis dignitatem spectes, primas omnium doctorum consensu debetur *Onkeloso*. Nescio an in eadem sententiâ sint Judæi, qui figmentis & mendaciis tantopere delectantur, quorum apud hunc quam cæteros minor est copia. Quo seculo autem is vixerit, quisve fuerit, nondum constat. Nonnulli arbitrantur eum Proselytam fuisse, vixisse autem diebus *Hillelis* & *Shammai*; hoc est centũ ad minimũ annis ante urbis excidiũ. Ei conjecturæ subscribit *Rabbi Azarias* in *Imre bina*; & Author libri *Zohar* Col. 131.
ולא א'ר יעו ליה לאנקלוס שמאי והלל מלה תורת עד דאתגזר
non inquit *docuerunt Onkelum Shammai & Hillel, verbum legis donec circumcisus est.* Alii *Proselytum* etiam sed Sororium *Titi* Imperatoris; atque adeo vixisse ipso excidii tempore. Ita Author *Jukasin* pag. 52. Quam opinionem expresse rejicit *Azarias* in *Imre Bina*, non alio argumento fretus, quam seculi quo illum vixisse ex traditione quorundum magistrorum affirmaverat. Suspicantur quidam ob nominis similitudinem, *Onkelosum* hunc *Aquilam* illum fuisse, qui Teste *Hieronymo* secundis conatibus Sacras Scripturas in Græcam linguam κατ' ἀκρίβειαν transtulit. Alii tradunt etiam quendam *Aquilam* circa ea tempora vixisse inter Judæos celebrem, quem *Onkelosum* hunc fuisse putant. Nihil ideo cùm certi reliquum sit, de tempore quo vixerit, cuivis pro arbitratu suo quidvis opinari licet. Ejus autem *Targum*, quisquis fuerit, inter Paraphrases Chaldaicas quæ extant pæne solum legi digna est. Nam & Textui adhæret, verba sæpissimè, sensum Spiritus Sancti plerumque reddens, neque in μύθους γραώδεις, quod reliquis omnibus solenne, datâ operâ vagatur. Eâ solâ ratione ductus παραφράστην hunc vixisse ante excidium Urbis conjicio; abs eo enim tempore ad unum omnes Spiritu Sancto penitus destituti puerilitèr & ridicule nugati sunt. Quo in loco aut pretio opus fuerit apud antiquiores Judæos planè ignoratur; posteriorum nonnullos magni fecisse testatur codicis illius consarcinatio, quo per versiculos alternatim exarantur ipse Textus *Hebraicus*, & Paraphrasis hæc *Onkelosi*; at publicè in synagogis lectum unquam fuisse Judæi negant; neque cur id fieret ratio ulla suppetit, cum ab ultimâ dispersione plebs Judaica linguæ Chaldaicæ penitissimè esset ignara. Translationem autem hanc incerti autoris, incertæ originis, ullius pretii aut autoritatis esse, ubi ab *Hebraicâ veritate* differt, non nisi insanientium est arbitrari.

Qui Prophetas (Daniele excepto) atque Historicos libros in linguam Chaldaicam vertit, *Jonathan Ben Uzziel* dicitur. Extat etiam quod superius notavimus, eidem nomini adscriptum totius legis

Targum. De tempore quo vixit non minus incerta sunt omnia quæ proferuntur quam quæ de *Onkeloso* retulimus. *Hilellis* illum fuisse discipulum Judæorum plurimi affirmant. Ei enim & *Sammai* utpote famosissimis sectarum magistris, omnia quorum ortum ignorant, ascribere gestiunt. Fingunt etiam miracula circa inchoatum, & absolutum opus hoc cælitus edita fuisse. Initium enim operis scribunt terræ motum accepisse,& בת קול in Authorem ob temeratas scripturas horribilitèr intonantem; progressum, approbationem; igne cælitus dilapso ad muscas quæ in Pergamenam cui scripsit forte fortuna errantes inciderent, consumendas; atque absolutum, laudes summas, non illarum absimiles, quibus imago Christi *Thomam* ornata est,postquam primam secundæ absoluisset, clamans, *rectè de me scripsisti Thoma*; an credant incertum. Eundem *Jonathanem* qui Targum in Prophetas scripsit, legem etiam παραφραστικῶς vertisse contendit *Galatinus*. lib. 1. cap. 3. Refert etiam se tum temporis istius versionis exemplar vidisse, quod non nisi integrum post sæculum publici juris factum est. Et quod certissimo argumento est illum bonâ fide quæ viderat retulisse, verba initialia istius Paraphrasews recitat, prout nunc extant in exemplaribus impressis. Rarissimi enim olim fuere Targum *Jonathanis* codices, neque inter ipsos Judæos ultra unum aut binos in provinciâ ullâ inveniri potuerunt, teste *Elia Levita* in præfatione *Methurgamim*. Rabbi etiam *Azarias* in *Imre Bina* cap. 9. eundem *Jonathanem*, Translationem *Pentateuchi* atque *Prophetarum* confecisse affirmat. Qui in aliâ sunt sententiâ, eo præcipuè argumento nituntur, quod certissimis indiciis constet Paraphrastem istum legis, vixisse non tantum post excidium urbis sed etiam confectum opus Talmudicum cujus mentionem expresse facit, in Exod; *26: v: 9*: cùm ille alter Propheticus scilicet ante adventum Christi vixerit, imò ut aliqui volunt, paulò post reditum populi è captivitate *Babylonicâ*. Sed quo rationum momento Jonathanem istum Propheticum iis temporibus quæ reditum è *Babylonia* inter fuerunt &excidium Urbis vixisse probant, unde omnis vis argumenti pendet, nondum constat. Judæorum testimonium quod nulla facti ex circumstantiis evidentia comitatur, probationi non sufficit. Sunt etiam ex Rabbinis præter *Azariam*, qui cum *Galatino* utramque opus ejusdem Autoris prolem esse asserunt. Ego litem hanc meam facere nolo. Quod cum ullâ rationis specie *Jonathanes* hosce diversos fuisse suadet, illud solum est quòd Targumista iste Propheticus non usque adeò ineptiat ac ille Pentateuchi fœdissimus contaminator. Quid de toto opere sentiendum sit paucis ostendam. In libris Historicis reddendis modestus est. Textum quidem

rarò ad verbum refert; non tamen ad libitum ubivis vagatur. Est autem etiam in istis ubi ità puerilitèr & Talmudicè nugatur,ut vix credere possim tantæ audaciæ & inscitiæ homuncionem ante absolutam Ecclesiæ istius Apostasiam scripturis exponendis manum unquam admovisse. Deliramenta nugacissima huc referre piget. Periculum lector faciat in c.5: judicum;nos nihil hic finxisse comperiet. Ad eundem planè modum in Prophetiis *Esaiæ*, *Jeremiæ*, & *Ezechielis* transferendis se ubiuis gerit. Ubi loci alicujus sensus abstrusior paulo & reconditus magis videtur, præsertim si de Messiæ personâ, Gratiâ, aut officio quidquam exhibeat (quamvis nomen Messiæ libentèr retineat,etiam aliquoties interserat ubi in Textu non occurrit) cum pravis excogitatis Allegoriis, ad carnales & legales sensus audactèr & perditè hoc est Judaicè torquet. Exemplo sit caput 53. Esaiæ; ex quo intelligat lector quemadmodum se, ac verba Spiritus Sancti torqueant cæci Judæi,ut ex carnificinâ istâ Rabbinica infidelitatis se extricent. In Prophetas reliquos, quasi nihil aliud apud se statutum habuisset, quàm perpetuò à vero verborum sensu aberrare, effræni licentiâ ubivis perversissimas Allegorias comminiscitur. Germanæ veritatis enarrationes

Apparent raræ nantes in gurgite vasto.

Restat expositio legis;quam mendaciorum plaustrum verè dicas. Plura etenim figmentorum monstra in ipso Alcorano Mahumetico non inveniri,quam inParaphrasin istam coacervavit impurus mendaciorum artifex haud vereor affirmare. Vix quidquam est putidissimarũ næniarum apud ineptissimos Talmudistas quod in centonem suum non retulit insignitæ audaciæ impostor. Indignus planè est Liber iste Stercoreus, qui locum ullum, inter legis expositiones, enarrationes, aut Targumim occupet. Atque hæc omnia de illo altero Hierosolymitano communiter nuncupato, dicta velim.

Josephus etiam iste qui Paraphrasin in *Hagiographa* scripsisse dicitur, verè *cæcus* erat. Si quis audaciæ, cæcitatis,impudentiæ, inscitiæ, mendaciloquii *Judaici* specimen habere optat, hunc authorem adeat. Totus liber *Esteræ* à capite ad calcem mendaciis impudentissimis, & fabulis ridiculis conspurcatur. Canticum *Solomonis* ineptiis Talmudicis ubivis scatet; & ipsum Talmud nominatim commendatur cap. 5. v: 10: neque sanctiùs agitur in Ecclesiaste. Paraphrasis in *Jobum* haud dubio cento est,è plurium conatibus conflatus, neque caret deliriis Rabbinicis. Psalmorum liber atque proverbia *Solomonis* impuri hominis contamina-

tiones minus senserunt. Haud tamen dicerem Targumim horum nullum planè usum esse; cum ea quæ de Deo in scripturis ἀνθρωποπαθῶς dicuntur cautè exprimant, neque loca quæ ad Messiam pertinent, prout recentiorum Judæorum mos est ad alios torqueant, (occurrit enim plusquam quinquagies apud Targumistas nomen Messiæ observante Elia in Methurgam:) quamvis sensum eorum miserè corrumpant; & qui fabulas Judaicas cognoscere velit, ex iis discere licet.

LIBER V. CAP. XV.

Apostasiæ Ecclesiæ Judaicæ finalis occasiones aliæ. Prophetiæ cessatio. Occasionum summa. Apostasiæ gradus. Theologiæ Mosaicæ fundamentum primum. Apostatarum ab illo defectio. Traditionum origo. Et *sectarum. Legis oralis fundamentum. Ortus & natura Legis oralis. Post excidium urbis nata. Observationes Judaicæ in Ecclesiæ Evangelicæ institutione, non continuatæ.*

Cùm jam festinaret plenitudo temporis, quâ magnus ille Propheta, à jactis mundi fundamentis Ecclesiæ promissus, in carne exhibendus esset, Deusque populum ad legem *Mosis* attendere donec ille veniret, severè jusserit, eoque verbo Revelationibus veteris Testamenti supremam quasi manum imposuerat, *Mal.* cap. 4. v. 4.5. 6. penitùs cessavit per aliquot secula ministerium istud Propheticum & extraordinarium, quo Deus ab ipsis Ecclesiæ istius primordiis in ejus Reformatione variè usus est. A morte *Malachiæ* ad prædicationem *Johannis* eremiticam, (qui non iccircò missus est, ut ecclesiam istam ex Apostasiæ ruina in quam Deo volente tùm festinavit, recuperaret, sed ut viam sterneret magno novæ Ecclesiæ *ædificatori*) per annos 400, nemo extra ordinem à Deo delegatus est, qui populum in omne scelus proclivem, ad bonam frugem revocaret. Cum itaque Ecclesia ista esset Prophetiâ destituta, Theologia *Mosaica* Gentilium Philosophiâ corrupta, plebs gentibus mista, linguæ sanctæ oblita, doctoribus spiritum sanctum repudiantibus innixa, in mores & vitia sæculi effusa, à principiis & fundamentis Theologiæ Mosaicæ omnibus sensim Catholicè deficiens in ultimam ruinam prolapsa est. Ejus ideò Apostasiæ vestigia proximo in loco breviter sunt perstringenda.

Primum Theologiæ *Mosaicæ* fundamentum in sacrarum Scripturarum αὐταρκείᾳ positum erat. Id nos pluribus superius ostendimus. Postquam

quam enim verbum fuum literis Deus confignaverat, illud unicum omnis fidei, obedientiæ, & cultus religiofi normam & regulam effe voluit; nè quid autem fub quocunque prætertu ei adderetur, fevere Ecclefiæ feu Theologis omnibus interdixit. Atque principium hoc Theologicum aliorum omnium bafis eft & fepimentum. Hoc primo in loco irritum fecerunt Apoftatarum Antefignani. Nihil erat in impiorum *Pharifæorum* doctrinâ aut moribus, quod feveriùs perftrinxit Dominus nofter Jefus Chriftus; docetque innumera eos figmenta fub nomine & prætextu *traditionum feniorum*, hoc eft magiftrorum qui primi à puro Dei verbo difcedere aufi funt, in cultum Dei & religionis obfervantiam intuliffe. Probabile eft ftatim à Prophetarum difceffu nonnullos qui fibi fapere vifi funt, expofitiones confuetudinum legalium, & inftitutionum *Mofaicarum* prætendentes, novas cultus ceremonias, & præcepta nova Theologica populo obtrufiffe. Eâ feneftrâ apertâ, & dato excercendi fe vanis doctorculorum ingeniis, campo ampliffimo, alii aliorum veftigia prementes, fenfim arbitraria inftitutionum & rituum in tantam multitudinem copia excrevit, ut eorum obfervantia totarum pænè Religionem occupaverit. Cùm enim femel quis mandati divini limites fibi tranfiliendos ftatuerit, nihil eft quod impediat quo minus in immenfum vagetur. Quæ autem invenerunt unius feculi magiftri, fequentis, *traditiones* vocabant. Eæ poftquam in gratiâ & authoritate apud populum hominum figmenta Dei inftitutis præferre paratiffimum, effe caperunt, quicquid novè excogitatum à quopiam erat, fub eo nomine credulæ plebis & legis divinæ ignaræ obfervantiæ impofitum eft. Cùm verò huic operi, plurimi variis in locis incubuiffent, orta tandem eft inter magiftrorum præcepta & εὑρήματα quæ traditiones vocabant, non tantum difrepantia & diverfitas, fed (neque alitèr fieri potuit) repugnantia etiam & contrarietas. Tanta etiam erat novarum fabularum multitudo, ut hàud facile erat cuivis eas ita percipere & comprehendere, ut idoneus effet ad populum in illarum Religione & obfervantiâ inftruendum. Hinc fcholæ erectæ, non antiquarum illarum in quibus prophetarum filii, Dei cultui & facrarum literarum ftudio vacabant, æmulæ, fed illarum potius quas ad difputationes & rixas philofophicas perennandas inftituerant *Græci*. Hæ autem nihil aliud erant, quàm circa ineptiffimas antiquas traditiones digladiationum confufio, novarum officinæ. Ut quifque autem magifter fcholæ præfectus celebris evafit, quorum antiquiffimi qui memorantur fuere *Schammai* & *Hillel*, ejus ftatim placita, dicta, dogmata tanquàm θεόπνευστα effent, religiofe difcipuli atque populus coluerunt. Ex diverfitate etiam traditionum erat, quod in varias fectas diffiluerit Doctorum turba. Earum

antiquiffimæ

antiquissimæ tres istæ notissimæ fuere: *Pharisæorum*, scilicet *Sadducæorum*, & *Essenorum*; quibus quartam addidit diebus ἀπογραφῆς *Judas Galilæus*, teste *Josepho*, quintam verò *Herodiani* acephali. *Sadducæorum* Atheismus ex unius Magistri dicto perperàm intellecto promanasse dicitur. Cùm enim is maximi erga Deum ipsum amoris prætextu, neminem cum intuitu mercedis æternæ obedientiam præstare debere pronuntiasset, illum *Resurrectionem*, & *vitam æternam* negasse, stolidos discipulos in verba magistri jurare paratos, arbitratos esse ferunt. Ita Author *Tzemach David* in Chronic. sub Templo secundo ad 4460.

צדוק וביתס שניהם תלמידי אנטיגנס היו והם טעו בדברי רבם במה שאמר אל תהיו כעבדים המשמשים את הרב על מנת לקבל פרס ואמר אחד לחברו הנה הרב אמר בפירוש שאין לאדם לא גמול ולא ע״כש

Tzadoc inquit & *Bajethosus fuerunt duo discipuli Antigoni & errarunt circa dicta magistri sui quatenus dixerat, ne sitis tanquam servi ministrantes domino spe mercedis recipiendæ. Unus ait ad socium suum*, En magister *in explicatione suâ docuit, non esse homini mercedem neque pœnam; qua accepta occasione eos à fide defecisse narrant*. Eò autem tendebant omnes istæ traditiones, ut aut præceptis Dei omnis autoritas planè & directè abrogaretur, aut saltem ut ità interpretarentur, ut nemo ad eam obedientiam præstandam quam Deus exegit illorum imperio teneretur, quod eodem redit; ipsorum autem magistrorum mandata arbitraria accuratissime sub pæna moris æternæ observarentur. Ubicunq; autem viget iste *Pharisaismus*, quo excogitatis delirimentis & pravis interpretationibus, virtus, efficacia, & perfectio mandatorum Dei enervantur, præscripta autem hominum arbitraria sub quocunque tandem prætextu severè injunguntur, ibi abs omni vera Theologiâ, viget & dominatur Apostasia. Non opus autem est ut pluribus ostendam Ecclesiam *Judaicam* ante Adventum Domini nostri Jesu Christi veneno hoc tinctam & corruptam fuisse; cùm id ubivis Historia Evangelica ante omnium oculos ponat. In errore hoc pernitiosissimo initium sui posuit Ecclesiæ illius Apostasia horrenda & finalis. Atque hoc fundamentum erat *Legis* istius *oralis*, quæ in Apostatarum Religione à multis jam retrò seculis utramque fecit paginam. Postquàm enim in immensum excrevisset traditionum farrago, eaque unicè cæcis Apostatis spiritum Dei destitutis esset in deliciis, cumque origo earum uti fit in longa rerum annorumque serie ignoraretur, exorti sunt novi magistri qui eas omnes ipsi *Moysi* acceptas tulerunt. Longam fabulam, uti potero, compendifaciam,

ciam. Summatim eam recitant in Tractatu pirke Aboth. caput 1. משה קבל תורה מסיני ומסרה ליהושע ויהושע לזקנים וזקנים לנביאים ונביאים מסרות לאנשי כנסת הגדולה hoc eſt; *Moſes accepit legem è monte Sinai, & tradidit eam Joſuah; Joſhua Senioribus; Seniores Prophetis; Prophetæ tradiderunt eam viris magnæ ſynagogæ. Intelligunt autem* הפ:לעכש הררת, ſeu legem oralem. Plenius totam fabulam enarrat *Rabbi Moſes Maimonides* in præfatione *Jad Chazaha* כל המצות שניתנו לו למשה בסיני בפירושן ניתנו שנאמר ואתנה לך את לוחות האבן והתורה והמצוה תורה זו תורה שבכתב והמצוה זה פירושה והמצוה לעשות את התורה על פי המצוה והמצוה זו היא הנקראת תורה שבעל פה: Hoc eſt; *præcepta quæ Moſi tradita ſunt in Sinai ea omnia data ſunt cum expoſitione ſuâ juxtà illud, dabo tibi tabulas lapideas, & legem & mandatum; legem, ſcilicet legem ſcriptam, & mandatum id eſt expoſitionem ejus. Injunxit autem Deus nobis legem obſervandam ſecundum mandatum: Mandatum autem eſt lex oralis.* Addit vero; *Totam legem manu ſua deſcripſit Moſes magiſter noſter priuſquam moreretur; & ſingulis tribubus librum commiſit. Unamque repoſuit in arcâ pro teſtimonio; juxta illud; ſumite librum legis iſtius, & ponite eum è latere arcæ fœderis Domini Dei noſtri, & ſit ibi contra te in teſtem. Mandatum autem ſive expoſitionem non ſcripſit Moſes, ſed imperavit eam ſenioribus & Jehoſhuæ, aliiſque omnibus Izraelitis juxta illud, omne verbum quod ego præcipio vobis illud cuſtodietis ut faciatis. Ideoque vocatur lex oralis. Eamque legem oralem quamvis non fuerit ſcripta totam in conſiſtorio ſuo docuit Moſes Magiſter noſter ſeptuaginta ſeniores. Eleazar, Phineas & Joſhua tres illi acceperunt eam à Moſe Joſue itaque diſcipulo ſuo tradidit*; atque ſic deinceps longo ordine recenſet illorum nomina qui à diebus *Joſhua*, uſque ad *Rabbi Judah* Principem, Legem hanc Oralem à predeceſſoribus ſuis acceptam, aliis tradiderunt; atque tandem addit רבינו הקדוש חיבר כל המשניות *Rabbi noſter Sanctus*; (hoc eſt Rabbi Jehuda) *compoſuit Miſhnaioth.* Hoc nempe eſt quod vellet; Traditiones iſtas futiles, ineptas, abſurdas, quas in *Miſhnaioth* compegit iſte *Rabbi Jehuda*, legem fuiſſe illam oralem, legis ſcriptæ expoſitoriam, quam in Monte *Sinai Moſem* à Deo accepiſſe fabulantur.

Operoſam hanc fabulam, commentum eſſe *Rabbinicum* ab aliis dudùm oſtenſum eſt. Ea vero totius præſentis *Judaiſmi* fundamentum eſt Pauciſſimis enim exceptis, quos *Karæos* vocant & execrantur, totius gentis Religio, figmento huic à multis ſeculis nititur. Cùm autem legis hujus oralis nullubi in Sacris Literis mentio facta ſit, cùm nullubi ad eam

amandentur legis Dei studiosi, ad verbum scriptum ubivis, cumque quidquid à Deo *Moses* audiverit scribere jussus sit, atque scripserit, *Exod.* 24. 3, 4. cumque in nullum alium finem inserviat hæc *lex oralis* quàm ut legis scriptæ, quam perfectissimam & absolutissimam Deus ubivis pronuntiat, defectus suppleat, apparet præsentem *Judaismum* diversum quid planè esse, abs eâ Religione quam vetus Testamentum instituit, exigitque.

Quamvis autèm figmentum hoc portentosissimum produxerit ea Traditionum doctrina quam perstrinximus, quæque Apostasiæ Ecclesiæ *Judaicæ* totalis initium erat, tamen ante Templi & Urbis excidium totiusque adeò Ecclesiæ & Populi à Deo repudiationem excogitatum fuisse, nullis rationum momentis, aut Testimoniis fide dignis, à quopiam probatum est. *Philo, Josephus, Syrachides* legis hujus oralis mentionem nullam faciunt, traditionum plurimam. Si tum temporis excogitata fuisset, nè dùm pro Theologiæ & cultus Dei fundamento vendilata, procul omni dubio eam non tacuissent. Porro Servator noster, qui Hypocritas multorum scelerum & superstitionum severè redarguit, præsertìm traditiones in cultus Dei & obedientiæ normam inferendi audaciæ, figmentum hoc pernitiosissimum nunquam prætermisisset silentio. Nondùm ideò serpens iste exclusus erat ovo, qui jam alatus volat præster. Legem ideo hanc inter Apostasiæ hujus gradus] non numeramus; cum illius potius finis fuerit & terminus.

Innumera quidem figmenta superstitiosissima, & consuetudines pravas, traditionum nomine insignitas, in Ecclesiam Dei defectionis duces & Antesignanos, sectarum Magistros, invexisse, iisque totum cultum divinum corrupisse, & Evangelica Historia luculentèr docet, & nos anteâ probavimus. Sunt autem viri docti, qui Dominum nostrum Sanctissimum, consuetudines & πράξεις nonnullas *Judaicas* circa cultum Dei, & Religionis sacra, in Ecclesiæ suæ institutione usurpasse arbitrantur. Sunt qui non verentur asserere, ipsam *Orationem Dominicam*, quam omniū precum nostrarum normam & exemplar præscripsit, è receptissimis inter Judæos formulis desumptam. *Mosaicis* quidem institutionibus Christum finem imposuisse fatentur. At verò observationes aliquas, quas Judæorum Doctores sponte suâ in usum induxerant, Authoritate suâ munitas, Ecclesiæ Evangelicæ religiose colendas commisisse docent. Cùm autem opinio hæc mihi horrenda satis, & in ipsum Dominum nostrum Sanctissimum contumeliosa videatur, priusquam in ultimæ Ecclesiæ hujus defectionis expositione progrediamur, examini eam subiicere placet.

LIBER

LIBER QUINTUS.

DIGRESSIO IV.

An conſuetudines, preces, aut obſervationes ullas Judaicas in Eccleſiis Evangelicis retinendas, inſtituerit Dominus Noſter Jeſus Christus.

EXtructo Templo ſecundo, ſublato Prophetarum miniſterio aliorumque virorum divinitùs inſpiratorum, quibus demandata erat Eccleſiæ ad normam Theologiæ *Moſaicæ* inſtaurandæ provincia, ſequentium ſeculorum doctores, qui διδάσκαλοι τῦ Ισραὴλ cenſeri voluerunt (Joh. 3. 10.) de ipſa fide, cultuſque Divini obſervantia & ceremoniis diverſiſſimè ſenſiſſe hominem neminem eſſe arbitror cui ſit ignotum. Imprimis autem ſurdas aures præbentes ſanctiſſimo iſti Dei præcepto, ad quod animum unicè attendere donèc ille veniret qui omnem veritatem expoſiturus eſſet, in ipſa Canonis veteris Teſtamenti obſignatione ſeverè admoniti ſunt, nempe, ut legi *Moſis* ſe in diſciplinam traderent; in novis ritibus excogitandis, & traditionibus ἀγράφοις interpolandis toti fuerunt. Ceſſante itaque Prophetia, intrante Philoſophia, Spiritus Sancti auxilio in poſtremis habito, tota Eccleſia pravis ſuperſtitionibus corrupta, ſenſim in ruinam tetendit. Eorum quæ in cultu Religioſo, quæque in Scripturarum interpretatione pravè doctores ſtatuerunt, quoque prætextu in iis populo imponendis uſi ſunt, nonnulla refert hiſtoria Evangelica. Poſtquam autem Magiſtri quidam celebres, quorum nomina apud plebem ſe totam ſidei Præceptorum concedentem ſacra erant & venerabilia, ritum aliquem in Religione obſervandum indicaſſent, aut hunc illumve eſſe mandati aut inſtitutionis divinæ cujuſcunque ſenſum, eorum ſucceſſores quibus in animo erat eadem frui authoritate apud poſteros, quaſi inſtituta iſta novitia ἐξ ὀυρανῦ eſſent & non ἐξ ἀνθρώπων, ſumma illa obſervantia colenda docuerunt. Hinc quod ſuperius annotavimus, in immenſum brevi excrevit traditionum farrago. Ita nihil quidquam pænè tandem ſanum aut incorruptum in tota Religione relictum. Illud etiam mali temporis ſucceſſu

ad cumulum accessit, ut quid esset institutionis divinæ, quid antiquæ observantiæ, quid inventionis nuperæ, impossibile planè esset populo tenebris involuto scire aut distinguere. Cùm in hoc statu & conditione sacra omnia apud *Judæos* essent, Docti nonnulli Viri arbitrantur, Dominum nostrum Jesum Christum Ecclesiam Evangelicam instituentem, & pro infinita sua sapientia cultum Dei in ea disponentem, Ritus nonnullos παλαιοπαραδότους, quos isti tum temporis in cultu Dei religiose observarunt, adeoque pæne omnes eos quos instituit, in usum suum (ita loquuntur) transtulisse, suaque autoritate confirmatos, discipulis ad consummationem seculi colendos tradidisse. Addunt præterea, Orationem illam sanctissimam, omnium precum nostrarum normam & exemplar absolutissimum (non enim præcepit Christus verba recitari, quod nec legimus Apostolos fecisse, inquit *Grotius* Annotat. in Math. 6. v. 9.) quam Discipulos suos edocuit, ex usitatissimis inter *Judæos* formulis eum composuisse. Hæc verò ità se habere iis argumento est, quod apud *Judæorum* magistros, in utroque præsertim *Talmude*, Ritus isti olim observati memorantur, quos etiamnum ex authoritate Domini nostri Jesu Christi observamus Christiani? atque ῥητῶς extent Orationis Dominicæ petitiones; plurimæ saltem, si non omnes. Neque enim ista ità indicantur, quasi tùm demùm nata aut inter Judæos recepta, cum opus *Talmudicum* confectum fuerit; sed astruitur eorum antiquitas & observantia, Magistrorum & Doctorum authoritate qui longè ante excidium urbis vixerunt; & quod argumenti caput est, partem fuisse aiunt *Legis* istius *Oralis* quam per manus traditam, R. *Jehuda Hakkadosh* in *Mishnaioth* retulit. Cùm autem Doctorum hanc Virorum opinionem mihi neutiquam ad stomachum aut palatum facere, imò cùm me ab ea vehementèr dissentire negare non possim, ob eam præcipue rationem, quod cum dubia tantum sit, imo falsa, honori Domini nostri Jesu Christi in illa vix, aut nè vix quidem consultum satis videatur? quamvis res meæ publicæque jam non tantum festinare cogunt, sed & ruere in conclusionem operis, silentio eam præterire non placet? primò ideò de tota sententia generaliter agam, deinde ἐνστάσεις quas ad sententiæ istius confirmationem quidam adducunt, seorsim examini subjiciam.

Videamus ergo primò quæ in causa hac Viris Doctis concedi possint, deindè quænam sint, quæ saltem donec aliis rationum momentis, quàm quibus in argumento hoc hactenus usi sunt aut Testimoniis fide digni confirmentur, admittere non possum. Concedo ideò primò, Dicta aliqua, imò multa quæ in scriptis Evangelicis habentur, apud Rabbinos Talmudicos reperiri posse, aut saltem illorum simillima. Idem

in

in particulari dici poteſt de Orationis Dominicæ petitionibus nonnullis. Sed & iſtis etiam gemina in ſapientum Ethnicorum ſcriptis inveniri, ad utriuſque fœderis ſcripturas, annotarunt Viri Docti.

Porrò; conceditur, eoſdem Rabbinos docere, Ritus quoſdam in uſu fuiſſe inter Judæos, iis quos Diſcipulis ſuis in cultu Dei obſervandos præſcripſit Dominus Jeſus, haud abſimiles. Eos poſtea conſiderabimus.

Concedimus etiam tertio in loco, Doctores *Miſhnicos* & *Gemariſtas*, non dicta illa proferre, non Ritualium iſtorum mentionem facere, quaſi tùm demùm nota & edita fuiſſent, neque propria authoritate ſola nixos illa in uſu fuiſſe ante excidium urbis affirmare, ſed Doctores ipſos qui longè ante ea tempora vixerunt, unumquemque ſeculi ſui ſenſum, aut etiam *Legis Oralis*, exponentem inducere.

Ulterius etiam conceditur, Dicta quædam *Proverbialia*, quæ genti tùm temporis in uſu communi fuere, Dominum noſtrum ea quam habuit cum plebe converſatione uſurpatum eſſe, ac proindè in ſcripta Evangelica eſſe relata. Ejus generis fuere; *Medicè curate ipſum. Habenti dabitur. Primus erit ultimus & ultimus primus*; *qui aurem habet ad audiendum audiat*; atque id genus alia. Ut autem quæque gens Dictorum *Proverbialium* admodum tenax eſt, ita Judæos iſta atque ſimilia, memoria per multa ſecula tenuiſſe, & in ſcripta retuliſſe fatemur.

Hæc inquam concedimus libenter; Illud itaque conſiderandum reſtat, an ultra ea quæ conceſſimus, quidquam conficiant Virorum Doctorum probationes. Atqui ex his litem hanc decerni non poſſe certum eſt. Nondum enim conſtat Ritus iſtos de quibus quæſtio eſt, revera Eccleſiæ Judaicæ ante urbis excidium in uſu fuiſſe; aut diebus converſationis JeſuChriſti in terris populo iſti cognitos. Ut ideo veritas patefiat nonnulla præmittemus, quæ totius controverſiæ explicatum facilem reddititura ſunt.

Primò ideò dicimus *Legem iſtam Oralem*, quam traditionum omnium & ritum ἀγεάφων fontem & originem communitèr ſtatuunt Doctores Talmudici, horrendum eſſe figmentum, merum mendacium, in Theologiæ *Moſaicæ* perniciem totalem populique *Judaici* exitium æternum, nefariè excogitatum. Etenim legis iſtius in totâ ſacrâ ſcripturâ non major mentio facta eſt, quam *Alcorani Muhammetici*. Severè autem execrantur & exterminationi devoventur qui iſtiuſmodi additamenta, ex quibus magnam partem conſtituit iſta lex, Verbo Dei aſſuere auſi fuerint. Tota autem iſta gens infidelis, & præfracti ingenii, per terrarum orbem ſuperſtes & diſperſa, ex juſtiſſimi Dei judicio ſui obdurationem, & pertinaciam in infidelitate horrendam, figmento iſti ſatanico debet. Illius enim prætextu à Verbo Dei abducti, atque inveteratis car-

nalium

nalium traditionum præjudiciis fascinati, nihil ultra ineptissimas fabulas aut sapiunt, aut sapere volunt. Atque hoc spero erit in confesso.

Secundo; Rituum & ceremoniarum quæ apud *Talmudicos* Doctores memorantur, quæ in lege non expresse instituuntur, duo genera sunt. Aut enim tantum pertinent ad modum cultus instituti celebrandi, additamentis nonnullis adhibitis, è verborum scripturæ expositionibus arbitrariis quovismodo elicitis, aut etiam ipsi ritus novi sunt, & ab omnibus institutis divinis planè diversi. Alterutrius generis memoriam ullam, monumentum ullum, volam aut vestigium, ante reditum populi è capitivitate *Babylonicâ*, aut florente Ecclesiâ istâ sub Prophetarum primorumque Reformatorum ductu aut regimine, extare, aut extasse unquam, nemo probavit hactenus, nemo probabit in posterum. Ortum suum debent omnia, ei temporis intervallo quo præceps in ultimam & fatalem Apostasiam & ruinam tetendit ista Ecclesia; aut ei, in quâ Ecclesia esse desiit.

Tertio; negamus Dominum nostrum, institutum ullum purè *Mosaicum* Authoritate suâ munivisse. Omnia abrogasse aiunt omnes. Eorum quæ in naturâ rerum fundantur alia ratio est. Cum enim ad tempus διορθώσεως ritus omnes *Mosaici* instituti fuerint Heb: 9: 10: atque umbram tantum habuerint μελλόντων ἀγαθῶν, οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων cap: 10: 1; neque locum suum tutari poterant, cùm id, cujus prænotioni inserviebant introductum esset, neque denuò recuperandi erant ex morte illa cui olim destinabantur.

Quarto; constat apertissimè ex totâ Historiâ Evangelicâ, Dominum nostrum Jesum Christum quamdiu institutionibus *Mosaicis* subjectus, Minister circumcisionis vixerit, traditiones omnes ἀγράφους quas intulerant Magistri veteres recentiorésve, sine exceptione constantissimè rejecisse, & condemnasse summa cum detestatione. Sive illæ pravis scripturæ interpretationibus, sive observationibus & ritibus curiosis constiterunt, omnes absque discrimine, non sine severis eorum qui populo eas observandi authores erant increpationibus, repudiabat. Incredibile ideo nimis videtur, eum ex illis ipsis observationibus, ritus in usum suum, ut nonnulli loqui amant, *arripuisse*.

Quinto; Esse nonnulla rectæ rationis dictamina, adeoque ab ipso naturæ Authore optimo sapientissimoque profecta, quæ cultui divino in omni Ecclesiæ statu inservire apta nata sunt, fatentur omnes. Hæc inter cunctos homines, qui rationis regimini ullatenus se submittunt locum aliquem obtinent. Illa itaque Dominus noster, non *in rem suam arripuit*, sed ne deinceps à fatiscente & obscuro lumine naturali observantia

tia eorum penderet, autoritate ſua firmavit, atque inter inſtituta ſua ſanctiſſima retulit. Si autem horum ulla apud Judæos in uſu fuerunt, non tamen iccircò ſtatim ab iis Chriſtus illa accepiſſe dicendus eſſet, cum non magis ad Judæos quàm ad totum humanum genus pertinerent.

Sexto; certum eſt Judæorum plurimos, ſi non pœne omnes qui in Chriſtum crediderunt ante Templi everſionem & Urbis excidium finale, inque eo finem ultimum inſtitutionibus Moſaicis impoſitum, illas religioſe obſervaſſe; pleraſque ſaltem, atque coluiſſe ſecundum inſtituta legis. Etenim ipſi Apoſtoli cùm ſcirent ex præmonitione Chriſti, Templum ipſum cum totâ illâ cultus ratione qua inſtructum erat brevi æternùm abolendum fuiſſe, diem illam patientiæ dominicæ præſtolantes, à cultu *Moſaico* non abhorruerunt. Cùm itaque duraret in Dei tolerantia, uſq; ad excidium urbis & Templi, Eccleſia *Judaica*, qui in Chriſtum crediderunt niſi vi pulſi aut fugati, à Judæorum Synagogis, aut cultu Synagogico nullubi terrarum receſſerunt. Etenim iis in locis, quibus Judæi increduli palam in fideles ſævire ob fidei profeſſionem & cultum religioſum Chriſto exhibitum inceperunt, horrendum illud Dei judicium quod in Evangelii hoſtes eſſet quantocujus excerciturus, illis denuntiantes (Vid: 2. Epiſt: Pet. c: 3: v: 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11.) ſegreges cœtus ſtatuerunt. Eccleſiam vero Judaicam ſtante adhuc templo, duraſſe, neque penitùs à Deo rejectam fuiſſe, docet *Paulus* Apoſtolus in tota Epiſtola ſua ad *Hebræos*. Pontificatum enim ſummum, adeoque omnem cultum *Moſaicum* abolendum quidem extemplò, ſed nondum abolitum introducit. Indè Eccleſiæ ſtatus, qualis futurus eſſet penitus è medio ſublato cultu omni typico. Mundus ei futurus dicitur. Etiam parùm adhùc eſſe affirmat, donec *Moſaica* iſta rudimenta morte Chriſti concuſſa amoverentur, ut ſtabilirentur regni Chriſti τὰ μὴ σαλευόμενα. Neque obſtat quòd Apoſtoli, & Presbyteri totâque Eccleſia *Hieroſolymitana* longè antè ex mente Spiritus Sancti ſtatuiſſent, diſcipulos è gentibus non teneri lege *Moſis*, Actor; cap: 15; nam ipſi longo poſt tempore oſtendunt Judæos fideles omnes ejus obſervationi adhæſiſſe; Actor: cap: 21: v: 21: 22. Pluribus etiam in locis indiſcriminatim agebant Judæi fideles, atque iſti qui Chriſto nondum nomina dederant. *Jacobum* itaque juſtum plurimos annos *Hieroſolymis* degentem, atque ob ſanctitatem eximiam & minimè fucatam toti populo notiſſimum, quoniam cultum Dei in templo frequentaverit ſedulo, Chriſtianum fuiſſe neutiquam ſuſpicati ſunt primores urbis, uti refert *Euſebius*, Hiſtor: Eccleſ: lib. 2: cap: 33: Imò ad tempus *Adriani uſque*, permixtionem hanc alicubi duraſſe ſcribit *Grotius*.

Septimo;

Septimo; cùm jam ad ultimam patientiæ divinæ periodum Ecclesia ista pervenisset, atque ubivis pervicaces & præfracti Evangelii hostes tandem facti, persecutiones in Christi discipulos excitarent *Judæi*, & adventum ejus solenniter prædictum & denuntiatum, ad vindictam de illorum infidelitate & malitiâ sumendam, sannis exciperent, plurimi ex gente istâ qui anteà Christo nomen dederant, ad *Judaismum* defectionem meditati sunt; prout apparet ex Epistolâ *Pauli* ad Hebræos. Destructo autem Templo, atque excisâ gente, magna pars illorum qui ad illud usque tempus cum nominis Christi professione, ritus & ceremonias *Mosaicas* observaverant, inter Religiones quas simul nemo amplius colere potuit miserè cespitans, partim in Judæorum castra iterùm se recepit, partim novam Religionem ex utraque conflatam, reverâ utramque non corrumpentem tantum, sed & evertentem penitùs, excogitavit. Horum erant *Ebionitæ*, & si *Hieronymo* fides, Chiliastæ; qui omnes successu temporis abjecto quem aliquamdiu frustrà gesserant titulo in censum Judaicum abierunt. Prout autem in Christianismum istum quem amplexi fuerunt ritus *Judaicos* inferre eos tentasse omnes norunt; ita Christianos, in Judaismum deficientes, nonnullos reportasse, plusquàm credibile est. Tenebræ verò quibus tum temporis res Judæorum involutæ fuerunt, impediunt quo minus perspecta habeamus quæ in illorum claustris & latibulis agitabantur.

8. Reliqui Judæi, (hoc est quicquid gentis cladi *Flavianæ* erat superstes) ab omni cætu solenni *Mosaico* depulsi & fugati, hùc illùc palantes vagati sunt, quid agerent, quo ritu Deum colerent, ubi pedem figerent incertissimi. *Sanedrym*, seu scholam potius, aut digladiationum ineptissimarum latibulum, hic, illic eos constituisse, alii ostenderunt. Sed tota ea historia conjecturis nititur, & Rabbinorum Testimoniis omnibus conjecturis incertioribus. *Adriano* Romanum imperium tenente, opera & astutia insignis nebulonis quem *Bachochebam* vocant, decepti, & scelerum stimulis, seu potius maledictione divinâ acti, undique in *Judæam* & *Gallilæam* advolantes, bellum excitarunt adversus Romanos utrique parti satis funestum. Victi verò tandem, & clade, illa sola minore qua in excidio Urbis & Templi demessi fuerunt, affecti, necdum indignationem justissimam qua Deus totam gentem ubivis terrarum prosequutus est intelligentes, viribus tamen & animis fracti, partim fugati, partim capitis pœna nisi fugerent denuntiata è tota *Judæâ* ad unum omnes exulare jussi sunt. Quid ab eo tempore & proximo post seculo in latibulis præstiterunt, caliginosa nocte premitur. Erupit tandem famosissimus ille *Rabbi Jehuda*, Hakkadosh scilicet, ejus superstitionis cujus

jus scelere etiamnùm adhùc Deo hominibusque graves ubique terrarum tenentur, Author & princeps. Is novæ isti Religioni *Judaicæ* conficiendæ, quæ innumeris aucta superstitionibus apud totam gentem obtinet, manum admovit. Etenim Scholæ prælatus, cùm observasset quanta incertitudine omnia quæ ad cultum Religiosum & observantiam pertinerent, fluctuarentur, ex antiquis traditionibus, novis figmentis, observationibus quæ tum temporis inter plures in usu fuere, undè undè discerptis & corrasis, corpus quoddam seu systema constitutionum religiosarum, & civilium seu forensicarum composuit, quod *Mishnaioth* appellant. In librum illum, Rabbinorum expositiones, disputationes, jurgia, fabulæ, Talmud utrumq; conficiunt. Postquam enim *Rabbi Jehuda* signum extulerat, undique statim ad illud concursum est. Quicquid uspiam impuri homunciones & indocti corradere ex anilibus, Traditionibus dictis Sacræ Scripturæ miserè & blasphemè distortis, Gentilium, & Christianorum ritibus & consuetudinibus, Legi Mosaicæ non expressè adversis, quod in rem suam ullatenùs cedere cogeretur, potuerunt hùc tanquàm in fabularum, mendaciorum & superstitionis omnis lernam contulerunt. Uti enim *Mahometes Alcoranum* suum ex traditionibus Judaicis, historiâ Euangelicâ pessimè interpolatâ, ritibus ethnicis, propriisque figmentis consarcinavit, ità etiam Rabbini isti opus suum Talmudicum confecerunt. Hisce ita præmissis, quæ omnia ἀδιάβλητα esse comperientur, cùm ex Historiis & rerum præteritarum monumentis fide dignissimis sint deprompta, quid in causâ propositâ sentiam, paucis tradam. Sententia ideò nostra est, instituta ista Evangelica quorum mentio ulla facta est, aut in *Mishna*, aut in Talmudibus, aliisve Judæorum magistris, adeoque pericopas omnes purè *Evangelicas* quæ in eorum ullis extant, Judæos partim ex ipso Evangelio, partim ex Apostatarum Judæorum praxi, atq; traditionibus quæ ex cætibus Judæo-Christianis emanarunt, partim ex ore vulgi quo cum vixerunt, nec aliundè hausisse. Hæc inquam sententia, illâ alterâ quæ periculosè admodum Dominum nostrum Jesum Christum sanctissimas suas institutiones ex Judaismi lacunis mutuatum asserit, probabilior videtur; imò verissimam eam esse existimo nullisque exceptionibus quibus pondus inest aut momentum expositam. Cùm enim cæci & pervicaces Apostatæ, Religionem avitum & cultum Dei patriam amisissent, (nam qui Religionem *Talmudicam*, (seu præsentem Judaismum) eam esse quæ in lege & prophetis enarratur, putat, is hisce in rebus hospes est) Spiritu Dei penitissimè destituti, omni ope in id incubuerint, ut ex traditionibus & rumoribus incertissimis, novam Dei colendi rationem, novos cultus ritus excogitarent, & erigerent,

causa sanè nulla est cur cuiquam mirum videri debeat, illos nonnulla quæ apud Christianos Judaizantes in usu fuere, aut saltem illorum simillima, in rem suam arripuisse. Longius etiam aberit admiratio omnis si sentiamus novæ superstitionis consarcinatorum nonnullos Christianos Apostatas fuisse, quod sanè neque incredibile est, neque improbabile. Inde enim est quod Historiæ Evangelicæ vestigia plurima in Alcorano supersint, quòd authori ejus scilicet, adfuerit *Sergius* quidam Monachus *Nestorianus*, qui à Christianismo deficiens, in partem operis receptus est.

Sed adversæ sententiæ momentum perpendamus. Quo quæso Authore certò sciamus eas precum formulas quæ jam apud Judæos extant esse ritus qui in lege non disertè præcipiuntur, in usu fuisse ante excidium urbis? Judæi, inquiunt, ab ipso *Mose* ope *Legis Oralis*, se ista recepisse constantèr affirmant. At *Legem* istam Oralem impudentissimum esse figmentum, cujus ante finalem Apostasiam populi, & gentis excidium, neque vestigium, neque memoria ulla extat, anteà probavimus. Quæ verò legi isti orali ortum suum debent, lege eâ antiquiora esse non poterant. Sed dicunt stata precum tempora Judæos habuisse; fateor; Actor; cap: 3: v: 3: memorat Lucas τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην; Ea tempora quotidiana tria fuisse docet *Maimonides* in Mishna; lib: 2: Tractat: de Orat: & Benedictio: Sacerdotum; cap: 1: sed lege instituta fuisse negat. *Cæterum*, inquit, *neque numerus precum*, *neque obligatio ad hanc vel illam precem*, *nec tempus certum aut definitum precum est de lege.* Ita quotidie trinas orationes habuerunt, quarum prima שחרית seu matutina, secunda מנחה Mincha, tertia ערבית vespertina dicebatur. Tria ista tempora antiquos nonnullos Christianos, *salva planè indifferentia semper, & ubique, & omni tempore orandi*, prout ipse loquitur, observasse nos docet *Tertullianus* de Jejuniis. Quid vero deinde; ergo precum formulas etiam præscriptas habuere; at unde Id constabit? refert quidem *Maimonides*, *Gamalielem* cujus seculum & tempus vitæ nota sunt ex historiâ sacra, orationem composuisse pro extirpatione τῶν מינים seu hæreticorum; hoc est Christianorum; quod quàm benè quadrat consilio quod ei ascribit Lucas Acto: 5: v: 38: haud facile intelligi potest. Preces ideo præscriptas Judæos habuisse humanitus excogitatatas ante excidium Urbis probationis neque species, neque color est. At *Samaritani*, inquiunt, librum precum ab ipso *Mose* scriptum, ad eos transmissum, præservatum fuisse in manibus summorum Sacerdotum *Garizenorum*, usque ad Pontificatum cujusdam *Adriani*, affirmant. Credat Apella; sed nemo vult; Judæi enim omnes impudentissimum hoc

mendacium

mendacium uno ore detestantur. Hi sunt qui mandatum undecimum finxerunt, dignissimi qui formulas precum *Mosaicas* fingerent. Si istiusmodi liber extitisset unquam, ejus memoriam inter *Samaritanos* solum, coloniam *Assyriacam*, impiam, Deo & Ecclesiæ exosam superfuisse credere, *insani esse hominis, non sanus juret Orestes.* Fateor quidem plerosque Judæorum sentire, post *Esdræ* tempora quando scilicet cessante prophetia, per Spritus & Verbi Divini contemptum in Apostasiam finalem declinaverit ista Ecclesia, populum formulis quibusdam precum in cultu Synagogico, atque etiam illo Templi usum fuisse; At Doctores Mishnicos, aut Talmudicos, aut sequentium seculorum Magistros ullos, certò scivisse quænam istæ formulæ fuerint, vel earum memoriæ quidquam retinuisse, probari non potest. Istas enim Liturgias quæ nunc in usu sunt inter Judæos Ecclesiam istam in cultu Dei usurpasse, stultum & nefas est suspicari. De Ritibus idem dicendum. Ante Impostorem istum Rabbi *Jehuda*, Linguâ Hebræâ scriptor *Judaicus* nullus extat; neque Græcâ, præter *Philonem*, *Josephum*, & *Jesum Syrachidem*. De rebus hisce apud illos altissimum silentium. Quis autem mihi fidem faciet, istum Rabbi *Jehuda* vel sequaces ejus non mentitos esse, cum innuant hos vel illos ritus in usu fuisse ante Urbis excidium, cum sciam eos in multi majoris momenti rebus & historiis impudentissimè mentiri? Patres etiam ipsorum, illis meliores, si unquam extiterint *Adami* posteri quibus meliores esse potuerint, multa ineptè & superstitiosè finxisse, ipsa veritate teste, docemur. In ipsis autem mentiendi, finis, scopus, terminus nullus, ità ubivis datâ opera videntur sibi invicem in mendaciis horrendis excogitandis palmam præripere contendere. Exemplis haud opus est; sciunt qui nondum ære lavantur. Sed in rebus suis propriis iis credendũ esse aiunt Viri Docti; quarè, inquam; cùm nullubi magis quàm in rebus propriis nugatores & mendaces esse deprehendantur? Sed audiamus Virum Doctissimum causam Rabbinorum propriis verbis agentem. De Jure Gen: apud Hebræ: lib: 2: cap: 2: *Si cui,* inquit *heic dubium forsan occurrat utrum corpori & scriptoribus Talmudicis hujusmodi in rebus quatenus historicæ sunt, id est quatenus in eis pro jure qualicunque Ebreis veteribus recognito atque usitato traduntur, fides sit habenda, eo scilicet quod corpus illud qua jam habetur contextum, scriptoresque illi cæteri seculorum sunt Templi urbisque excidio recentiorum, is forsan etiam dubitabit de Justiniani seu Triboniani fide dum* Modestini, *Papiniani, Florentini, Alpheni, Proculi, Celsi, ejusmodi aliorum qui trecentis aut circiter sunt Justiniano annis vetustiores, sententias atque scita Juris alibi non reperta, nedum*

dum quando leges duodecim Tabularum quas plurimis etiam hisce sæculis antevertunt, in Digestis alibiuè enarrat memoratve; quibus similia subjungens tandem concludit; *Rationem dubitandi sive in Jure, sive in Theologia, sive in Historia sive uspiam alibi ex hac sola causa (rebus cæteris quæ circumstant fidei neutiquam refragantibus) admittere, nihil aliud est quam universæ firmè antiquitati, ipsique Historicæ rerum veritati perperam nimis & morosius reluctari.*

Nemo est quod sciam qui plura aut speciosa magis protulit ad fidem rumoribus istis Talmudicis de quibus agimus conciliandam. Similia etiam habet Vir Nobilissimus *Josephus Scaliger*. Videamus ergo paucis, utrum quod intendit, consequutus sit V. Cla. Siquidem parili ista ratione, quæ de Rabbinis & antiquis Jurisconsultis proponit, procederent, legitima esset hæc argumentatio. Sed alia planè res est. Certissimum est Authorum istorum libros, quorum dicta, placita, responsa in Jure civili à posterioribus recitantur, aliquando extitisse, imo tum temporis cum ex iis laudatæ istæ γνῶμαι exscriptæ fuere; aut etiam ex authenticis hypomnematis, & curiarum regestis, commentariis & rationibus publicis desumptæ sunt. Doctores autem *Mishnici* & *Talmudici* nè fingunt quidem antecessores suos unquam quidquam tale scripsisse, quale iis ubivis ascribunt. Decursis à morte illorum aliquot annorum Centuriis, incertis nescio quibus rumoribus, & traditionibus vanis nixi, magistros quosvis pro libitu in scenam inducunt, quos hæc vel illa, dicere aut dixisse, non tàm referunt, quàm apertè fingunt. Si Libri *Ante-Mishnici* ulli extarent, aut forsan extitissent unquam, si monumentis rerum ullis, quæ unquam in natura rerum locum occupassent niterentur, si ultra ipsorum fidem & autoritatem quidquam afferri potuerit, quod ea quæ memorant se ita habuisse revera conjecturæ fundandæ par esset aut idoneum; si rerum Judaicarum per aliquot secula status aut conditio, eos dicta & facta antecessorum suorum ante Urbis excidium fideli memoria recoluisse suspicioni locum ullum relinqueret, vim aliquam justæ ratiocinationis habere videretur instituta comparatio. Verùm multò alitèr, uti diximus, omnia hic se habent. Deinde fidem inter testium immane quantum distat. Aliter catuli longè olent, aliter sues. Iis quorum veracitas in pluribus mihi perspecta est, nolo ob suspiciones aut meras conjecturas fidem detrahere. Illis verò se ad credendum mancipari, quos novit in pluribus, imò pænè in omnibus aperte esse impostores mendacissimos, vix hominis est, nè dicam ejus qui veritatem amat. Antiqui isti Jurisconsulti, quos memorat *Seldenus*, viri graves fuere, docti, probi, & toto orbe celeberrimi; nihil dixerunt, scripserunt, nihil aliis assignârunt, nisi palàm,

aperte,

apertè, & in luce hominum, ubi ſiquid ſecùs quam oportuit juſtitiæ & veritatis obſervatores ſanctiſſimos, ſcripſiſſent, à toto pænè terrarum orbe falſi inſimularentur; Magiſtri noſtri Talmudici, Cæci, improbi, indocti, in mentem reprobam à Deo traditi fuerunt, qui, ut recte obſervat *Joſephus Scaliger* de Emendat.Tempor.lib.7. conſultò videntur *ignorationem omnium bonarum rerum profiteri*. Halophantæ, Aretologi, meras affanias in tenebris, & latibulis effutientes, quibus ut quidquam magnum parvumve credamus, ratio nulla reddi poteſt. Hæc autem in genere dixiſſe ſufficiat; quæ momenti alicujus erunt in particularium conſideratione, expendenda venient.

Intueamur inſtantias particulares, quibus ſententiam ſuam obtinere contendunt viri docti. Sunt nonnulli, quos honoris cauſa non nomino, qui non tantum more magiſtrorum inter Judæos receptiſſimo precum formulam diſcipulis ſuis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum præſcripſiſſe aſſerunt, ſed etiam verba illa & petitiones ex quibus ſanctiſſimam ſuam orationem compoſuit, ex formulis inter eos uſitatiſſimis deſumpſiſſe. Videamus itaque quibus demum rationum momentis, quibuſve Teſtimoniis fide dignis id probare ſatagunt, nam mihi ſanè vix ſatis honeſta videtur oratio. Rogârunt, inquiunt, Diſcipuli Chriſtum ut is eos orare doceret, ſicut *Johannes* diſcipulos ſuos docuiſſet. *Johannes* vero, uti addunt, morem inter Judæos uſitatum, quo Doctores Diſcipulis precum formulas ediſcendas tradiderunt ſecutus eſt. Sed omnia hæc incertiſſima eſſe & non tantum tenui ſed nullo planè tibicine fulta, cæcus pænè perſpiciat. Fateor Deum ſolennes nonnullas benedictionum formulas præſcripſiſſe Sacerdotibus *Aaronicis*; ad illarum etiam inſtar Rabbinos Talmudicos alias excogitaſſe; an primo octodecim ad numerum oſſium in hominis dorſo prout nugantur, neſcio; ſi eò reſpexerint illarum primi inventores, eos non niſi more ſolito ineptiiſſe ſcio. In centum ſupra octodecim, ob ratiunculas futiles quas commemorare piget, tandem excreverunt. Omnem Magiſtrum celebrem diſcipulos ſuos precum formulas docuiſſe, & incredibile eſt, & Teſtimoniis caret. *Johannem* Magiſtrorum illorum exemplum quos, inſcitiæ, hypocryſeos, ſuperſtitionis palàm & conſtanter redarguit ſecutum fuiſſe, audacter nimis aſſeritur. *Johannem*, multò magis ipſum Dei filium, cum cæcis Judæorum doctoribus in ordinem cogere mihi Religio eſt. Ut Dei nomen religioſe invocetur naturæ vox eſt, & cultus naturalis pars eximia. Qui alios ideò in cognitione & cultu Dei inſtruendos ſuſcipit, eos orare, ſeu preces ei fundere, docere neceſſe habet. Hoc inter diſcipulos præſtitit *Johannes*, quibus adminiculis & auxiliis uſus, incertum; docuiſſe eos orare certiſſimum; at-

que ita pro quibus tum temporis præcipue orare deberent. Dominus noster Jesus Christus qui tempore præstituto, secundum promissum novi fœderis Spiritum Sanctum in discipulos suos πλουσίως profusurus erat, infirmitates illorum in precibus fundendis sublevaturum, omnium quæ unquam ejus ope essent rogaturi, quasi in antecessum summam sanctissimam exposuit. Nam uti Spiritus Gratiæ nihil in nobis agit nisi secundum normam Verbi, ita ne ulli Spiritui freti se decipiant, in omnibus officiis quibus ejus ope & auxilio præstandis idonei efficiuntur, eidem Verbo attendere debent. Lubet subiicere Annotationem *Grotii* in Luc. cap. 11. v. 1. δίδαξον ἡμᾶς προσεύχεσθαι. *Doce nos compendium rerum orandarum. Neque enim eo tempore syllabis adstringebantur. Sic & à Johanne credibile est propositam summam precum ad pænitentiam pertinentium: quomodo hæc Christi oratio continet regnum cæleste. Hinc breviarium totius Evangelii Tertulliano dicitur; Cypriano cælestis doctrinæ compendium;* Hæc *Grotius.* In eadem sententia est. *Cor. Cornelii à Lapide.* In Math. 6. v. 9. *Tradit* inquit *hic Christus Christianis modum orandi, non tamen præcipit ut hisce omnino verbis oremus, sed tantum docet res quæ à Deo petendæ sunt, & quo ordine, qualique verborum brevitate petendæ sint.* Atque ad Luc. 11. v. 2. Notat ex *Jansenio* Christum in hac oratione synopsin totius doctrinæ Christianæ proposuisse; ideoque *Mathæum* illam per prolepsim seu anticipationem, sermoni Domini in monte quem initio prædicationis habuit adjunxisse. Vehementer enim fallitur quisquis arbitratur Christum bis eandem precum formulam discipulos suos docuisse. Dominum autem nostrum formulas inter Judæos usitatas levi mutatione factâ in rem suam accommodasse, uti aliqui loqui amant, nimis audax est assertio. Vana sunt, & nugæ, Talmudicorum Rabbinorum deliria & somnia, quibus ad figmento huic fidem astruendam nonnulli utuntur. Nescio quis *Longus* nostras laudat in causa hac *Josephum Albo Ikkar*; quasi Ikkar esset nomen viri; qui librum scripsit cui titulum fecit ספר עקרים. Sed magnis exemplis in hisce erratur. Ipse *Baronius*, ad An. 34. num. 134. simili errore, eventu contrario, nomen libri cujusdam Rabbinici putavit fuisse Alphes; quod nomen erat ipsius scriptoris; dicitur scilicet, רי אלפס Ei autem addit Jacobum Turim; cum Rabbi iste Jacobus scripsit librum ארבע טורים *arba Turim*, hoc est quatuor ordinum; Quod idem est, inquit Causaubonus; ac si quis laudaret inter Authores, Tullium De Natura; quia Marcus Tullius libros scripsit de natura Deorum.

Emanavit sine dubio absolutissimum illud orationum omnium exemplar, atque communionis nostræ cum Deo colendæ exactissimum compendium in Judæorum χριστιανιζόντων notitiam, qui à fidei professione tandem

tandem penitus deficientes, uſum tamen nonnullorum quæ inter Chriſtianos didicerunt, in ritus *Moſaicos* non incurrentium, retinuerunt. Ab iis nec aliunde prodiit fama iſta tenuiſſima petitionum Orationis Dominicæ, quam Rabbini Talmudici habuiſſe videntur.

Porro *Baptiſmi Ritum* ab eo qui tum temporis in uſu erat apud Judæos, Chriſtum mutuaſſe, multis probare conatur *Ampliſſimus Seldenus* de ſyned Hebræ. lib. 1. Alii idem agunt. Apud Judæos duo fuerunt Proſelytorum genera. Primum גרי תושב, ſeu proſelyti domicilii, & גרי צדק ſeu Proſelyti Juſtitiæ ſecundum. Proſelyti Juſtitiæ omnium privilegiorum Eccleſiaſticorum participes fuere, & planè in cenſum populi Dei veniebant. Horum erat *Ebedmelech* Jerem. 39. v. 17. Hos omnes in admiſſione ſuâ in ſtatum iſtum non tantum circumciſos, ſed & baptizatos fuiſſe Viri Docti docent; atque confidenter affirmant nunquam *Proſelytum Juſtitiæ* factum fuiſſe, quantumvis circumcideretur, niſi inſuper baptiſmo tinctus eſſet. At vero, ut quis omnium privilegiorum Eccleſiæ iſtius particeps fieret, ſola circumciſione opus fuiſſe, expreſſa ſacræ ſcripturæ teſtimonia docent. Ita enim ſe lex habet. Exod. 12. v. 48. *Si peregrinabitur apud te peregrinus, qui facere voluerit Paſcha Jehovæ, circumciditor ei omnis mas, tum demum accedito ad faciendum ipſum, & eſto ſicut ipſe indigena terræ; & nullus præputiatus veſcitor illo.* De Baptiſmo Rabbinico ὕδὶ γρύ. At ex alia inſtitutione legali hunc Proſelytorum Baptiſmum ortum duxiſſe arbitrantur. Eadem, inquiunt, lex erat Proſelytorum & indigenarum. Exod. 12. v. 49. Numeror. 15. v. 15. hoc eſt eadem lege ad eadem officia præſtanda æque tenebantur. At Baptizati inquiunt, fuere Judæi omnes. Unde inquam id apparet. Ex cap. 19. v. 10. Exod. Ante dationem legis edixit Jehova *Moſi*; dixitque; *ito ad iſtum populum ut ſanctifices eos hodie & cras, & lavent veſtimenta ſua.* Toto autem populo ad mandatum hoc divinum ſolenniter baptizato, non opus erat ut ritus iſte in illo iteraretur. Poſelyti autem quo populo conformes redderentur ritum iſtum ſuſcipere neceſſe habuerunt. Sed ea lavatio *veſtium* erat. Per veſtes, inquiunt, totum corpus intelligitur. Id unde conſtat; Magiſtri, ita docent. Verum ut iis credamus adverſus expreſſa ſcripturæ teſtimonia, ratio nulla eſt. Ipſum *Seldenum* audiamus; de ſyned. vet. Heb. lib. 1. cap. 7. *frequentiſſimum* inquit, *eſſe apud Talmudicos morum ſuorum ſuper inductorum atque in legis ſacræ, uti aiunt, ſepem ſeu munimentum humanitus receptorum rationes è ſacri ſermonis contextu aliquo verbiſque non velut ex inſtituto ſed exemplo aut analogia aliqua, petere, nemo eis paulo aſſuetior ignorat. Idque ſæpe ita fit ut audacius multo quam par eſt Verba ipſa in ejuſmodi morum confirmationem*

nem, in longe alium præter genuinum periochæ sacræ sensum distorqueantur. Id vero ab iis factum esse in loci hujus distorsione, nolo suspicari, cum res ipsa pateat. Porro! lavatio hæc *vestium* unicæ illi occasioni, præsentiæ scilicet divinæ peculiari in legis latione reverentiæ exhibendæ, inserviebat, neque ad statum Dei cultum pertinuit. Ut corporum baptismi necessitas, stato & solenni in omne ævum ritu, ex unicâ vestium lavatione, eaque causæ in æternum nunquam recurrenti innixa, emanaret, cujus etiam observationis in tota veteri testamento nulla extat memoria, vestigium nullum, quæque nullo mandato divino, institutione aut directione munitur, omnino improbabile videtur.

Lavationes etiam inter gentes sacris initiandis in more fuisse concedo. Inde ortum duxit, templa intrantes aquâ benedictâ aspergendi inter Pontificios ceremonia. Ita Virgilius; *Æneid*: 2.

Tu genitor cape Sacra manu patriosque penates.
Me bello è tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas donec me flumine vivo
abluero.

Et Æneid. *6.*

Idem tèr socios purâ circumtulit unda
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Circumtulit autem idem est ac *purgavit*; nam februa *circumferebantur*; discrimen inter *aspersionem* & *ablutionem* docet *Macrobius*; Satur: lib: *3:* cap: 1. Ritus hujus meminit Lucianus in Menippo, seu Necromantia. Περὶ inquit *μέσας νύκτας ἐπὶ τὸν Τίγρητα ποταμὸν ἀγαγὼν, ἐκάθηρέ τέ με, καὶ ἀπέμαξε, καὶ περιήγνισε δᾳδὶ, καὶ σκίλλῃ καὶ ἄλλοις πλείοσιν*; *Media nocte ad Tigridem me fluvium ducens purgavit simul atque abstersit, faceque lustravit ac squilla tum pluribus itidem aliis.* Et videantur quæ habet *Plinius:* lib: 15*:* cap: ult.

Tymarbides de *Asterio* qui manibus impuris Jovis aram attigit, atque ob eam causam fulmine percusso.

Illotis manibus libans Jovis attigit aram;
Quo pater hunc ussit flagrantis fulminis igne.
Egregiè purum fas est contingere sacra.

Fieri quoque solebat triplex purgatio; nempe aqua, sulphure, atque igne; unde *Ovidius*;

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure
lustra.

Lavationes autem omnes, quas in sacris adhibuerunt Ethnici, è scripturis nostris per dæmonum *κακοζηλίαν* ortum duxisse affirmat Justinus

Martyr

Martyr Apol: 2; atque etiam morem deponendi calceos cum fana aut templa intraverint, à dicto Dei ad *Mosen* cum ad rubum ardentem accesserit; quod sane haud veri absimile videtur.

Sed procul hæc à Baptismi ritu sacro. Fæmina Proselyta circumcidi nequibat. In ejus ideo admissione, si ullubi, Baptismi ratio habenda erat: Ast ubi ceremoniæ illius admissionis & in populum Dei insitionis recensentur, Baptismi nulla mentio est. Deut: 21, 10, 11, 12, 13. At verò *Paulus* diserte affirmat totum *populum baptizatum fuisse Mosi in nube, & in mare.* Fateor; In transitu maris Deus populum instructioni *Mosaicæ* solenniter dedicavit. Miraculosum autem istum βαπτισμὸν Judæos unquam imitatos fuisse, aut exprimere debuisse, falsum est. Ritus ideò Baptismatis in Veteri Testamento institutio nullubi memoratur, exemplum nullum extat; neque durante Ecclesia Judaicâ in admissione Proselytorum unquam usurpatus est; Apud *Philonem*, *Josephum*, *Jesum Syrachidem* ejus mentio nulla occurrit; neque in Historia Evangelicâ. Sententia ideo ista Rabbinica de baptizandis Proselytis, ortum suum *Tanneræis* seu doctoribus *ante Mishnicis*, post urbis excidum, debet. Eo se à Samaritanis distinguere voluisse arbitratur doctissimus *Schikardus* de Jure Reg: apud Hebræ: c: 5: p: 127: ad *differentiam* inquit *Samaritanorum addiderunt baptismum quendam*, quod probat ex *Raf: Alphes*, & ipso Talmude. Ego potius censeo ex *Johannis* baptismo, qui tota in gente celebris erat, cuiq; initiata est magna pars populi ritum hunc ante tempus illud incognitum, doctores *Tanneræos* mutuatos esse. Hæresis quidem inter Judæos meminit Justinus in Dialogo cum Tryphone quam Βαπτιστῶν vocat; ritu autem eo utentes propriè dictos Judæos esse negat. Author autem Quæsti: & Responf: ad Orthodoxos, hanc sibi Quæstionem proponit, vel ab aliis propositam repetit. Ἐι τὸ Ἰωάννȣ βάπτισμα μὴ κατὰ τὸν νόμον ἦν ὥσπερ οὖν οὔτε ἦν, πῶς οὐκ ἦν παρὰ τὸν νόμον καὶ πῶς ὑπὸ τῶν ἐννόμων ἠλέγχθη; πῶς, δὲ οἱ παράνομοι οἱ ὑπο τὸν νόμον ὄντες καὶ τὸ παρὰ τὸν νόμον δεξάμενοι βάπτισμα. Cui respondit. Τὸ βάπτισμα τȣ̃ Ἰωάννȣ προίμιον ἦν τȣ̃ ἐυαγγελίȣ τῆς χάριτος, διὸ καὶ ὑπὸ τὸν νόμον ἦν. Omni ideo probabilitate caret sententia ista doctorum quorundam Virorum, de translatione ritus baptismalis *Judaici*, qui reverâ eo tempore nullus erat, in usum discipulorum suorum per Dominum Jesum facienda.

De *Eucharistia* eadem planè dicenda sunt. Sanctissimum istud Domini nostri institutum, cum omnibus circumstantiis quæ, ad ejus celebrationem solennem pertinent, è ritibus Judaicis, quorum in Sacra Scriptura nullubi mentio occurit, desumptum esse arbitrantur. Ritus autem

istos ante gentis excidium finale in usu uspiam fuisse, idoneo ullo testimonio nondum probatum vidimus. Quoniam autem alii pensum hoc feliciter satis absolverint, actum hic agere in tanta nostra festinatione quà continuò urgemur, non placet.

Excommunicationis Ecclesiasticæ peculiaris est ratio. Institutorum Evangelicorum nonnulla, fundamenta sua in ipsâ rerum naturâ seu rectæ rationis placitis habere, anteà ostendimus. Prius illa ad homines quà tales sunt pertinent, quàm ad Christianos. Eorum autem quæ rationis dictamini sunt consentanea, varius semper erat inter gentes usus, prout lumini naturali plus minúsve homines se in disciplinam dederint. Horum est *Excommunicatio*. Delinquentis enim adversus officia jura & regulas communitatis cujus pars est, à privilegiis communitatis exclusionem, exigit ratio recta. Hujus juris praxi inter veteres, apud bonos Authores nihil frequentius occurrit. Eum morem Judæos observasse ipsi docent. Utrum instituti ullius divini virtute an ex jure communi id fecerint, non nunc disputamus. Istiusmodi consuetudinem apud Ethnicos invaluisse, inter plurimos alios testis est *Caius Cæsar* lib: 6: de Bell. Gall:

Si quis inquit, *aut privatus aut publicus eorum* (hoc est Druidum) *decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum & sceleratorum habentur. Iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt ne quid ex contagione incommodi accipiant. Neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.* Hinc morem hunc à gentibus ad Christianos emanasse, quidam non verentur affirmare. An quidquam magis in veterum Christianorum opprobrium fingi potuerit, vehementèr dubito. A Judæis ad Christianos pervenisse, plurimorum sententia est. An in Ecclesia Judaica divinitùs instituta fuerit Excommunicatio Ecclesiastica, an ejus exempla ulla stantibus adhùc Urbe & Templo extent, litem meam facere nolo. Rabbini Mishnici & Gemaristæ frequentèr ejus meminerunt. Dominum nostrum ritus hujus usum à Judæis aut Gentibus accepisse falsum est. Ut homines concordes vitam ad normam aliquam omnibus communem instituentes in communitatibus degant, jubet ratio. Quemcunque finem sibi propositum aut objectum habeant sacrum an civilem eadem lex est. Ut ii omnes qui juribus & privilegiis cujuscunque societatis uti, frui, gaudere vellent, nexum illius unde societas est teneant, ejusque regulis se submittant, itidem æquum est. Aliter sarta tecta communitas conservari nequit, nec perennari. Parere nolenti parata est à societatis privilegiis & commercio exclusio. Id etiam

ratio

ratio recta jubet. Hæc omnia ad naturam qua homines ſumus pertinent. Humanum genus rationis hæc dictamina, quæ aliquot annorum millia ante natum nomen Rabbinicum excoluerat ab ipſis Rabbinis didiciſſe, arbitrari inſanientium eſt. Quantumvis autem axiomata iſta in ipſa rerum ratione fundata ſint, cùm tamèn Dominus noſter Jeſus Chriſtus nihil omnino in Eccleſiâ ſuâ religiosè coli voluerit niſi ex ipſius authoritate, quoniam ejus Caput, Rex, & Legiſlator unicus ſit, illorum ad cœtuum Evangelicorum uſum appropriationem & applicationem, inſtituto ſuo munivit; atque proindè quamvis principia iſta ſeu κύριαι δόξαι adhùc naturales ſint, cùm quod ſemel naturæ rationali congruit, impoſſibile prorsùs ſit, ut ei non ſemper conveniret, illorum tamen applicatio ad ſacra illa quæ ex pura Chriſti inſtitutione pendent, mere eſt Evangelica. Poſtquàm itaque Apoſtolus probaſſet ex ipſa naturæ lege, atque gentium, nec non inſtitutionum *Moſaicarum* æquitate, mercedem Evangelii diſpenſatoribus pro opere ſuo debitam eſſe; addit continuò ſic *etiam Dominus noſter inſtituit.* 2 Epiſt: ad Corinth: cap. 9. v: 14.

LIB. QUINTUS. CAP. XVI.

Theologiæ Moſaicæ *ſecundum fundamentum. Iuſtificatio peccatoris coram Deo gratuita. abs* Eo, Eccleſiæ *Judaicæ defectio. De Abrahamo Patre inanis gloriatio. Naturalis miſeriæ agnitio abjecta. Judæorum morientium votum impium. Tertium fundamentum; de adventu & Authoritate* Meſſiæ. *Abs illo defectio peſſima. De mutatione & abolitione cultus* Moſ*aici digreſſio.Heb.* 7. 12,13, 14: *cultus* Moſ*aicus omnis, Sacerdotio Aaronico innixus. Ejus mutatio prædicta: eam ſequitur cultus ἀφανισμὸς. Meſſias Pontifex ſummus. Pſal.*110: *v:*4. כהן *quid. Leges* Moſ*aicæ mutationi obnoxiæ. Judaicæ Eccleſiæ finalis defectio & deſtructio.*

AD ſecundum Theologiæ *Maſaicæ* Fundamentum progredimur. Juſtificatio hominis peccatoris coram Deo gratioſa, illud conſtituit. Partes ejus præcipuas ſuperiùs expoſuimus. Abs eo Eccleſiam Judaicam defeciſſe penitus ipſum Evangelium luculentèr oſtendit. Cùm enim primò ex ſenſu intimo & profundo miſeriæ naturalis, atque conditionis in mundo hoc abjectiſſimo ſemper palàm profiteri debuerint *Syrum periturum illis patrem fuiſſe*, aliaque in eum ſenſum plurima nimia ſui opinione elati, ore ſuperbo quamcunque nacti occaſionem, intona-

bant solenne illud, *Abraham Pater noster est.* Ea inani gloriatione se abs omni miseriæ naturalis convictione muniverunt. Hinc initio ministerii sui præparatorii *Johannes Baptista* præjudicio isti occurrere necesse habuit Math. 3. 9 μὴ inquit, δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ. Sed emendationi obstitit pervicax superbia. Vana enim istius privilegii opinatione inflati, ipsi veritati, Domino Jesu scilicet ad resipiscentiam vocanti, ubivis audactèr & præfractè se opposuerunt. *Syri* perituri nulla mentio; semen *Abrahæ*, filios *Abrahæ*, ideoque sanctos, justos, atque Deo gratos nunquam non se jactitabant. Ejusdem erroris perniciosissimi nexu quovis seculo plurimi tenentur, qui Religionis δυνάμει & ἐνεργείᾳ destituti, externorum privilegiorum opinione, & ceremoniarum pompa inani, adversus veritatis lumen & conscientiæ morsus se munire satagunt.

Secundò, Electionem Dei gratuitam, atque Electorum ad obedientiam Deo ritè præstandam ἀδυναμίαν propriam, docuit istud Theologiæ Mosaicæ fundamentum. Verùm nulli veritatis divinæ particulæ majoribus animis se opposuit Apostatarum turba. Vix quidquam erat quod Deū iis gratuitò largitum fuisse, crederent. Se autem liberos esse; jugum servitutis nunquam subiisse, sed viribus ad obedientiam Deo præstandam idoneis naturalitèr instructos, constantèr gloriati sunt. Gravissimâ itaque injuriâ se affectos esse clamitabant, cùm inter cæcos, morbidos, sontes, qui medico aut venia opus haberent, se recenseri suspicarentur. Isti autem errori alius est comes individuus. Qui enim se viribus ad obedientiam Deo ritè præstandam naturalitèr instructos esse arbitrantur; externis observationibus & operibus esse absolvi statuunt; Quiq; maximam aut præcipuam partem obedientiæ & cultus divini, operibus & ritibus externis consistere putant, iis indubium est, se ei præstandæ pares esse & idoneos. Utriusque nexu adversus hujus Fundamenti doctrinam tenebantur Apostatæ.

Tertio Reconciliationem, peccatorum remissionem, cum Deo pacem, justitiam æternam per *Messiam* obtinendam usque adeò præfractè repudiabant, ut palàm professi sint neminem, nisi ex operibus legis justificari posse; adeoque legis justitiam, quam nunquam assequi potuerant, obstinatè prosecuti sunt. Spiritualem è mundo, morte, inferno, peccato Redemptionem & liberationem, neque curabant, neque expectabant. De istis enim apud veros & genuinos scriptores Judaicos altissimum silentium. Totam peccatorum expiationem partim sacrificiis legalibus, partim propriis meritis & perpessionibus assignarunt; uti etiamnum moribundi clamant; תהי מיתתי כפרה על כל עונותי *sit mors mea expiatio cunctarum*

cunctarum transgressionum mearum. Omnia hæc adeo nota sunt ex historiâ Evangelicâ, ut nihil opus sit iis probandis insistere. Ità palàm defecit Ecclesia ista à secundo Mosaicæ Theologiæ Fundamento, de hominis *peccatoris* coram Deo Justificatione.

Tertium restat; id adventum & officium *Messiæ* exposuit. Messiam, Dei Filium, Ecclesiæ Dominum, Maximum Prophetam, ea Authoritate & imperio à Deo Patre instruendum docuit ista Theologia, ut illi jus fasque esset novos cultus ceremonias, veteribus abolitis instituere. Ei in omnibus dicto obedientes esse tenebantur Theologi omnes *Mosaici* sub æternæ exterminationis pœna. At postquam per tot annorum centurias adventum ejus expetiissent, defectione jam graves, usque adeò infensos se ei veritati præbuerunt, ut non aliam magis ob causam, quam quod finem illum ritibus antiquis impositurum suspicarentur, ipsum Messiam morte crudelissimâ sustulerunt. Abs eo tempore, in hunc usque diem, legem ceremonialem absolutè fore æternam, neque mutationi ulli obnoxiam in primarium Theologiæ Apostaticæ fundamentum evasit. Quo autem proximius fini præstituto appropinquaverunt statuta ista carnalia, ac festinaverit magis καιρὸς διορθώσεως, eo majori insania & pervicatia propugnaverunt eorum ἀθέτησιν ἀμετάθετον. Errorem hunc perniciosissimum pluribus argumentis ex ipsorum principiis deductis, ante omnium oculos ponit Apostolus in Epistola ad Hebræos. Cum autem in præsentis *Judaismi* capite primario versemur, non abs opere instituto alienum erit illorum unum hic expendere. Illud volo quod Apostolus capite septimo, versibus 12. 13, 14, 15. atque alibi persequitur. μετατιθεμένης inquit τῆς ἱερωσύνης, ἐξ ἀνάγκης καὶ νόμου μετάθεσις γίνεται. Ἐφ' ὃν γὰρ λέγεται ταῦτα φυλῆς ἑτέρας μετέσχηκεν, ἀφ' ἧς οὐδεὶς προσέσχηκε τῷ θυσιαστηρίῳ. Πρόδηλον γὰρ ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ κύριος ἡμῶν, εἰς ἣν φυλὴν οὐδὲν περὶ ἱερωσύνης Μωσῆς ἐλάλησε, καὶ περισσότερον ἔτι κατάδηλόν ἐστιν, εἰ κατὰ τὴν ὁμοιότητα Μελχισεδὲκ ἀνίσταται ἱερεὺς ἕτερος. Apostolicæ autem hujus ratiocinationis hæc summa est. Tota lex ceremonialis, omnes cultus solennis & institutorum *Mosaicorum* administrationes, nitebantur Sacerdotio summo. In hoc uno cardine tota lex semper versata est. Ob hanc causam in mediis calamitatibus, exitiis & ruinis publicis, Deus familiam *Aaronicam* seu Sacerdotalem eatenus sospitavit, ut nunquam ex eâ deesset qui secundum legis præscriptum fungeretur Sacerdotio. Ipse enim severè interdixerat, ne quis, qui non esset ex semine *Aaronis* naturali, munus illud subire auderet in sæculum usque. Numero: cap. 16. v. 40. Porro legi isti authoritatem conciliavit, in illos qui administrationibus Sacerdotalibus ingerere se ausi essent, horrenda constituens exempla; ut in Levitas

Numeror.

Numeror. cap. 8. & Uzziam Regem, 2 Chron. cap 26. v. 18. 19, 20. Ea ideo cultui legali cum Sacerdotio ſocietas erat, ut utrique idem fatum immineret; ita ut mutato Sacerdotio fieri non potuit quin mutationem etiam pateretur cultus legalis. Præterea Deus cultui ſuo ſolenni peragendo deſignavit locum peculiarem. Extra illum nulla Sacra quæ toti Eccleſiæ communia, quæque unitatem ejus exprimerent, peragi, nullæ Oblationes aut Sacrificia offerri potuerunt. Mons *Moriæ* in urbe *Hieroſolymitana* is locus erat. Verum his ita inſtitutis, ipſe Deus tempus affore prænuntiat, quo ſuſcitaturus eſſet alium Sacerdotem, ex alia familiâ & tribu, adeoque ordine alio. Meſſiam enim, ex tribu Juda Regem, Pontificem etiam ſeu Sacerdotem ſummum futurum præſignavit. Deo autem Pontificem neque ex ſemine neque ex ordine *Aaronico* conſtituente, neceſſe eſt ut extemplò diffluerent&evaneſcerent inſtituta iſta omnia *Moſaica*, quorum adminiſtratio Sacerdotio iſti *Aaronico* unicè innitebatur. Hæc omnia inquit Apoſtolus ubivis Hebræis non poſſunt non eſſe notiſſima. Meſſiam ex tribu Juda oriundum creditis omnes. Hoc inquit *manifeſtum* eſt. Deum autem nihil unquam dixiſſe de Sacerdotio, quod ſcilicet cultum *Moſaicum* curaret, in Tribu *Judæ* excitando, figendóve, quoque confitemini. Reſtat ideò tantùm ut probem *Meſſiam* futurum Saeerdotem ſummum. Id conſtat ex verbis Pſaltis ἀναντιῤῥήτως; Pſal: 110: 4: 3: נשבע יהוה ולא ינחם אתה כהן לעולם על דברתי מלכי צדק *Juravit Jehovah & non pænitebit, tu Sacerdos in ſeculum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Pſalmum iſtum Propheticum eſſe,atq; Meſſiam reſpicere, nulli tum temporis dubitabant Judæi. Aſſentiuntur Targumiſtæ;neq; it inficias veterum Magiſtrorum quiſquam. Cùm etiam Dominus noſter Jeſus Chriſtus Scribarum & Phariſæorum ignorantiam fœdam per quæſtionem ex Pſalmo hoc de Perſona Meſſiæ deſumptam in ſolem traduxerat coram omni populo, quamvis pudore circumfuſi, non tamen auſi ſunt negare Meſſiam eum eſſe, quem ibi loci *Davides* Dominum vocavit. Is verò non tantum Sacerdos futurus dicitur,ſed quò innoteſcat ineffabilis illius Sacerdotis prærogativa,Deus ſolennitèr jurat quòd immutabilitèr in ſecula Sacerdotio ſit functurus. At hìc miſerrimo ſubterfugio utuntur,hodierni Apoſtatæ. כהן inquiunt non tantum Sacerdotem ſignificat, ſed & Principem;lubentiſſimè vero ſe admittere *Meſſiam* fore Principem. Et hoc ſanè εὕρημα Rabbinis eſt digniſſimum; quia frivolum planè & nugatorium. *Melchiſedech* Rex ſalem dicitur; & כהן לאל עליון; hóccine eſt Princeps, an Sacerdos Dei altiſſimi. Cur quæſo eum principem eſſe diceret, cùm dixiſſet Regem? Cum כהן nunquam Principem denotet, niſi qui ſit rege minor, & inferior. Deindè Sacerdotis erat non

Prin-

Principis aliis Dei nominè benedicere;quod כהן hic feciſſe legitur;Gen: 14: Neque ordinis peculiaris *Princeps* erat *Melchiſedech*, ſed *Sacerdos.* Neque uti diximus *Cohenim* cùm ad ſtatum civilem vox illa transfertur Reges unquam ſignificat, ſeu eos qui ſumma poteſtate prædiii ſunt, ſed eos tantum qui in ſecundis tertiiſve conſiſtunt; qualem Virum Principem Meſſiam ſuum futurum *Judæi* nolunt admittere.

Porrò Meſſias non Regni *Melchiſedechiani* ſed *Davidici* hæres conſtitutus eſt; Atque in Davide regalis ejus officii typus erat precipuus cum is in Eccleſia regnaret; Pſal: 2; ille alter inter gentes. Neceſſe ideò erat Meſſiæ adventum exciperet conſtitutionum Moſaicarum μετάθεσις & ἀφανισμός. Ex antedictis etiam accedit argumento non leve momentum. Urbs *Hieroſolymitana* omnis cultus ſolennis ſedes Dei juſſu conſtituta eſt. Id non diffitentur Apoſtatæ. Adveniente vero *Meſſia* מנחה ubivis locorum per totum terrarum orbem Deo oblatum fore prædixit Prophetarum ultimus. Mal: 1: 11. Et ne quid deeſſet veritati huic aſtruendæ quæ Judaiſmo præſentiſſimum exitium affert, prænuntiat Deus ſe diebus Meſſiæ Sacerdotes & Levitas ex ipſis gentilibus ſibi aſſumpturum. Iſa: 66: v: 21. Atqui hoc non magis cum Judaiſmo conſiſtere poteſt, quam lux cum tenebris. Perſpicaciores Judæorum vi veritatis coacti tandem manus dant. Author *Sepher Ikkarim* non tantum expreſsè affirmat legem mutabilem, ſed etiam reſpondet ad Argumenta quibus in libro de *fundamentis legis*, eam æternam eſſe probare conatur *Maimonides*. Poſtquam enim rationes R: M: B: M: recituerit addit אלא שכאשר יעוין זה הדעת l. 3. cap. 13. נמצא שאינו מחוייב שלא תשתנה תרת האלהית *ſi quis* (inquit) *hujuſmodi rationes attentius conſideret, inveniet eas non convincere legem divinam eſſe immutabilem*; atque ſigillatim ad eas reſpondet. Et Caput: 20; expreſsè docet Meſſiam Prophetam fore *Moſe* majorem, quique inſtituta ejus mutandi jus ſit habiturus. Similia docet R: Moſes Nachamanides in Deut: Sect נצבים. Hæc vero obitèr & ὡς ἐν παρόδῳ.

Hæc illa erat Eccleſiæ Judaicæ fatalis Apoſtaſia, ab omnibus Moſaicæ Theologiæ Principiis & Fundamentis palam deficientis. Defectionem comitata eſt ultima morum corruptio. Rejecta veritatis cœleſtis efficacia, quæ ſola hominum ſceleribus metam modumque conſtituere potis eſt, totus pænè populus in omne ſcelus projectiſſimus, & flagitiis perditus, ultimam ſibi acceleravit ruinam. Repudiato autem & nefariè ſublato Dei Filio animâ & vitâ Theologiæ *Moſaicæ*, ſine cujus ſalutari & vivifico influxu corpus ea erat inutile ſeu cadaver potius, ei non abſimile (forſan id ipſum) circa quod Michaeli cum Diabolo lis interceſſit, cùm

Theo-

Theologorum neminem amplius ad Deum producere possit, nec nomine Theologiæ digna videtur. Est etimim (prout eam rectè definit. *Anton: Hulsius* in præfatione suâ ad librum de Messia, Theologia Judaica, *doctrina ab hominibus in Talmude tradita, constitutionum forensium & Ecclesiasticarum in Politiâ Judaicâ olim observatarum, & denuo in ea per Messiam restaurata, ut Judæi beatè in mundo vivant observandarum seriem comprehendens*; quæ quam procul absit à natura & fine omnis veræ Theologiæ quivis facilè judicet.

Ex duplici autem causâ erat, quod non nisi aliquot annorum morâ interpositâ post Messiæ promissi repudiationem, mundus hic Theologorum Apostaticus igne, cui olim destinabatur, fit abolitus. Etenim primò ipsi Apostatæ ἀναπολόγητοι reddendi erant. Necesse ideo erat, teste ubivis Paulo, ut iis non tantum in tota Judæa, sed per omnes inter gentes διασποράς, priusquàm exitio ineluctabili gens deleretur, annuntiaretur Evangelium. Deinde in populo adhùc latuit residuum illud Electionis per gratiam evocandum, antequàm ei superveniret ἡ ὀργὴ εἰς τέλος. Ob has inquam rationes continuata est in tolerantia & longanimitate Dei Ecclesia ista per annos aliquot postquam manum ultimum fatali defectioni admovissent Apostatæ. De excidio hoc consulat lector Historiographum nominatissimum αὐτόπτην, Præfat: ad lib: de Bell: Judaic: & lib: 6: cap: 11: 12, 26: lib: 7: cap: 9, 11, 12, 15, 16, 24, 28. Non homines narrat, sed monstra, non cladem memorat aut gentis excidium, sed miseriarum omnium quas unquam pertulit humanum genus, abyssum inexhaustam. Atque hunc finem habuit Ecclesia Apostatica Judaica, postquam à Reformatione *Ezraitica* annos 527, Deus eam multâ longanimitate tolerasset.

LIB. VI. CAP. I.

DE THEOLOGIA EVANGELICA PROPRIE SIC DICTA.

Operis suscepti momentum & difficultas. Quorundam αὐθάδεια *notata. Theologiæ Evangelicæ Author; Unigenitus Dei Filius. Adventus ejus Tempus. Plenitudo temporis quæ. Cultus Idololatrici* ἀκμή; & *Philosophiæ; Humanæ etiam Dominationis. Omnium instaurationis expectatio. Plentitudo temporis à Deo destinata. Dies ultimi qui. Ecclesiæ Judaicæ.*

AD finem operis properamus, nondum tamen propositum assecuti. Theologiam Christianam ex professo & datâ operâ primò & pænè unicè enarrandam suscepimus. Nec Doctrina Evangelica, sed is mentis nostræ habitus quo eam amplectimur initâ ratione operis, maximè nobis obversabatur ante oculos. In hunc ideo locum rejecimus quæ Theologiæ subjectum proprium respiciunt,ad omnem quamvis peccatorum Theologiam æquè pertinentia. Non alium autem in hoc cœlestis sapientiæ studio apicem mihi assequutus videor, quam quod cum hisce de rebus disseram aut loquar, me misere balbutire sentiam. Etenim in iis quæ ἐκ μέρους tantum percipimus versamur,& quorum totam scientiam nemo haurire potest,nisi cui Deo ἀμέσως frui licuerit. 1 ad Cor:cap. 13: v:12. Neque est cur tenuitatis nostræ aut etiam ignorantiæ verecundia nos commoveri diffiteremur, cum putantem se hîc quidquam (perfectè) scire, nescire omnia pronuntiet Apostolus ejusdem Epistolæ Capite Octavo & Versu Secundo. Ea sanè est nonnullorum, juvenum præsertim,qui nomen suum Theologiæ dedisse profitentur αὐθάδεια ut quamvis Doctrinæ Evangelicæ scientiâ ex tribus vel quatuor Libris vix mediocritèr sint instructi, tamen eo se gerunt supercilio, quasi aut soli saperent,aut nomen haud incelebre inter sapientissimos se mereri arbitrarentur. Imo bene esset si sibi tantum *Suffeni*, non alios etiam magno suo malo despicerent, qui eâ sapientia revera imbuuntur, quam ineptissimè se assecutos esse gloriantur. Verè olim dictum à Seneca. *Puto multos ad sapientiam pervenire potuisse, nisi putassent se pervenisse.* Sed νέοι πάντα εἰδέναι οἴονται καὶ διισχυρίζονται teste *Aristotele*; quo animi af-

fectu nihil est quod quemquam imparatiorem reddat ad studium Theologiæ. Olim dictum, dicendum adhùc, *proveniunt aratores novi, stulti, adolescentuli*: de quibus *Judas v*: 10: ὅσα μὲν οὐκ οἴδασι, βλασφημοῦσιν; ὅσα δὲ φυσικῶς ὡς τὰ ἄλογα ζῶα ἐπίστανται, ἐν τούτοις φθείρονται. Si quid Philosophicè de natura rerum cognoscunt, fastu illicò intumescentes, quæ maxima animæ corruptio, aspernantur quæ non norunt Evangelii mysteria. Faxit Deus ut tandem intelligant Sudiosi, aliam planè rem hic agi, quam in Philosophorum Scholis, alio mentis affectu, alia ingenii &cordis dispositione hîc opus esse,quam quibus humanarum scientiarum *encyclopædiam* aggredi solent.Huc autem Ego si quid consilii conferam,quod Deo in piorum commodum bene vertere gratiosè placuerit,voti & in toto hoc opere propositi compos, hinc etiam habebo inter alia plurima, quod gratiæ divinæ imputem. Sed nunc ad propositum revertamur.

Eversâ funditùs Ecclesiâ Judaicâ, Theologia purè Mosaica cui innixa erat, eatenus vim suam amisit, ut neminem ampliùs ad Deum possit perducere. Supremam itaque manum sui Revelationi Deus jam erat impositurus. Ecclesia variis sub οἰκονομίας spiritualis gradibus educata, adulta jam in statum suo genere perfectum,& immutabilem erat transferenda. Operi huic sanctissimo sapientissimóque perficiendo, Filius Dei Unigenitus, ab æterno destinatus,promissus autem à jactis mundi fundamentis, Temporis Plenitudine missus est. Id nos signanter docet Apostolus ad Heb: cap: 1: v: 1, 2: πολυμερῶς inquit, καὶ πολυτρόπως πάλαι ὁ Θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς προφήταις, Ἐπ᾽ ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ; qui ideo ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς ὁμολογίας ἡμῶν dicitur, cap: 3: v: 1; atque etiam ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίστεως cap: 12: 2. Quæ vero ad Personam Jesu Christi θεανθρώπου Internuntii Dei Maximi spectant, neque hujus operis sunt, & alibi nos fusiùs enarravimus. Author ideo Theologiæ Evangelicæ immediatus est ipse Jesus Christus Filius Dei Unigenitus. Concessimus quidem superius omnem peccatorum Theologiam aliquo sensu dici posse Evangelicam. Etiam ejus utcunque administratæ Author primarius erat ipse Dei Filius. Spiritu Christi φερόμενοι οἱ ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι eum exposuerunt, 1 Pet. 1. 11. & 2 Pet. 1. 21. Is erat qui aliquoties sub humana specie se Patribus præsentem exhibuit; atque idem Angelus qui cum Ecclesia erat in deserto Actor: 7: v: 38. At peculiaris administrationis respectu, ea solùm Theologia Evangelica dicitur, quam ipse Dei Filius in Personâ suâ è sinu Patris egrediens, exposuit. Is ergo hujus Theologiæ Author singularis; unde habet quod ut sit perfectissima, ita ultima Dei Revelatio

latio. Recte *Tertullianus*; *nobis curiositate opus non est post Jesum Christum nec inquisitione post Evangelium : cum credimus nihil desideramus ultra credere ; hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debemus:* Præscript: adu: Hæres.

Tempus adventus Domini nostri Jesu Christi, adeoque Revelationis Theologiæ Evangelicæ, considerandum venit. Nolo autem Ego Chronologicas difficultates solicitare, nolo Annorum, Dierum, Horarum rationes ad calculos vocare; cum ut liberè dicam nondùm sciam, quid cuiquam commodi hactenus accesserit, ex difficillimis & intricatissimis Chronologorum litibus. Mihi quidem placet illud *Plutarchi* in *Solone*; qui ut ostenderit se nolle colloquio *Solonis* cum *Cræso* fidem detrahere, idcircò quòd nonnulli eum ætate Cræsi vixisse negarent, ait ἐ' μοι δοκῶ προήσεσθαι, χρονικοῖς τισι λεγομένοις κανόσιν οὐκ μυρίοι διορθοῦντες ἄχει σήμερον εἰς οὐδὲν αὐτοῖς ὁμολογούμενον δύναται καταστῆσαι τὰς ἀντιλογίας; ; Historiam istam, *non possum in animum inducere ut repudiem ob Chronicas quasdam quas vocant regulas, quas sexcenti corrigentes nihil hactenus constituere certi, in quo consentiant inter se de pugnantibus, valuere.* Sunt autem quæ de tempore illo dicuntur, quæ ad Theologiam pertinent. Dicitur enim Christus venisse in *plentitudine temporis*, Epist: ad Gal: cap: 4. v: 4. Dicitur etiam venisse in *ultimis Diebus* Epist: ad Heb: cap: 1: v: 2: videndum ideo sub qua ratione, duæ istæ temporis designationes, idem tempus præcisè denotent.

Primus locus ita se habet; ὅτε ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ. *Plenitudo* autem *temporis* duplicici respectu dicitur; ad ea scilicet quæ tempore mensurantur & mundi hujus αἰῶνας, & determinationem divinam. Utroque respectu videbimus Christum venisse in *plenitudine temporis*.

Primò; mundus ipse atque in eo, quæ ad οἰκονομίαν divinæ patientiæ ullatenùs spectarunt, πλήρωμα suum obtinuerunt. Illa ad quatuor capita referri possunt. Primas tenuit Deorum cultus. Quid esset in δεισιδαιμονίᾳ seu falsorum Deorum cultu impio, jam tandem plenè expertus est terrarum orbis. Pervenerat ad Gloriæ, splendoris, efficaciæ, & Catholicismi fastigium Idololatria. Quemadmodùm per innarrabilem temporum annorumque seriem sensim prorepserit superiùs exposuimus. Ex initiis pravis, stultis, futilibus in tantam jam gloriam excreverat, ut nihil unquàm periturum, gloriosius, sublimius, præstantius, aut viderat orbis, aut unquam est visurus. Quid solatii, subsidii aut præmii ex eâ superstitione cujus in servitium lubens se astrinxerat humanum genus, reportatarum erat, satis jam habuit perspectum; quod utique non

 habuisset,

habuisset, si Christo citius misso, Deus citius homines vocasset ad resipiscentiam. Abs eo die in quo ineffabili missionis Christi beneficio mundum devinxit, nihil planè Gloriæ, Ornatui, Ceremoniis, hoc est πληρώματι Idolatriæ accessit. Hanc partem plenitudinis temporis enarrat *Paulus* Actor: cap: 14: v: 15: 16: & cap: 17: v: 30.

Secundò; pervenerat conatus iste quem pluribus anteà descripsimus, restaurandi per Philosophiam Theologiam naturalem, ad limites sibi à rerum naturâ, ingenioque humano constitutos. Eo tempore perfectionem suam, quatenus res imperfectissima incertissimaque perfecta dici possit, humana sapientia assecuta est. Nihil naturæ universi intimius, nihil sublimius, nihil utilius unquam habuit Philosophia, neque ornatè magis unquam est quàm tùm temporis, exposita. Id honoris sibi postulant consociata *Græcorum Latinorumque* ingenia. Hunc autem Philosophiæ progressum & ἀκμὴν temporis plenitudinem respexisse nos docet Apostolus. 1mâ ad Corinth: cap: 1: v: 21. Ἐπειδὴ γὰρ, inquit, ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ θεοῦ οὐκ ἔγνω ὁ κόσμος διὰ τῆς σοφίας τὸν θεὸν, εὐδόκησεν ὁ θεὸς διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος σῶσαι τοὺς πιστεύοντας. Hoc est; cum in sapientissimâ Dei rerum dispositione & patientiâ, perspectum satis esset quid possit ista sapientia Philosophica, quo tenderet, quidve abs eâ expectandum foret, placuit Deo ad salutem credentium Evangelium per Filium suum annuntiare.

Tertiò; Secularis potentiæ seu humani Imperii gloria in fastigium supremum se erexerat. Ad quod plurimi à seculo *Nimrodico* frustrà viam affectaverant, *Romani* factum dederant. Omnis terrena gloria, quidquid rerum pereuntium penetralia & recessus præbere possunt, quidquid ex humanâ rerumque pænè omnium naturâ mancipatâ & in servitutem redactâ, extorquere potuerunt Ambitio, Luxuria, Avaritia, Curiositas, Sapientia denique hominum in unam urbem quasi compacta & congesta, omnium oculis & considerationi fuêre exposita. Quid esset imperium & dominatio, quid vis, virtus, robur, potentia humana, quid divitiæ, seculi typhus omnis, quid vitæ luxuria, quo assurgerent ædificia, quo descenderent fodinarum cuniculi, exhibuit Orbis ista ἐπιτομή. Abs eo tempore continuâ eventuum successuúmque serie diminuta est ea gloria, & nescio quid quotidie rerum summæ & splendori decessit. *Eo temporis plenitudine* facilè perspicerent non plane stupidi, & vitiis, totis pectoribus præpediti, quid ex rebus omnibus creatis expectandum foret, cum ipsi Rerum Domini non minus avaritiâ, invidia, ambitione, & libidine exarserint, quàm si summa rerum omnium inopiâ laborassent.

Quartò; Regis Maximi adventus, temporum fælicium & pacis æter-

næ

næ inivi, omnium instaurationis introitus,& primordiorum mentes hominum mira & inusitata expectatio occupaverat. Judæi quotidie Regis Messiæ ἐπιφάνειαν expetebant simul expectabantque; *Gentiles* aurei seculi reditum. Famam autem percrebuisse Orientem,ut aliqui, rerum naturam ut alii, Regem Maximum illicò producturum constans & consentiens est laudatissimorum Historicorum Testimonium. Cúm itaque ad ultimum, virium superstitione & sapientia, dominatione & luxu, vitiis & virtutibus exercuisset se genus humanum, hoc est *plenitudine temporis*, Deus Filium suum pacem annuntiantem iis qui propè, iisque qui procul erant, gratiosè misit.

Secundo; aderat plenitudo temporis à Deo olim destinata. Christum προεγνωσμένον πρὸ καταβολῆς κόσμου fuisse testatur *Petrus* 1 Epist: cap: 1; v: 20. Venturum, secundum πρόγνωσιν istam seu destinationem æternam, à jactis mundi fundamentis promiserat Deus per Prophetas, *Lucæ* cap: 1: v: 70. Hinc ὁ ἐρχόμενος dictus. Is sensus quæstionis *Johannitica*; Math: 11. 3. σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος; & ab Adamo usque expetitus; חמדת כל־הגוים, Hagg: 2: 7. Præstituto itaque tempore, hoc est cum adesset tempus promissis implendis destinatum, in carne manifestus factus est Dei filius; Advenisse temporis plenitudinem quo Messias mittendum erat, ipsi Judæi negare non audent; missurum vero præfractè negant. Quid ita; nempe Deum peccati ipsorum irratum ejus adventum hucusque distulisse aiunt. Nos quidem fatemur illorum scelera maxima & gravissima fuisse; eam autem infidelitatem quæ illos è censu populi Dei ejecit, ipsam Dei fidelitatem irritam facere potuisse aut fecisse pernegamus.

Certum ideo est Christum venisse in *plenitudine temporis*. Restat itaque ut videamus quomodo advenerit etiam in *fine Dierum*. Nam Plenitudo temporis, & Dierum Finis vix videntur idem tempus, eosdemque Dies denotare. Quamvis autem tot secula effluxerint ab ejus adventu, atque incertissimum quamdiù adhùc mundus hic in patientia Dei sit duraturus, vel quænam sit seculi mora ut loquitur *Tertullianus*, certissimum tamen est Christum ultimis in diebus venisse. Id testatur Apostolus; Heb: 1: v: 1: 2: 3: ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν; Tempus autem aliquod, *dies ultimi* dici potest, absolutè, vel cum aliquo respectu. Cur tanta annorum imò seculorum series, quanta ab Incarnatione Christi hùc usque effluxerit, atque ad consummationem omnium absolvenda restat, *dies ultimi* absolutè diceretur, ratio nulla reddi potest. Quidam arbitrantur *Dies* istos *ultimos* dici, respectu habito ad dispensationem voluntatis divinæ, cujus scilicet nunc ultima Revelatio facta est. Totum itaque tempus prædicationis Evangelicæ, ab Incarnatione aut Resurre-

ctione Christi, ad consummationem seculi, illis arbitris, *dies ultimi* dicendum est. Sed nullo Testimonio, nulla quod sciam ratione probabili nititur ista sententia. Tempus illud mundus novus est, mundus venturus, non *ultimi dies*, aut ultima hora. Dicitur ideo tempus adventus Christi Dies ultimi, respectu Ecclesiæ Judaicæ. Illa jam ἐγγὺς erat ἀφανισμοῦ. Exitus autem Ecclesiæ Judaicæ incidit in temporis plenitudinem. Ideo affirmat Apostolus, loco memorato, Deum in Filio allocutum esse populum *Judaicum* ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων; istis, scilicet qui tunc erant in transitu, nec dùm finitis, sed illicò finiendis. Etenim in totâ illâ Epistolâ ad *Hebræos* supponit Apostolus Ecclesiam Judaicam tum temporis extitisse, cultumque ejus solennem in tolerantia Dei eatenus Deo placuisse, ut nemo ex illius observatione deterior fieret, aut Deo gratus aut acceptus minùs. Gentes quidam à jugo ceremoniarum *Mosaicarum* liberæ pronuntiatæ sunt, Actor: cap:15. At fideles Judæos longo post tempore totum cultum solennem Mosaicum religiosè observasse, anteà ex Acto. cap:20:v: 22:21:22. & cap: 25:v: 26:docuimus. Nonnulli etiam codices antiqui legunt ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων; hoc est in dierum istorum extremitate; quo Ecclesiæ Judaicæ status, quæ jam quasi inter sacrum & saxum posita, in extremis stetit, apertè satis indicatur.

Porro; de officio Christi ministeriali, seu munere Apostolico, quo dùm in terris esset functus est, eo loci agitur, ubi in *Diebus* ultimis missus dicitur. Id verò ad *perditas oves* domus *Israelis* unicè pertinuit; Math: cap: 15. v. 24. Unde etiam *minister circumcisionis* dictus est; Rom.15.8. Filius scilicet & hæres in *eandem vineam* mittendus erat, è quâ servi repulsam passi sunt. Math. 21. Venisse autem eam ad istam Ecclesiam in *ultimis* ejus *diebus*, cum tantum non esset perdita norunt omnes.

Etiam verba illa ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν vaticinia ista veteris Testamenti referunt, quæ expressè denotant Judaicæ Ecclesiæ tempora ultima. Expositurus *Jacobus* quæ posteris suis usque ad Messiæ adventum accideerent, ita vaticinium suam orditur; Gen. 40. 1: indicabo vobis quæ accident באחרית הימים quæ verba seniores reddunt ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν. Similiter Numero: cap. 24. v. 14. Ubi de eodem tempore iisdem verbis utitur Spiritus Sanctus, ἐπ' ἐσχάτῃ τῶν ἡμερῶν, prout multi codices locum Apostolicum exhibent. Christus itaque Theologiæ Evangelicæ Author, in *plenitudine* temporis, & in ultimis Diebus venit; quoniam *ultimi dies* Ecclesiæ Judaicæ, in plenitudinem Dierum inciderint.

LIB. VI. CAP. II.

Theologiæ Evangelicæ Author Christus; cognitione voluntatis divinæ perfectissimè instructus. Scientiæ perfectissimæ Christi mediatoris fundamentum, Joh. 1. 18. Modus, plenitudo, perfectio absolutissima. Revelatio voluntatis divinæ ei scientiæ conformis. Theologia Evangelica. Ejus principia.

Αδελφοὶ ἅγιοι inquit Apostolus, κλήσεως ἐπουρανίου μέτοχοι, κατανοήσατε τὸν Ἀπόστολον καὶ Ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν χριστὸν Ἰησοῦν; ad Heb: cap: 3: v: 1. Id nos paucis egimus capite superiore. Restat ut illam ipsam ὁμολογίαν nostram, seu Doctrinam Evangelicam accuratè perpendamus. Christum è sinu Patris missum, perfectissimè Dei voluntatis cognitione instructum fuisse, ità ut nihil omnino novi iis relictum sit è veritatis fonte hauriendum qui post regem venturi essent (Eccles. 2. 12.) inter se conveniunt Christiani pænè omnes. Ipse quidem ὁ λόγος, æternum Dei Verbum, infinitam rerum omnium scientiam, totius essentiæ & voluntatis divinæ, intelligentiam absolutissimam habet sibi congenitam, hoc est una cum ὑποστάσει divina à Patre sibi ab æterno communicatam. Quâ verò Ecclesiæ caput, Mediator & τῆς ὁμολογίας ἡμῶν Ἀπόστολος à Patre delegatus extitit, ea tantum novit, (illâ scilicet in natura quâ ipse totũ munus mediatorium peregit) quæ ei à Patre data & revelata sunt. Hinc quædem se nescivisse affirmavit, Marc: c:13.32;nihil autem cognovisse ea pratèr quæ Pater ipsi revelasset Joh: 7. 16. 17. Joh. 5. 30. Durat etiam post gloriosam ejus ad Dextram Patris exaltationem eadem οἰκονομία. Undè testatur se Ἀποκάλυψιν illam solennem quam non Spiritus inflatu solùm, sed vivâ voce è cœlis edidit,se a Patre accepisse. Apocal: cap:1:v: 1. Fingunt *Sociniani* illum tempore *Jejunii Eremetici* in cœlum raptum, in consilio Dei de munere sibi delegato ritè obeundo instructum fuisse. Figmentum prodigiosum è lacunis *Alcorani Muhammedici* haustum, quod *Vindiciis* nostris *Evangelicis* explosimus. Cognitionis ejus voluntatis divinæ quæ erat in Christo Jesu fundamentum *Baptistes* exponit. Joh. 1. v. 18: si modo ea verba sint *Baptistæ*,quod negat *Chrysostomus*, οὐ τοῦ προδρόμου ἐστὶ τὸ ῥῆμα inquit, ἀλλὰ τοῦ θεοῦ; cujuscunque fuerint, ista sunt. Θεὸν inquit οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, ne ipse Moses quidem per quem Lex data est, v.19: ὁ μονογενὴς υἱὸς ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον, (hoc est ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ πατρὸς ἐκεῖνος

κεῖνος ἐξηγήσατο. Cùm enim ſit ὁ υἱὸς θεοῦ μονογενὴς, atque adeò ejuſdem cum Patre eſſentiæ, ipſius Eſſentiæ divinæ atque adeò omni veritati in ea latentis cognitionem & comprehenſionem infinitè perfectiſſimam habet; Is ideo ſolus idoneus ad Deum exponendum perfectè cùm is ſolus Deum viderit. Deinde cum in ſinu Patris fuerit, omnium conſiliorum & arcanorum ejus erat conſcius; Ad ennarrationem autem voluntatis divinæ ſibi commiſſam ritè obſolvendam, Spiritu Sancto donatus eſt, οὐκ ἐκ μέτρου· Joh.cap.3. v. 34: cumulatiſſimè enim Deus Spiritum illi citra menſuram admenſus eſt, atquè cum eo immenſum quoddam donorum ſpiritualium mare, ſapientiæ præſertim & intelligentiæ in timore Domini; Iſaiæ cap. 11.v. 2, 3. Ita ut in eo eſſent πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι ad Col: cap.2. v:3. Quidquid erat in mente divina ab æterno abſconditum, quod ad gloriam Dei illuſtrandum, regnum erigendum, cultum inſtituendum, Eccleſiam colligendam, Electos vocandos, inſtruendos, conſolandos, quidquid denique ad hominum obedientiam Deo præſtandam pertinet, illius omnis cognitione à Deo Patre perfectiſſimè inſtructus, ejus voluntatis ad homines internuntius extitit. In hac itaque ſententia acquieſcunt omnes; & Chriſtum ſcilicet, quatenus τῆς ὁμολογίας ἡμῶν Ἀπόστολος perfectiſſimè exploratum habuiſſe omne Dei conſilium de cultu ſuo atque obedientia noſtra; cum cæteri omnes divinæ voluntatis expoſitores, etiam ipſe Celeberrimus Legiſlator, partem tantum illius aliquam, ei ſcilicet cui ſervierunt diſpenſationi famulantem, participes facti fuerint. Nil tam profundè latuit in æternæ mentis abyſſis, quod non perfectè ſcrutaverit; nihil tam minutum quod Deo unquam in cultu ſuo gratum aut acceptum eſt eritvè, quod ſapientiſſimum illius pectus latuit, fugitve.

Porro; Sanctiſſimum hunc Theologiæ noſtræ Authorem, totum illud Dei conſilium cujus cognitionem perfectiſſime eſt adeptus, cum diſcipulis ſuis qui doctrinam ejus in omnes gentes propagaturi eſſent, partim viva voce, partim per Spiritum quem dono à Patre poſt Aſcenſionem accepit, communicaſſe, teſtatur Sacra Scriptura, atque conſentiunt Chriſtiani. Cum enim fidelis eſſet in tota Domo Dei, Patri illum conſtituenti; Heb. 3. 2; idque non ſolum tanquam ejus in opere mediatorio *ſervus fidelis*, Iſa. 42. v. 1; ſed etiam tanquam Filius Unigenitus, Heb. 3. 6; qui omnium eſſet hæres, cujus eſſet ipſa domus, quam unicè dilexit. Epheſ: 5. 25. 26; amore cui nihil unquam par erat aut æquale, Rom. cap. 5. v. 6, 7, 8; impoſſibile planè erat ut non perfectè exponeret in ejus commodum & ſalutem, quæ eo fine à Patre acceperat. Revelatio autem hæc voluntatis divinæ, à Patre Chriſto data, atque ab illo

lo per Spiritum Sanctum cum Apostolis suis aliisque, in usum totius Ecclesiæ communicata, Theologia est ista Evangelica, prout in abstracto sumpta doctrinam divinam denotat, quam sumus enarraturi.

Hisce præmissis, Theologiæ hujus Principia, quæ ei ἰδικά sunt, seu ἄιτια κύρια paucis recensebimus.

1. Horum primum est; neminem propriis viribus, aut suopte ingenio fretum, externis quibuscunque mediis in subsidium adhibitis, finium salutarium respectu in quos mentem humanam dirigit, Theologiam hanc percipere aut ritè intelligere posse. Atque in hoc primùm ab omnibus aliis scientiis natura ejus dissita est. Prout enim diserte pronuntiat Apostolus, *animalem hominem non esse capacem eorum quæ sunt Spiritus Dei, nec posse ea intelligere quia spiritualiter dijudicantur*, 1 ad Cor. cap. 2. v. 14, Ita ipse Dominus Jesus docet neminem ad eum venire posse, nisi *traxerit eum* Pater, Johan. cap. 6. v. 44. Ubivis etiam ostendit Theologia hæc homines extra cognitionem Christi, mortuos esse in peccatis, cæcos, insipientes, stupidos, ita ut doctrinam hanc cœlestem capere aut salutariter intelligere nequeant; quæ nos alibi fusiùs exposuimus.

2. Secundo, iterum nasci eum oportere docet, seu spiritualiter renatum esse, qui doctrinam istam quam exhibet salutaritèr aut utiliter cognoscere velit, hoc est in eum finem cui ab Authore Sanctissimo destinatur. Atque hîc immane quantum distat ab omni humana sapientia. Sint etenim homines omni literarum genere excultissimi, ad supremum humani ingenii captum, intendant mentis nervos omnes & aculeos, nihil intentatum relinquant, nisi tamen renati fuerint, impossibile est ut doctrinâ hâc salutaritèr imbuerentur; *nisi enim quis renatus sit* inquit Dominus noster, *non potest videre regnum Dei*, Johan. chap. 3: v. 3. Regnum autem Dei exponit hæc Theologia. De hoc vero Principio postèa pluribus agendum.

3. Deinde, tertiò, neminem renasci nisi virtute Spiritus Sancti, cujus efficaci operatione è morte spirituali ad vitam traducuntur quotquot ex Deo nati sunt. Joh. 3. 3:4, 5, 6. Joh. cap. 1. v. 13. Tit. 3. 5.

4. Ac proinde quartò Spiritum illum Sanctum solum quenquam in salutarem hujus Theologiæ perceptionem posse introducere; seu intellectum cuiquam largiri quo doctrina Evangelica salutaritèr intelligatur. Joh. 16. v. 13. 1 Joh. 5. 20. 1 Cor. 2. v. 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16. 2 Cor. 4. v. 6: atque ejus proinde opem & auxilium propriis viribus diffisos, assiduis precibus expetere eos omnes qui Theologiæ huic operam dant, oportere. Luc. 11. 13. Jacob. 1. 5. Ephes. cap. 1. v. 7. 18.

5. Quinto cultum Dei virtute hujus Theologiæ institutum spiritualem esse, cujusque gloria in hominum oculos minimè incurrat, aut carnali cujusquam intellectui sit exposita; 2 Corinth. cap. 3. v. 6. 7, 8, 9, 10. & Johan. cap. 4. v. 21. 22. 23. 24.

6. Denique omnes Dei in Christo cultores, secundum Theologiæ hujus normam, ejus virtute à mundo separari, ac proinde abs eo, ob istam causam, & quod Spiritum Sanctum receperint, cujus iste capax non est, odio habitos semper atque habendos. 2 Corinth. 6. v. 14, 15, 16, 17, 18. Johan. cap. 15. v. 18. 19. Joh. cap. 14. v. 16. 17. Gal. cap. 1. v. 4. &c. Κυρίας vero istas δόξας ipsam hanc Theologiam pluribus urgentem postea videbimus.

LIB. VI. CAP. III.

Theologia Evangelica quid. Ejus cognitionis varii gradus; & modi. Modus primus. Relatio intellectus merè naturalis ad doctrinam supernaturalem. Non est Theologia propriè sic dicta. Quo sensu, & quousque veritates spirituales, sine speciali ope Spiritus Sancti percipi & intelligi possint. Propositiones veritatis cœlestis in methodos digestæ, producunt Philosophiam Christianam. Linguarum & scientiarum cognitionis in veritate divina addiscenda, usus. Scientia rerum divinarum quæ sine speciali ope Spiritus Sancti comparatur qualis. Theologia Evangelica non est, Eorum qui ea imbuuntur probatio.

OStendimus *Theologiam Evangelicam* doctrinam esse in Evangelio per Christum revelatam. Ejus doctrinæ cognitio, Theologia est, quatenus subjectum occupat. Ea autem cum aliis scientiis id commune habet, quod pro subjectorum quibus inest discrimine, mediorumque per quæ communicatur varietate, varios gradus admittat. Sed insuper etiam habet varios *modos* doctrinam objectam percipiendi vi Principiorum capite superiori expositorum, quod ei est singulare. Horum primus in ea ratione consistit quam ad doctrinam spiritualem & supernaturalem intellectus mere naturalis, seu hominis in statu naturæ habere potest; in ea quam speciali ope & virtute Spiritus Sancti excitatus & elevatus, seu hominis renati obtinet, alius. Horum autem uterque varios *gradus* admittit. Nos modum illum percipiendi seu intelligendi doctrinam Evangelicam quæ communionis omnis cum Deo obtinendæ norma est, quem mens humana sine speciali Spiritus Sancti ope aut gratia

tia adipisci potest, quem Theologiam propriè dictam constituere negamus, primo in loco paucis expediemus.

Evangelium Doctrina est de Deo Patre, Filio, & Spiritus Sancto ejusque cultu, nostráque obedientiâ ei debitâ. Doctrina ista, suâ naturâ hominum conscientias stimulat ad obedientiam istam præstandam. Tit: cap. 1. v. 1. cap. 2. v. 11. 12. Insuper animas ad expectationem fruitionis Dei excitat. De hisce vero omnibus, vera sententia in propositionibus quarum sensus rationi humanæ pervius est, imo obvius, continetur. Neque enim propositionum claritate ulli scientiarum humanarum cedit doctrina hæc cœlestis; imo hâc ex parte inter omnes alias Scientias longissimè eminet. *Perspicuè* scripta est doctrina ut *percurrat lectutus eam* Habbach: cap. 2. v. 2. Verbum suum dedit Deus, *Præceptum præcepto, præceptum præcepto, delineatio delineationi, delineatio delineationi, pauculum hic, pauculum illic;* Isa. cap. 28. v. 10. Heb. 5. v. 13. 14. Propositiones itaque istæ, quæ res maximi momenti, seu præcipua hujus Theologiæ capita continent, partim ab ipsorum verborum quibus uti placuit Spiritui Sancto summa atque ad res de quibus agit enarrandas aptitudine singulari, partim à frequentissima ipsarum rerum inculcatione, adeò claræ sunt atque omnium oculis expositæ, ut neminem pœnè eorum sensus genuinus lateat, nisi maximis præjudiciis impeditum. Concedimus ideo omnem hominem, ratione & intellectu præditum eorumque usus compotem, pro ingenii sui modulo, industriæ gradu, mediorumque externorum quibus in veritate addiscendâ utitur efficacia, posse sine Spiritus Sancti ope salutari, verum propositionum istarum sensum eruere, sententiam percipere & tenere. Ineptissimè itaque garriunt sophistæ, qui sententiam nostram de spirituali rerum in Evangelio revelatarum naturâ, atque mentis humanæ nativâ cæcitate, unde nemo eas nisi virtute salutari Spiritus Sancti fretus spiritualitèr percipere possit, huic alteri de perspicuitate & claritate propositionum quibus in Sacris Scripturis doctrina vera & salutaris continetur, adversari clamitant.

Porro! concedimus præcipua hujus Theologiæ, seu Doctrinæ Evangelicæ capita, quæ scilicet ad Dei cultum, nostrámque obedientiam promovendam maximè pertinent, in ordinem, seriem, & methodum secundum artium & scientiarum Philosophicarum regulas digeri & cogi posse. Cùm enim inter res ipsas in Evangelico traditas quædam sit realis & mutua dependentia, quin earum ad invicem relatio ordine quodam, & quasi τεχνικῶς exponatur, nihil est quod obstat. Symbola, Confessiones fidei, Catecheses, Loci Communes, atque id genus veritatum E-

 vangelicarum

vangelicarum diſpoſitiones methodicæ aliæ, ei operi inſerviunt. Doctrina autem eo modo digeſta, & compacta, nihil omnino habet, quod ſuperet captum aut intellectum hominum mere rationalem. Non de rebus ipſis loquor, ſed propoſitionibus quæ ſunt rerum ſigna. Doctrinæ autem Evangelicæ eo modo traditæ & expoſitæ notitia aut comprehenſio merè naturalis, eſt Philoſophia quædam Chriſtiana; quæ ſapientiæ omni Græcanicæ, ſeu merè humanæ plurimis præit paraſangis. Cùm enim omnis cognitio ſit perfectio quædam intellectualis, ea quæ maximè certa eſt, atque circa maximum & ſupremum objectum verſatur, aliis omibus antiſtat. Ejus autem generis eſt Philoſophia hæc Chriſtiana, ad omnem Ethnicorum hominum ſapientiam ſive ſcientiam collata. Nam & objecta infinitè diſtantia ab omnibus Philoſophiæ naturalis objectis proponit, atque regula verum à falſo diſcriminante nititur prorſus infallibili, cum illa altera miſera communium conceptuum incertitudine fluctuetur.

Brevi indicaturâ ſub uno aſpectu res hæc tota poni poteſt. Omnis divina veritas, eſt in Scripturis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum revelata. Ea doctrina Theologia eſt Evangelica, in abſtracto conſiderata. Illa vero in propoſitionibus quarum ſenſus rationi humanæ eſt expoſitus continetur. Propoſitiones iſtæ cum concluſionibus legitimè ex iis elicitis, ſeu earum ſenſus verbis aliis, & terminis Philoſophicis admiſtus, in ſyſtema diſciplinare compingi poſſunt & ſolent. Linguæ quibus omnis veritas tradita eſt à Spiritu Sancto *Hebræa* ſunt & *Græca*. Illarum inde linguarum cognitio, omnibus utilis, aliquibus ſub Dei providentia neceſſaria. Ad illa etiam quæ Scripturæ Sacræ cum aliis libris communia habent, rite intelligenda, utile eſt, ut ad earum ſtudium accedens, iis ſcientiis quæ ſenſuum rationalium per verba congrua expoſitioni inſerviunt ſit inſtructus. Illa verò pauca ſunt, nec magni momenti, neque ad veram ſapientiam ſpiritualem multùm conferentia. Omnes vere ratiocinationis modi ad *Logicam* pertinent; etiam *ſophiſticæ* detectio. Summa autem ratiocinatione in Sacra Scriptura Spiritus Sanctus utitur; Ea ubi ad regulas dialecticas reduci non poteſt, evenit aut ob defectum Artis ipſius prout vulgò docetur, vel quia deficit ingenium humanum vias modóſque veræ ratiocinationis inveſtigans. Loquitur etiam ſecundum uſitatas in iis linguis dicendi formas, quas in artem *Grammaticam* compegerunt Viri Docti. *Rhetoricæ* eadem eſt ratio. Hiſce ita diſpoſitis, dicimus quemque hominem rationis compotem, ſine ulla ſpeciali ſeu ſalutari Spiritus Sancti ope aut auxilio, ingenii acumine naturali, atque iſtiuſmodi mentis dotibus quas olim Deus Ethnicis largitus eſt,

fretum,

fretum, ordinariis adhibitis mediis, inter quæ eminet linguarum & artium communium cognitio, scientiam Theologicam sibi comparare posse, seu habitum intellectualem, quo sensum Doctrinæ Theologicæ propositionibus expositæ percipiat, de ea subtiliter discurrat, copiose eam enarret, fideique quos vocant articulos explicet, confirmet, defendat, eodemque plane modo erga veritatem divinam affectum esse posse, quo in iis eruditus, erga scientias *Mathematicas* est affectus.

At verò scientiam hanc, Theologiam esse Christianam propriè dictam negamus; quiq; ea solum instructi sunt, quamvis ad summum subtilitatis acumen & fastigium ascendant, Philosophicos Christianos censemus non Theologos Evangelicos. Non temerè autem nos hæc pronuntiasse fusiùs posthàc ostendemus in veræ Theologiæ descriptione. Sufficiat hic quasi in transitu, nonnulla rationum capita quibus scientiam quam exposuimus Theologiam non esse probamus, atque argumenta quibus qui ea solùm sunt instructi Spiritu vero Sanctificante destituti se non esse Theologos, ostendunt, innuere.

Vera *Theologia* ea est divina mentis & voluntatis cognitio quam Deus ipse requirit. Vid. *Psal.* 119. v. 27. *Jerem. cap.* 22. v. 15. 16. Joh. 17. 3. 1 Joh. 2. 3, 4; & cap. 4. v. 7. Ea autem cognitio quam sui atque voluntatis suæ Deus requirit, Deo placet. 1 Chron. cap. 28. v. 9. Hos. cap. 6. v. 6. Is etiam qui eâ instructus est, illi gratus est & acceptus. Jerem. cap. 24. v. 7. At talis non est ea scientia quam descripsimus ubi sola est. Neque enim aut ipsa Deo grata est, aut quenquam Deo gratum reddit. *Qui enim in carne sunt Deo placere non possunt*. Rom. cap. 8. v. 8. vid. 1 Cor. cap. 13. v. 2. Deinde cognitio ista sui quam Deus exigit ipse promittit; Jerem. 31. v. 33. 34. Joh. cap. 6. v. 45. At neutiquam promittitur in fœdere gratiæ disciplinaris ista veritatis cœlestis scientia, neque ejus virtute cum hominibus communicatur. Ea enim à salutari Spiritus Sancti operatione proficiscitur, primâ Epist. Johan. cap. 2. v. 20. & 24. *Ephes.* 1. v. 17. 18. Secundo; qui verâ Theologia imbutus est, *is lux est in domino*. *Ephes.* 5. 8; vocatus scillcet *è tenebris in lucem admirabilem*; 1 Pet. cap. 2. v. 9. *Ephes.* cap. 4. v. 21. 22, 23, 24. At non obstante illa altera scientia, is cui inest cæcus est. 2 Pet. cap. 1. v. 9. & ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ. *Ephes.* cap. 4. v. 18; atque ei veræ sapientia divina stultitia est. 1 Cor. cap. 2. v. 14. 15. Porro; nullum finem veræ Theologiæ Evangelicæ ista scientia assequitur. Neminem enim Deo in Christo conformem reddit, neminem ad Deo obediendum idoneum & potentem; nemini communionem cum Deo Patre aut Filio parât; neminem ad Dei fruitionem perducet unquam. Eam autem scientiam, quæ

 tenebras,

tenebras naturales vitiosas ab intellectu neutiquâ dispellit, quæ neminem lucem in Domino, Deo gratum aut Christo conformem reddit, quæ in Dei communionem amicitiámque neminem dirigit, aut ducit, quæ neque vita æterna est, neque vitam æternam sibi nexu individuo conjunctam habet, cognitionem illam Dei esse quam ipse requirit in Evangelio, nemo opinor, qui se Christianum profitetur, affirmare ausus erit.

Quid quòd plurimi scientiâ hâc instructi se non esse Theologos Evangelicos propriis indiciis se produnt? Etenim ut internam & spiritualem obedientiam Evangelicam, seu ὁσιότητα τῆς ἀληθείας taceam, qua cum nihil prorsùs conjunctum habent, ipsa externa virtutis & pietatis opera rarissimè est ut diligenter curent. Ubi sanè accedit ad scientiam istam qua sæpissimè inflantur convictio legalis, vi & efficacia Spiritus cordi impressa, in servilem mentis statum redacti, & terroris divini formidine percussi, plurima officia Religionis, aliqua animi affectione præstare conantur; At convictio ista ad scientiam illam haud pertinet, neque ex ea emanat; cum plurimi nexu & virtute ejus teneantur, qui rerum divinarum cognitione mediocritèr tantum sunt instructi, multíque scientia ista excultissimi, ab ejus efficacia plane liberam vitam agant. Amota autem eorum consideratione quæ ex scientia ista oriuntur, neque eam necessariò consequuntur, illam ad vitæ sanctimoniam ne tantillum conducere, neminem ambigere sinunt plurimorum eâ instructorum mores, & conversatio nomine Christiano indignissima; Porro! cum ψυχικοὶ sint, neque Spiritum habeant, ille ipse Spiritus atque dona ipsius verè Evangelica despicatui iis sunt & deridiculo; etiam adversus Sanctissimum Christi Spiritum in iis omnibus, quibus secundum promissum novi fœderis gratiosè eum largitus est, perpetuas exercent inimicitias. Cùm enim Philosophiæ illius qua instructi sunt, pars aliqua sit, omnia bona Evangelica uni Spiritui Sancto accepta ferenda esse, illum palàm, directè & apertis verbis contemnere sæpiùs verecundantur; at operationes ejus salutares omnes, atque privilegia ista cœlestia quorum per illum fideles participes fiunt: petulantibus perstringere facetiis iis solenne est; Imo nunquam sibi magis sunt Suffeni, aut profanis quibusdam irrisoribus in deliciis, quam cùm se scite & jocose Spiritum Dei piis inhabitantem exagitare putant. Deinde; cùm nulla dona Regni Christi acceperint, quemcunque tandem locum in Ecclesiis occupant, aut nihil omnino, aut parùm certe conferunt ad ædificationem corporis in charitate. Quamvis enim in iis quæ cum aliis scientiis communia habet Theologia Christiana, seu doctrinis Evangelicis philosophia permistis, disputatores acerrimi & ignei, indagatores subtiles evadant, sintque librorum sæpenu-

mero

mero helluones maximi, cùm tamen ad populum in Evangelii mysteriis instruendum accedunt, toti frigent, & phaleratas ultra oratiunculas, Evangelicarum instructionum & exhortationum loco plebi Christianæ obtrusas, nihil est quod sapiunt, aut agunt, munere ministeriali specie tenus fungentes. Egregia sunt quæ habet *Hieronymus ad Paulinum*; cap. 5. *Taceo* inquit *de mei similibus, qui si fortè ad Scripturas sanctas post seculares literas venerint, & sermone composito aures populi mulserint; quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint, sed ad suum sensum incongrua aptant Testimonia; puerilia sunt hæc circulatorum ludo similia, docere quod ignores, immò ut cum stomacho loquar, nè hoc quidem scire quod nescias.*

LIB. VI. CAP. IV.

Theologiæ Evangelicæ subjectum proprium. Hominum omnium in duo genera distributio; Renatorum & irregenitorum. Soli renati Theologi Christiani. Quo sensu à moralis Philosophiæ auditu juvenes arcent Philosophi. Solos Renatos Theologos Evangelicos propriè dici probatur. Authoritas Apostoli; 1 Cor. 2. 14. 15. Ipsius Christi. Joh. 3. 3. cap. 8. 41. cap. 1. 13. cap. 5. 37. Non renatorum ἀδυναμία spiritualis. De cæcitate & morte Spirituali. Theologiæ Evangelicæ solus Author Spiritus Sanctus, solus eam docet. Illo destituti omnes non renati, eam discere non possunt. Theologiæ finis primus; Deo conformitas. Eum finem nemo non renatus assequitur. Communio cum Deo, vera Theologiæ Finis secundus. Dei fruitio Tertius. Horum nullum assequitur non-renatorum Theologia.

DE *Theologia Evangelicâ* in concreto, vel prout subjectum aut mentes hominum occupat heic agimus. Quinam ideo qualesve sint qui eâ instruuntur primo in loco dicemus.

Omnes homines qui heic coram Deo omnium Judice, Rectore, Remuneratore vitam agunt, (cùm id ipsum nempe quod coram Deo vivant, respectum habeat ad præsens eorum officium & finem ultimum) sunt vel renati, vel irregeniti. Status Renascentiæ Spiritualis multoties meminit Sacra Scriptura. De unoquoque ideo homine affirmari potest vel negari, eum esse renatum. Qui ad eum statum neque pertinent absolute, neque non pertinent, nulli sunt. Hùc illùc ejus respectu propendere

Pendere vel dependere quidam videntur. At abſolutè, quod aiunt, loquendo, omnem hominem ſvel renatum eſſe, vel non eſſe renatum, fatentur omnes quibus notum eſt & placet Evangelium. Huic innituntur, omnes aliæ apud Sacros Scriptores in pios & impios, Sapientes & ſtultos, fideles & infideles, ſanctos & impuros, juſtos & injuſtos, humani generis diſtributiones. Cuncti enim renati utcunque peccatis quæ gratiæ novi fœderis ambitum non excedunt ſint obnoxii, eoque aliquoties hujus vel illius facti particularis reſpectu eorum nonnulli graviſſime peccent, quantum autem ad ſtatum ſpiritualem in quo coram Deo ambulant eique vivunt, pii ſunt, ſapientes, fideles, ſancti, juſti, atque ità à Spiritu Sancto dicuntur; impii verò ſtulti, infideles impuri, injuſti, quamvis officiis divinis humaniſque nonnullis incumbant irregeniti ad unum omnes; Nam *qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt.* Et denominatio ſtatum non factum hoc illúdve ſequitur. Solos autem Renatos Theologiæ hujus Evangelicæ capaces & participes eſſe aſſerimus; aliis omnibus qui ſe ei operam dare præ ſe ferunt, ad claſſem Philoſophico-Theologicam ablegatis. Quæ anteà diximus veritati huic ſuffragantur, rem totam ante oculos omnium ponet orationis progreſſus. Ipſam Theſin hîc paucis confirmare ſufficiat.

Et quidem ſi *Ariſtoteli* licuerit, Juniores pravis affectionibus obnoxios & mancipatos, eatenùs à finibus Philoſophiæ ſuæ moralis amovere & ejicere, ut nè auditores quidem ejus idoneos eos ſtatuerit; quanto magis licebit homini Chriſtiano, eos quos non tantum vitiis & peccatis obnoxios, ſed & in iis demortuos noverit, à verâ Theologiâ Evangelicâ extraneos pronuntiare. Etenim Ego juvenes quamplurimos ebrioſos, furioſos, intemperantes, libidine languidos & marcidos novi, qui moralem doctrinam *Ariſtotelis* tanquam ungues callerent, atque abſtruſioribus ejus captibus quotidiè ſubtilitèr diſputare ſolerent. Iſtiuſmodi nebulones vitiis madentes nihilo plus Philoſophorum quam bonorum hominum hoc eſt ne micam quidem habere, non tantum *Ariſtoteles*, ſed & unanimi conſenſu, totus antiquorum ſapientium Chorus pronuntiaret. Eo ſaltem jure utamur Chriſtiani; neque eos quos iſtis coram Deo nihilo meliores eſſe credimus, ob diſciplinarem doctrinarum aliquot Evangelicarum ſcientiam inter Theologos Chriſtianos & genuinos Domini Jeſu diſcipulos recenſeri patiamur. Imo in tantum abſunt veterum nonnulli quo iſtiuſmodi homines pro Theologis habeant, ut eos nomine Chriſtiano planè indignos, pronuntient. Ita Juſtinus Apolog: ad Impp: *οἳ δ' ἂν μὴ εὑρίσκωνται βιοῦντες ὡς ἐδίδαξε* (ſcilicet Chriſtus) *γνωριζέσθωσαν μὴ ὄντες χριστιανοὶ, καὶ λέγωσιν διὰ γλώττης τὰ τοῦ χρι-*

ςῦ

τῦ διδάγματα. ὐ γὰρ τὺς μόνον λέγοντας, ἀλλὰ τὺς τὰ ἔργα πράττοντας, σωθήσεσθαι ἔφη. κολάζεσθαι δὲ τὺς οὐκ ἀκολούθως τοῖς διδάγμασιν αὐτῦ βιῦντας, λεγομένυς δὲ μόνον χριστιανὺς, καὶ ὑφ' ὑμῶν ἀξιῦμεν. *At enim qui non ita vivere comperiuntur sicut Christus docuit, certum id documentum est non esse Christianos, quamvis doctrinam Christi, lingua profiteantur; non enim profitentes tantum, sed operibus simul professionem confirmantes salvatum iri dicit. Cæterum eos qui minus consentaneam præceptis ejus agunt vitam, quantumvis Christiani dicuntur, à vobis quoque puniri rogamus.*

Non autem hic fit itidem ac in aliis controversiis, ubi è duobus vel tribus locis veritas difficultèr elicitur; totum pænè Evangelium in hac causa testis est; nec nisi detestandæ confusioni quam in Ecclesiam veritatis hujus ignoratio intulit, adversa opinio ortum suum debet. Prolixus essem, & lectori tædio, si omnia, imo vel plurima, aut magni momenti Testimonia quæ in Sacra Scriptura extant veritati huic astipulantia hùc congererem. Satis erit Argumentorum fontes designare. Ita ideo φωτὸς Apostolus, 2 Corinth: cap: 2: v: 14. ψυχικὸς ἄνθρωπος ὐ δέχεται τὰ τῦ πνεύματος τῦ θεῦ. ψυχικὸς ἄνθρωπος is est qui renatus non est; τὰ τῦ, πνεύματος, quæ ille ὐ δέχεται, sunt omnia ea quæ ad sapientiam Evangelicam pertinent; doctrina præsertim de cruce; hoc est ea Theologia de qua agimus. Sensum τῦ ὐ δέχεται proximis verbis enarrat Apostolus; ὐ δύναται inquit γνῶναι; non potest ea scire; nemo autem eorum scientiam habet, quæ non potest scire; Ἀδυναμίας istius rationem subjungit; μωρία inquit αὐτῷ ἐστι, & πνευματικῶς ἀνακρίνεται; is autem nihil *spiritualitèr* dijudicat. Rem ipsam non percipit, quoniam ei sunt *stultitia*: neque modum quo solo ritè percipi possunt assequitur. Eum autem qui res spirituales neque intelligit, neque intelligere potest, cui *stultitia* sunt, quarúmque non est capax, non esse Theologum Evangelicum mihi quidem videtur; Si qui sunt, qui alitèr sentire se putant, non erit contentiosa nostra pagina; nam revera aliter sentiunt quam se sentire putant, aut Evangelio non credunt.

In Testimonio hoc ferendo discipulo & Apostolo suo præivit ipse omnium nostrum Magister & Dominus Jesus Christus; Joha. cap. 3. v. 3. ἐὰν μή τις inquit γεννηθῇ ἄνωθεν ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ὐ δύναται. τὸ *videre* idem esse ac τὸ scire aut intelligere nemo negabit. Is usus est verborum *sensus*, in Sacrâ Scripturâ frequentissimus. Per *Regnum Dei*, se mysteria regni cœlorum, hoc est Evangelii doctrinam intendere aliquoties ostendit Dominus Jesus. Ut, *Math.* cap. 13. v. 11. *Marc.* cap. 4. v. 11. *Luc.* cap: 8: v: 10. Eo itáque arbitro, qui renatus non est, do-

ctrinam Evangelicam nequaquam intelligere poteſt. Iterum *Phariſæos* incredulos increpans; Johan: cap: 8: v: 47. ὁ ὢν ἐκ τοῦ θεοῦ τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ ἀκούει· διὰ τοῦτο ὑμεῖς οὐκ ἀκούετε ὅτι ἐκ τοῦ θεοῦ οὐκ ἐστέ. Ex Deo eſſe, eſt, *ex Deo natum eſſe*, Joh. cap. 1. v. 13. Qui eo modo ex Deo non eſt, *verba Dei audire non poteſt*; non eſt eorum *auditor* idoneus, cum ſpiritualem eorum ſapientiam neque intelligat, neque iis dicto eſt obediens; Quemadmodum eoſdem *Phariſæos* opinione ſummæ in audiendo & exponendo Verbum Dei ſolertiæ inflatos, *neque vocem Dei audiviſſe*, neque εἶδος *ejus vidiſſe unquam* affirmat. Joh. cap. 5. v: 37. *Audiendo* enim *non audiverunt*, neque *videndo viderunt*, quoniam eorum quæ audiverant viderántque nihil ritè intelligerent. Qui verò iſtiuſmodi homines, ſcribas inſtructos ad regnum cœlorum, à Deo doctos, aut genuinos Chriſti diſcipulos, (quales ſunt omnes Theologi Evangelici) arbitrantur, ferent ſpero eos qui juxtà cum Chriſto aliter ſentiunt. Alia Teſtimonia coarcervare poſt expreſſa verba Domini noſtri opus non eſt.

Porrò; ea de non-renatis omnibus ex unâ parte, deque hujus Theologiæ communicatione ex alterâ dicuntur, quæ illos ab omni cum iſtâ communione procul arcent, clamant ſcilicet.

---ἑκὰς ἑκὰς ἔστε βέβηλοι.

Cæci ſunt. 2 Pet. 1. 9. Iſa. 42. 7. Luc. 4. 18. atque *tenebræ*; Johan. 1. 5. 1 Pet. 2.9. Actor. 26. 18. Epheſ. 5.8; mentes habent obtenebratas. Epheſ. 4. 18. in *tenebris* ambulant, 1 Johan. 1. 6; & *tenebras* amant, Johan. 3. v. 19; *mortui* ſunt, Epheſ. 2. 5. Deo inimici; Rom. 8. 7. Qui neque ſubjiciuntur legi Dei neque ſubjici poſſunt; Doctrina autem hæc Evangelica *lux* eſt, Math. 4. v. 16. 1 Pet. 2. 9. Hoſ: 6.v.5. Johan. 11. 9. Pſal. 43. 3: & lucem præbet omnibus eam recipientibus. Pſal. 19. v. 8. 9. Joh. 1. 5. Pſal. 36 9. 2 Pet: 1. 19. Johan. 12. 35.36. Etiam *vita* eſt. Joh.6. 33. Philip. 2. 16: & vitam dat eam intelligentibus. Johan. 17. 3. Joh. 5. 25. Communicatur autem hæc doctrina per *oculorum opertionem*, Iſa.42.7. Actor. 26.18: *mentis renovationem*, Rom. 12. 2. Epheſ. 4. 23. *tranſlationem è tenebris* in *lucem*, 1 Pet. 2. 9. Epheſ. 5. 8: *reſuſcitationem è mortuis*, Epheſ: 5. 14: potentiſſimam irradiationem lucis ſpiritualis qua Deus tenebras amovet, non minore potentiæ ſuæ exertione, quam qua olim in ipſa rerum omnium creatione uſus eſt, cùm lucem è tenebris effulgere juſſerit. 2 Cor: 4.6. Cæcos videre, tenebras lucere, mortuos vivere, non vulgari opus eſt ſophiſticâ, probare. Etiam Deum eorum oculos aperuiſſe, eos in lucem ſuam mirificam tranſtuliſſe, è mortuis reſuſcitaſſe, in mentes illorum

ſplen-

splenduisse ad præbendum notitiam gloriæ suæ, de quibus ipse palàm testatur se non ita iiscum egisse, non nisi Doctorum Angelicorum, & Sophistarum Seraphicorum est asserere. At dicent forsan hæc omnia dicta esse metaphoricè; nam revera & propriè loquendo irregeniti non sunt cæci, aut mortui, neque doctrina lux est, sed metaphoricè tantum. Ast ex quo se magis propriè de rebus divinis loqui posse quam Deus ipse arbitrati sunt stulti homunciones, nihil pænè sani aut integri in Religione Christiana relictum est; sed pura, cœlestis, spiritualis, vivifica doctrina Evangelica, in secularem & disciplinarem scientiam versa, omnem pænè pessundedit veritatem, pietatem atque fidem. Atque in ista opinione fuere olim doctissimi Pharisæi qui pauperculum homuncionem oculis naturalibus captum cæcum fuisse fassi sunt; se vero cæcos esse cum revera omnibus talpis essent cæciores admittere noluerunt; Esto verò, quod horum verborum nonnulla à rebus naturalibus in usus spirituales transferantur? verumenimverò si non eadem esset ratio inter cæcitatem & lucem spiritualem, mortem atque vitam, quæ inter cæcitatem & lucem naturalem, mortem etiam ac vitam naturalem intercedit, eorum verborum usu non nos doceret sed falleret & deciperet Spiritus Sanctus, qui tamen non magis nòs decipit, quam à nobis decipi potest. Sed disputationibus heic locus nullus superest iis apud quos fidem obtinuit Evangelium; quod quidem vereor ne sint oppidò pauci. τίς γὰρ μετοχὴ δικαιοσύνῃ καὶ ἀνομίᾳ; τίς δὲ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος; τίς συμφώνησις Χριστῷ πρὸς Βελίαλ; ἢ τίς μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου; 2 Cor: cap: 6. v: 14, 15, 16. Prætereà Theologia Evangelica per Spiritum Sanctum eumque solum docetur. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, Johan. cap. 14: v: 26. Unde omnes filii Ecclesiæ θεοδίδακτοι, Isa. 54: v: 13. Johan: 6: v: 45. Is unctio est quæ omnia docet: ὑμεῖς χρῖσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου καὶ οἴδατε πάντα, 1 Joh: cap: 2: v: 20. τὸ χρῖσμα διδάσκει ὑμᾶς περὶ πάντων, v: 27. Neque officio à quoquam turbari potest. Hoc etiam planissimè docet Apostolus. 1 Cor. cap: 2: v: 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13. Verba ista Apostoli cum de generali natura Theologiæ initio operis egimus, breviter enarravimus. Locum lector consulat. Doctrinam Evangelicam σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ esse docet; abs omni humana sive scientia sive sapientia toto genere discrepantem; eam autem sine speciali Spiritus Sancti ope percipi posse negat. Ipsum vero Spiritum fidelium mentes sapientia ista illustrare affirmat. At qui renati non sunt, Spiritum non habent: ψυχικοὶ πνεῦμα μὴ ἔχοντες. Jud. 19. Mundus sunt, qui Spiritum non recipit, neque recipere potest, Joh: 14: v: 17: τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ ὁ κόσμος οὐ δύναται λαβεῖν ὅτι οὐ θεωρεῖ αὐτὸ,

οὐδὲ γινώσκει αὐτό. Neque unctionis participes sunt. Mirum ideo quomodo sapientia hac imbui possint; cum Spiritum qui solus eam largitur, neque habeant, neque quidquam cum eo commune habere velint. Egregiè Justinus in Dialogo cum Tryphone; εἰ οὖν τις μὴ μετὰ μεγάλης χάριτος τῆς παρὰ θεοῦ λάβοι νοῆσαι τὰ εἰρημένα καὶ γεγενημένα ὑπὸ τῶν προφητῶν, οὐδὲν αὐτὸν ὀνήσει τὸ τὰς ῥήσεις δοκεῖν λέγειν, ἢ τὰ γεγενημένα; *nisi quis ex prolixa Dei gratia intellectum cæperit dictorum & factorum Prophetarum, nihil ei proderit, quod voces & facta eorum referre possit.*

Ex consideratione demum Finis omnis veræ Theologiæ eadem veritas elucescit. Per Theologiam naturalem primigeniam seu θεοσεβείαν ἔμφυτον ante peccati ingressum hominem Deo similem aut conformem, & ad obedientiam ei ritè præstandam habilem & idoneum factum fuisse, satis abundè demonstravimus. Veræ autem Theologiæ Finis, ex eo disci potest quem ipse Deus initio ei dedit, univítque inseparabilitèr. Naturali Theologiæ, Evangelica succenturiata est. Ea etiam nisi perperàm vices suas peragere dicenda sit, Subjectum Deo conforme reddit, atque ad voluntatem ejus faciendam paratum. Defectum nullum ei ex hac parte adhærere ostendemus posteà. Novimus itaq; irregenitos plurimos, eâ rerum spiritualium notitiâ quam anteà descripsimus pollere plurimum; verum illos Deo conformes ejus virtute fieri perneganius; atque proinde ea qua instruuntur scientia, Theologia non est. Sine fide enim impossibile est ut quis Deo placeat, Heb: cap: 11: v: 6: atque id omne quod in cultu Dei ipsi præstant, planè nihil est, Joh: cap: 15: v: 5: Opera etiam eorum splendida esse peccata, celebre est antiquorum dictum, è multis locis Sacræ Scripturæ haustum. Stimulat quidam conscientias non-renatorum ad Deo obediendum quam de ipso atque voluntate ejus cognitio habent; Etiam naturale conscientiæ lumen incendit, auget, igniculos fervoris legalis ei addit, peccati sensum acuit, atque judicii futuri præjudicia plurima in imis pectoribus excitat, fovêtque; at verò cùm mentem haud renovet, cor durum non auferat, tenebras naturales non dispellat, neque mortis umbras evanescere cogat, animam ipsam Deo conformem non reddit, neque vires spirituales ad obedientiam Deo rectè præstandam largitur; atque proinde *veræ* Thologiæ nomen haud assequitur. Qui non liber est, non sui Dominus, qui non omne bonum posuerit in iis quæ sunt in potestate nostra sita, Philosophum esse negaret Epictetus; Absit autem ut Christiani, eum Theologum esse qui Christi Discipulus non est, aut Christi discipulum, qui nihil eorum aut facit aut facere potest quæ Christus præcepit, agnosceremus; Christo ad unum omnes inimici sunt, atque ab eo inimicorum loco habentur.

Eorúmque

Eorumque plurimi sæpenumero eo apertius quo sunt doctiores Spiritum Christi ludibrio habent & dispicatui. Egregii utique Theologi Evangelici; Antiquorum libros voluant, helluentur, disputent acerrimè, exangues Scholasticos in sanguinem & succum vertant, Criticos devorent omnes, scripturiant, concionentur, tantum tamen abest ut Theologi habendi sint, ut nè propriè & directè ad Ecclesiam Christi pertineant.

Deinde Communio sanctissima suavissimáque cum Deo colenda, quæ initialis est hominis beatitas Finis alius est Theologiæ. Ea in statu integritatis primigeniæ Theologiæ, beneficio, primus homo usus est. Ut Peccatores iterùm communionem cum Deo Sanctissimo assequerentur, instituta ab ipso est hæc nova Theologia. Illud antea fusè probavimus. Nisi ideò qui spiritualem cum Deo per Christum κοινωνίαν adeptus sit, nemo homo ista Theologia est instructus. Utrùm autem nonrenati ulli Communionem cum Deo spiritualem habeant, inter renatos quod sciam nulla est controversia.

Deniq; veræ Theologiæ Finis ultimus est laus gloriæ gratiæ Dei in salute æterna Theologorum celebranda; seu ipsa Dei fruitio ad laudem gratiæ per Jesum Christum. Si lumen illud quod proprium habent irregeniti, Finem hunc salutariter eos dirigere potest, ita ut tandem ejus beneficio illum reapse assequantur, Theologos eos esse nemo negabit; sin minus, ad quemvis alium doctorum hominum ordinem sunt ablegandi. Politicorum præceptorum perceptio, non est Civilis Prudentia; neque statim bonus Civis est, qui Platonis libros de Republica, & Legibus, aut Ciceronis accurate evoluit; neque Theologus Christianus qui superficiariam notionem atque terminorum notitiam, nihil discipuli, Christi aut veri Theologi præter habet; imò turpitèr in se incurrunt istiusmodi homunciones; atque in illud Philosophi, εἰ γὰρ inquit μὴ ὁμολογήσει ὁ λόγος τῷ ἤθει, ἀλλοτρίᾳ γλώττῃ δόξομεν φθέγγεσθαι, ὥσπερ οἱ αὐλοί. Philostrat: in Vit: Crit.

LIB. VI. CAP. V.

Renati Qui. Baptizati quo sensu Renati. Ob quas rationes veteribus ita dicti. Pontificiorum Errores notati. Verè Renati nunquam finaliter deficiunt. Omnes Baptizati, non verè renati. Non omnis vitæ Reformatio, Regeneratio. Opus commune Spiritus Sancti in non renatis quale. Ministrorum Verbi Officium. Renatorum descriptio. Omnes homines

in peccatis mortui. Quorundam superbia notata. Non-Renatorum conditio miserrima. Regenerationis natura generalis, & nomina. Author Deus ipse; per Spiritum. Ejus gradus. Miserrimi status agnitio. Somnia divinitus immissa ad hominum instructionem: Job: cap: 33: 15: 16. Opera Providentiæ; verbum prædicatum ejusdem finis media. A primo hoc Verbi effectu resiliunt plurimi. Opus Legis in conversione Peccatoris. Et Evangelii. Regenerationis natura & ordo. Spiritus Sancti in regenerandis peccatoribus processus varius.

SUperiore disputatione Privilegio atque possessioni Renatorum sepimentum posuimus nè à quópiam fieret alieni inuncatio. At verò quinam sint isti Renati non omnium eadem est sententia. Ex vepreto festinabimus. Qui Aquâ Baptismali tinguntur, nonnullis sunt Renati omnes. Baptismus quidem Evangelicus παλιγγενεσίας spiritualis symbolum est. Aliquo ideò sensu omnes Baptizati renati dici posse videntur; multos renasci palàm est. Ex ambiguo vocis usu in Veterum plurimorum scriptis, non minima confusio orta est. Baptizatos omnes ubivis pænè regenitos pronuntiant. Cum enim & illorum officium esset renasci, & per Renovationis ἐξομολόγησιν ejus symbolum essent consequuti, quo minùs ità communitèr dicerentur causa nulla erat. Longè enim alius tunc temporis in continuo Evangelii progressu, & prolatatione quotidiana, quàm nunc dierum est, erat harum rerum status. Maxima pars hominum quorum in Ecclesia ἀπογραφὴ facta est, non nisi post publicam veræ fidei professionem, sinceræ Resipiscentiæ confessionem, ac παλιγγενεσίας pollicitationem ad Baptismum admissa est. Ita Justinus Martyr Apol: 2: inter alios fidelium ad Baptismum admissionem exponit. ὅσοι inquit ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς· ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀνεγεννήθημεν, ἀναγεννῶνται. *Quicunque persuasi fuerint & crediderint vera esse quæ à nobis traduntur & dicuntur, ac vivere se ita posse receperunt, orare jejunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis una orantibus & jejunantibus; Deinde eo adducuntur à nobis, ubi aqua est, &c.*

Nunc verò ubivis pænè terrarum infantes baptizamur omnes. Proindè omnium Baptizmatis participum non eadem prorsus est ratio. Ob solennem istam Regenerationis professionem, quam sinceram vereque Evangelicam fuisse, probata inter bonos per aliquod tempus, aliquando pluri-

plurium annorum spatium, conversatio in præceptorum Evangelicorum observatione accuratâ posita, ostendit, in Baptismi susceptione factam, atque eo symbolo, secundum mentem Christi confirmatam in Renatorum censum plerique Baptizati, admissi sunt. Indè fideles Sancti, illuminâti dicti. Ut quis necessariò nasceretur ἄνωθεν, virtute administrationis Baptismalis, seu ex opere ut loquuntur operato, seriùs invaluit perniciosa opinatio. Errorem autem istum periculosum admodùm, quamvis antiquum, aliis atque aliis nè perplueret obtegerunt recentiores Apostatæ. Eorum ope, abs hisce initiis ad necessitatem baptismi exterioris absolutam, & obstetrices ministras, ad infantum Limbum deventum est. Sed isti Spiritum dum Uni alligatam contendunt, amiserunt omnes. Non ita Veteres; in quorum tamen scriptis ea confusio sæpissimè occurrit, cui illorum assignatio, quæ renatis solum κατ' ἀλήθειαν competunt, iis qui κατὰ δόξαν tantum renati fuere, originem suam debet. Non uno in loco æquivocationem tollit Augustinus, docétque plurimos à nobis Dei Filios dici ob Regenerationis Sacramentum, qui revera ex Deo nati non sunt. Ast indè etiam circa Apostasiam Sanctorum seu Renatorum non minor erratio. Eam nihil usi circuitione ubivis pænè admittunt. Et qui sanè ab iis alitèr fieri potuit, quibus solenne erat omnes ad aquam baptismalem admissos, renatos, sanctos, & fideles vocare. Veros autem Dei filios, Christo unitos, Spiritus promissionis participes, nunquam finaliter deficere posse, aut Sathanæ cedere in Possessionem, eosdem docere, ostendimus in præfatione ad Librum nostrum, de *Perseverantia Sanctorum*.

An ideo baptizati, hoc est qui ritè & ad mentem Christi Sacramenti initiationis participes facti sunt, ejus solius beneficio, aliquo sensu, scilicet Sacramento tenus, renati dici possint, nolo litem meam facere. Omnes verò baptizatos eò quod sint baptizati, nisi insuper accesserit ea Spiritus Sancti efficax in corda eorum operatio, quam mox sumus expositurî, reapse salutaritèr renatos esse, pernegamus. Imo quemquam externæ administrationis vi renasci, adeoque omnes qui ejus participes fiunt, aut Deum peremptoriè astringi ad gratiæ vivificantis communicationem per Sacramenti dispensationem, illorum vidètur esse sententia quibus absconditum est Evangelium. Neque sanè dogma perniciosius, aut quod peccatorum animis præsentius venenum propinaret facilè excogitaret ipse mendaciorum Pater. Dùm enim miseri homines mortui peccatis sibi adblandiuntur quod in baptismo renati fuerint, atque in utrâmque aurem otiosè dormiant, necessitatem absolutam & indispensabilem spiritualis totius hominis renovationis súsque déque habentes, statum

tum ſuum miſerrimum agnoſcere, & ad gratiam Chriſti vivificantem confugere negligunt, atque ita pernitioſiſſima ſecuritate ſopiti, æternùm pereunt. Heic verò ut ubivis miſerè fluctuantur Pontificii. Baptizatos omnes, ex opere operato uti aiunt, renatos eſſe arbitrantur. An verò etiam *Sancti* ſunt? vix concedent; quid enim fiet de *Canonizatione* iſta qua quoſcunque libitum eſt in numerum Divorum refert Pontifex? At ſenſu Evangelico omnes renati Sancti ſunt; minime inquiunt? quare? miracula non edunt; At miraculorum operationem Regenerationis aut Sanctitatis Evangelicæ eſſe τεκμήριον, nemo niſi qui & hanc & illam, totúmque adeò Evangelium penitus ignorat, affirmabit unquam.

Neminem itaque mera externi ritus ſuſceptio efficit renatum. Ei ſi acceſſerit frugi vitæ inſtitutio, morum in melius commutatio, vitiorum quæ ſcandalum pariunt ejuratio, veræ fidei ſeu doctrinæ orthodoxæ profeſſio, inſtitutorum Chriſti inter partes quas quis ſequitur obſervatio, is ſaltem cui hæc adſunt multorum ſuffragio renatus habebitur. Ubi ſanè hæc non ſunt, ibi non eſt Regeneratio; nam *qui ex Deo natus eſt, is opera Dei facit.* At omnia hæc eſſe poſſe, ubi Regeneratio non eſt, concedet, qui quid ſit *renaſci*, à Deo doctus eſt. Ut enim fides quæ ſola eſt ſine bonis operibus neminem unquam coram Deo juſtificabit; ita bona opera quæ ſine fide fiunt, neminem unquam juſtificatum eſſe probabunt. Iſtiuſmodi vitæ anteactæ Reformatio, & ad bonam frugem reductio; frequentiſſima erat apud antiquorum Philoſophorum ſcholas. Sic Pythagoras, Sic Socrates, Sic Plato, Ariſtoteles, Zeno, Cleanthes, Epictetus, Apollonius plurimos vitiorum ſpurcitie ſquallentes, ad virtutis tramitem reduxerunt. Inter eos autem qui Verbo Dei quoquo modo utuntur, quotidianæ ſunt iſtiuſmodi morum correctiones, ubi nulla eſt cordis novi creatio, aut mentis renovatio ſalutaris. Harum etiam mutationum, vitiorum reſpectu quibus renuntiant, atque obedientiæ quam amplectuntur peccatores, varii ſunt gradus, eorumque variæ cauſæ. Eas omnes heic recenſere, nimis eſſe longum. Datur enim efficax Spiritus Chriſti per Verbum in corda hominum non renatorum operatio quæ Regeneratio non eſt. Mentes eorum imprimis lumine irradiat Evangelico. Hinc φωτισθῆναι dicuntur. Heb. cap. 6. v. 4. Hoc eſt Dono aliquo ſpeciali intellectum eorum acuit, eique aciem tribuit peculiarem, ad intelligendum voluntatem Dei in Scripturis revelatam. Hujus luminis virtute conſcientias eorum ad officium ſuum naturale ſedulò peragendum, irritat, ſtimulátque; atque ſenſu peccati, & ob ea commiſſa, dolore & pænitentia quadam afficit; corda pungit, verberat, vitiis

ſecure

ſecure indormire non ſinit, inſuper dulcedine Verbi lenique aliquo cæleſtium & gaudiorum futurorum guſtu & præſagitione evanida allicit, ita ut in multis fiant Verbo Dei dicto audientes; Etiam in ſervitutem eos redigit, mortis & Gehennæ metum eis incutiens; Inde illi angi, torqueri, horreſcere, votis ſe ad obedientiam præſtandam alligare, juſtitiam legis ſequi, officia præſcripta facere, aliquoties ſuperſtitionibus pravis ſe dedere, omníque modo ſolicitè liberationem petere. Hæc verò atque hujuſmodi alia fidi apud nos Dei miniſtri fuſè ad populum enarrant, teſtimoniis atque exemplis ſtabiliunt, & plebem Chriſtianam ſedulò monent ne ſe umbrâ aut larvâ Regenerationis decipi patiantur. Ea verò heic loci ulterius proſequi ad operis inſtituti rationem non pertinet.

Dicamus ideo paucis proximo in loco ſecundum menſuram χαείσματος quod accepimus, & lumen illud quantulumcúnque quod ex lumine ſuo nobis Deus gratiosè largiri dignatus erit, quinam ſint renati iſti quos ſolos divinæ hujus Sapientiæ capaces eſſe aſſerimus. Omnes homines in ſtatu peccati naſci, hoc eſt & juſtitia naturali deſtitutos, & naturæ corruptæ vitio infectos, adeóque peccati pœnæ obnoxios quæ eſt ira Dei ſempiterna, apertè teſtatur Spiritus Sanctus. Illius Teſtimoniis evidentiſſimis frigidiſſimarum diſtinctiuncularum fuco freti, nonnulli refragantur; ſed ingratè & ineptè. Quos ideo eoúſque tenet cæcus ſui amor, ex proprii cordis adverſus Deum Status ſpiritualis, naturæ Legis Dei, & gratiæ Evangelicæ profundiſſimâ ignorantia oriundus, ut negent ſe aut vitii naturalis labe pollutos, aut ἀδυναμίας Spiritualis imo & pravitatis laqueis uſque adeo teneri, ut nihil boni intelligere, aut velle, aut perficere poſſint, planè heic negligendos eſſe duximus. Vereor autem nè *quia dicunt ſe videre, maneat eorum peccatum*; atque ob peccatum juſtiſſima Dei ira tempore conſtituto patefacienda. Joh. 3. v. 36. Joh. cap. 9. v. 41. Hypotheſi iſti de ſtatu omnium hominum naturali miſerrimo, innititur omnis *Theologia Evangelica*; neque ſine illius agnitione, & ſenſu graviſſimo aut intelligi poteſt, aut obſervari. Quid enim; num ſanis opus eſt medico, juſtis reſipiſcentiâ, puris ſanctificatione, vivis Spiritu vivificante, innocentibus ſatisfactione, videntibus collyrio, ad obedientiam debitam præſtandam à ſeipſis idoneis, ſalutari Dei gratia vorticordia, atque efficaci potentia, amicis Dei Reconciliatione, aut benedictis ut à maledictione liberarentur? Legi nuperrimè iſtiuſmodi diſputatores, quorum planè miſertum eſt. Ne ſinas Domine Jeſu pro infinitâ tuâ miſericordia me peccatorum πρῶτον maximúmque, vel momenti ſtudium in eo ponere, quo probem me paucioribus nominibus tibi di-

 vinctum

vinctum esse quam revera sim, aut quàm ut essem mihi vitâ animáque optabilius est. Quales autem sint in statu naturæ omnes homines ex eis rationibus quibus irregenitos Theologiæ hujus incapaces esse superius probavimus, intelligi potest. Mortui sunt, cæci, stupidi, Dei osores & inimici præfracti, omnis salutaris gratiæ & lucis inanes, Sathanæ mancipia, in omne vitium proclives, & à bono omni spirituali maxime alieni. In hoc autem statu quantumvis illorum plurimi ipsi sibi summopere placeant, atque sint in deliciis, Deo tamen placere nolunt, non possunt. Hoc regnum est Sathanæ; hæc potestas tenebrarũ, unde in Regnum Christi gloriosum, & admirabilem lucem sunt transferendi, quotquot ex Dei gratia sunt regenerandi. Ea Translatio est Regeneratio; quæ nova Creatio etiam, aut nova Creatura, Renovatio, Resurrectio è mortuis, Oculorum apertio, Cordis Circumcisio, vivificatio, Variè scilicet, prout aut Deum operis Authorem, aut hominem ejusdem subjectum respicit, indigitatur. Operis Author ipse Deus. Inde iterum nasci, & à Deo genitum esse, idem sunt. Opus autem hoc suum Deus perficit per Spiritum & Verbum. Ἀναγεγεννημένοι οὐκ ἐκ σπορᾶς φθαρτῆς, ἀλλὰ ἀφθάρτου, διὰ λόγου ζῶντος θεοῦ; 1 Pet. cap. 1. v. 2. 3. Hoc est, διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου. Tit. cap. 3. v. 5. itaque οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐκ θεοῦ, regenerantur Peccatores. Joh. cap. 1. v. 13.

Duæ autem sunt quasi partes conditionis istius miserrimæ, & status in quo nascimur omnes. Est enim in eo miseria ob peccatum admissum, adeoque omnem cum Deo Communionem amissam, Estque ad bonum omne spirituale ἀδυναμία totalis, ex amissione principii practici ad benè & spiritualitèr operandum quæ Dei sunt idonei nata, quam nexu individuo comitatur ad omne malum propensio habitualis. Hinc totus homo miseria est & peccatum, præterea nihil. Duplici huic malo duplex remedium Deus destinans, ex duplici operatione efficaci duplex effectum producit; malorum istorum utrique oppositum. Id qui fit ostendemus. Miseriam naturalem nescire, miseriæ naturalis pars est. Ex eâ ignorantia, superbia oritur, & φιλαυτία. Se in optimo statu & conditione, saltem non pessimo, vel jam esse, vel esse posse, aut futurum esse quandoque velet, ipsi sibi somnians naturaliter persuadit omnis peccator; aut hæc omnia pro nihilo reputat. Heic si quis fortè, ut sæpius fit, etiam eis in locis ubi Evangelicæ prædicationi libertas indulta est, de quibus solum procedit præsens disputatio, nactus sit Doctorem sui similem, qui disciplinari aliqua rerum Theologicarum scientia inflatus, se pro novi Testamenti ministro venditat, revera Spiritu Christi atque adeo salutari

salutari omni voluntatis Dei & Mysterii Evangelici ἐνεργείας destitutus, is hominis animum ita demulcebit, atque spe salutis æternæ in eo quo hæret statu obtinendæ ablata in fraudem illiciet, ut omni salutaris renovationis curâ objectâ, non tantum in utrámque aurem securus dormiet, sed & in alios ferocire qui salubriora consilia è Dei verbo suggerens eum ad meliorem frugem reducere vellent, non dubitabit. Hinc Doctoribus nonnullis & Discipulis eorũ in ipsa hac luce Evangelii Regeneratio pænè est ludibrio. Atqui Peccatorem regenerandum heic primùm Deus sistit. Ad serium sui statúsque in quo coram Deo omnium Rectore & Judice justissimo vivit, sensum animam peccatricem per verbum suum provocat. Hinc prima Dei notitia judicio practico insidit, non sine horrore mortis & pœnæ æternæ metu. Res autem non parvæ molis est, hominem in peccatis mortuum, sui plenum, vitiis mancipatum, æternitatis securum eóusq; expergefacere, ut serium in ordine ad judicium ultimum sui examen institueret. In modis autem mediísque quibus in effectu hoc producendo utitur, prodit se liberrima Dei voluntas, & infinita sapientia. Ante Verbum scriptis exaratum solenne ei erat Justitiæ ac Terroris sui testimonia infigere per *Somnia* divinitus immissa. Id nos docet apud *Jobum* Vir Sanctus, cap. 33. v. 16. 17. *Per somnium Visionis noctis in cadendo soporem super homines, per dormitationes super cubile, tunc revelabit aurem hominum, & in vinculo suo obsignabit, ad revocandum hominem ab opere, & ut superbiam à Viro tegat, ut probibeat animam ejus à fovea.* Inde Homericum illud,

---καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν.

Erátq; peculiare somniorum genus quæ antiqui ὀνείρους διοπέμπτους vocabant; οἱ δὲ τοιοῦτοι, inquit *Eustathius* in Iliad: A. χρείως εἶχον τὴν τῆς ὀνείρου κλῆσιν· ὡς τὸ ὂν ἤτοι τὸ ἀληθὲς, εἴροντες καὶ λέγοντες; διὸ καὶ ἀμφὶ ὁ τοιοῦτος ὄνειρος ἐλέγετο, διὰ τὸ τὸ ὂν φαίνειν.

Eundem Effectum opera Providentiæ externa, quibus Deus aut benignitatem & misericordiam, aut judicia & iram suam exequitur producunt. Ita loco prædicto Vir Sanctus; v: 18. 19: *corripitur in dolore super cubile suum, & multitudo ossium ejus in dolore, & vita ejus abominatur panem, & anima ejus cibum desiderabilem, consumetur caro ejus ut non videatur, & constringentur ossa ejus non videbuntur; & appropinquat foveæ anima ejus, & vita ejus destructoribus*, tunc &c: Psaltes etiam; Psal. 78. v. 35: *consumpsit in vanitate Dies eorum, & annos eorum in terrore, cum occidit eos, quærebant eum.* Similia habet Propheta Isa. cap. 26. v. 10. 11. Hujusmodi enim Providentiæ divinæ dispensationes, coúsque hominum peccatorum animos sæpius afficiunt, quamvis *as habeant*, &

triplex circa præcordia fert, nequeant se continere quin seriò coram Deo contremiscant, atque exhorrescant judicium futurum. Plerúnque autem Verbi Dei prædicati hoc opus est & effectum. Ita nos docet Apostolus; 1 Cor. cap. 14. v. 24. 25: & Propheta Hos. cap. 6. v. 5. Eandem vim aut energiam Verbi prædicationem comitari quotidiè videmus.

Peccatori curas hasce sub pectore versanti, inter intimas cordis ratiocinationes, utrum Deum habeat inimicum necne acris oritur suspicio. *Malum & acerbum quod in Deum peccaverit*, jam tandem intelligere incipit. Jerem. c. 2. v. 19. Plurimorum ideo peccatorum diuturna forsan oblivione obrutorum memoriam redintegrans, occultis conscientiæ morsibus, & molestis cogitationibus implicatur. *Quid feci*, inquit, *quid facio, aut denuò sum facturus quo me vertam nescio? Quid si Deum iratum experirer, atque ita in pœnas inciderem æternas? Quid si spes istæ quibus hactenus animum ægrotum lactavi, decollarent, & fallaces esse deprehenderentur? Alia haud dubio mihi vitæ ratio ineunda est, nisi mallem perire* Hæc, inquam, atque hujusmodi Verbi divini virtute quasi attoniti imis pectoribus versant peccatores. Eorum autem qui propriæ conditionis sensu ità varie tanguntur, multi cæcitatis innatæ res spirituales in proprio earum lumine & splendore adhùc videri prohibentis, concupiscentiæ carnalis, rerum terrarum cupiditatis, tentationum Sathanicarum, vi, hominúmque malorum consortio, victi denuò resiliunt, & in priorem incidunt ἀναισθησίαν. Hinc illorum ad bonam frugem recuperatio difficilis, ac finis sæpenumerò principio pejor. Jerem cap:8:v.9.

Hæc verò Spiritus Dei adversus Potestatem tenebrarum in cordibus peccatorum prima quasi velitatio est; in destruendis Sathanæ operibus, cum ad fortem armatum ligandum ipse fortior se accingit, primum quasi tentamen. Succedunt hisce validiores, & magis efficaces spiritualis potentiæ egressus. Vagas & instabiles ratiocinationes, quibus se ad examen sui aliquale peragendum excitat cogitabunda anima, adhùc tantùm ostendimus. Tales solent esse primarum admonitionum fructus, quasi expergiscentium motus incerti. Sunt aliæ *sagittæ* Christi *acutæ* (Psal. 45. v: 5. 6.) quas ita cordibus peccatorum infigit, ut eas quantúmvis vellent, excutere nequeant. Hisce usus conscientias & mentes hominum sensu peccati, mortis metu, atque horribili futuri judicii præjudicio, pungit, vulnerat, terret. Vid. Actor. cap. 24. v. 25. Etenim naturam, reatum, turpitudinem peccati apud intimos animæ recessus denudans, quinetiam multitudinem peccatorum quorum ipse sibi conscius est peccator, atque innumeras peccatorum circumstantias reatum cumulantes ei in mentem revocans, pœnam mortis ei denuntiat,

spem

spem evasionis omnem praecidit, atque eum se undique miserrmium ac periturum illicò sentire cogit. Jam vero quicquid horridum, tremendum, luctuosum, natura humana concipere potest, id ante oculos peccatori continuò obversatur. Heb. cap. 2. v. 15: φόβῳ θανάτου διὰ παντὸς τοῦ ζῆν ἔνοχοι ἦσαν δουλείας. Hoc autem Verbi, aut Doctrinae Legis, speciale effectum est. Ro. 7. v. 7: τὴν ἁμαρτίαν οὐκ ἔγνων εἰ μὴ διὰ νόμου; Cognitio enim peccati per legem est. Istiusmodi scilicet unde convictio, seu sensus peccati practicus oritur; quo Deus rete suum peccatoribus injiciens descendere eos cogit tanquam coeli volucres. Hos: cap. 7: v. 12. Postquam enim animam peccatricem naturam & reatum peccati sui serio perpendere vi Verbi sui potenti & efficaci quasi coegerit, atque ei intellectum praebuerit, quo in Legis speculo pravitatem Illius & meritum contemplari possit, quod *Legis adventui* ascribit Apostolus, Rom. 7: v: 9: atque conscientiam ad officium suum sedulò faciendum expergifecerit; dolore legali, metu, maestitia, anxietate, aliísque affectibus naturam humanam affligentibus, iis saepenumero majoribus pro quibus exprimendis nomina suppetunt, ipsa cordis penetralia ita afficit, ut summâ nunquam vacet molestia. Actor. 2. v. 37: κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ. Quid nunc agam, inquit peccator in statu miserrimo à seipso inexpectatò deprehensus? discrutior animi; in pectore consilii nihil quicquam consistit. Deum quem mihi facilem propitiúmque somniatus sum, hostem infensissimum experior; Legem etiam cujus antehàc nullam habui rationem, non tantum sanctam, purámque, sed & igneam potentémque, cujus transgressiones omnes non nisi morte expiandae sunt, eáque aeterna; Horror, tenebrae, dolores inferni me circumdant, excruciant, dilacerant. Ita Apostolus ad Rom. cap. 7. v. 9. Ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς νόμου ποτέ· ἐλθούσης δὲ τῆς ἐντολῆς, ἡ ἁμαρτία ἀνέζησεν ἐγὼ δὲ ἀπέθανον. *Vivum* meipsum, sanum, justum, Deo gratum censui; sed adventu Legis periit spes illa & excisa est. Hinc liberationis oritur desiderium, & eventus sollicita expectatio, desperationi quam spei propior. Act. cap. 2. 37: τί ποιήσομεν· cap. 16. v. 30. τί με δεῖ ποιεῖν ἵνα σωθῶ; Heic iterum preces ex imo pectore, lachrimae & suspiria, officia divina & humana sedulo peracta, justitiam enim coram Deo quovi modo obtinendam statuunt. Rom. cap. 9. v. 31. Neque tamen cùm hucúsque deventum est, opus conversionis ad Deum semper ad umbilicum perducitur. Multi enim voluptatum illecebris iterum illaqueati, totum hoc quicquid sit operis divini initium pectoribus excutientes, in vitiorum volutabrum iterum redeunt, aeternùm perituri: 2 Ep: Pet: cap. 2. v. 20. 21. Nonnullis placet justitia ὡς ἐξ ἔργων νόμου, Rom. 9.

v. 32; atque dum hanc sistere satagunt (quod naturæ vitiatæ crimen & stultitia, in dogma apud plurimos abiit Ecclesiasticum) non se submittunt justitiæ Dei; Rom. c. 10.v.3. Medios itaque inter cœlum attingendi conatus, eósque sæpe acerrimos, aliquoties horrendos & crudeles (Mich. cap. 6. v. 7, 8;) ad inferos properant. Etenim currant licet ad morsus & pungentes conscientiæ stimulos, extra Solis justitiæ vias currentibus perire necesse est. Eorum quos Deus ad salutarem Christi cognitionem efficacitèr & gratiose perducere velit alia est ratio. Primo enim sententiam Legis adversus se latam, non tantùm actualium peccatorum, sed & totius conditionis & status naturalis respectu justissimam, & æquissimam ut agnoscant & confiteantur per Spiritum suum efficit in cordibus eorum potentèr operantem. Rom. 7. 12: 13: deinde etiam Deum ipsum Legis Authorem ut justificent, Rom. 3. v. 20; os vero sibi occludant reatus sensu, v: *19*. Omnia igitur à liberrima Dei Gratiâ & beneplacito expectanda edocti, ab ejus Voluntate toti dependere satagunt, neque malorum remedia quæ anhelant, turbatè, aut impatienter quærere. Hab. cap. 2: v: 2, 3, 4. Ea animi consternatio, ea spiritus dejectio, is cordis metus, & tremor, ea oris confusio, vultus ille pudor, ea in seipsis desperatio, quibus omnibus tantum non obruuntur, non nisi humilem & submissam de se sententiæ divinæ expectationem permittunt. Luc. cap. 18. 30. Psal. 130. Hoc tantum fixum statutúmque habere videntur, quòd si Deo eos occidere libuerit, se tamen eum neutiquam deserturos. Jámque indies magis magísque liberationem, gratam misericordiam, justitiam, coram Deo acceptationem anhelat, peccatorum onere laborans, gemens, fatiscens anima. Spiritus ideo Sanctus à Christo promissus ut peccatoribus in mentem revocet & suggerat quæ ad consolationem spiritualem pertinent, Joh. cap. 14. v. 26. Verbum aliquod Evangelicum cordi peccatoris labascentis secreto & efficaciter insinuare identidem incipit; quale quidem illud est, Psal. 103. 4. *Tecum est condonatio ipsa Domine ut vereare*; Reclamat equidē illicò Conscientia Peccatoris, & etiam Lex ipsa; Utraque eum de condonatione aut venia quidquam sperare prohibet; nihil tale apud Deum quemquam peccatorum inventurum, fortitèr & continuè vociferat. Fieri non potest inquiunt, ut tantus peccator à Deo Sanctissimo, justissimóque veniam consequaris; morere ergo prout Lex jubet; *Stipendium enim peccati mors est*. Hîc verò cum ad incitas iterum peccator redactus videtur, is ipse Spiritus qui usque adhuc legi & conscientiæ ipsius adversus ipsum suppetias tulit, atque efficaces & potentes eas reddidit ad durum cor ejus & præfractum conterendum, omnémque propriæ justitiæ opinionem

nem excutiendam, μάχας καλοῦσθαι ex parte stat altera, atque adversus conscientiæ accusationes & morsus, Legis sententiam, & Sathanæ tentationes, ipsum jam pœne labascentem, imo sæpè victum & manus dantem, variis submissis spei & patientiæ fulcris, firmat sustentat, stabilit. Cum enim non statim ac ad misericordiam divinam se recipere conantur sensu peccatorum atque iræ divinæ onusti, favore & gratiâ se amplecti sentiunt peccatores, sed à Deo potius ut indignos procul amandari; nè astu Sathanæ repulsam istam quam metuunt sed fine causâ in rem suam avidissimè arripientis, in desperationis barathrum præcipitarentur, Spiritus Sanctus sensim & imperceptibilitèr per varia media subsidia generalia administrat. Heic vero Proclamationes, Isa, cap. 55. v. 1. Johan. cap. 7. v. 37; Declarationes, Johan. cap. 3. v. 16. Psal. 130. v. 4. Exhortationes: Actor: 2: 37: Invitationes, Math. cap. 11. v: 27, 28; Apocal: cap. 22. v. 17: & Promissionis Evangelicæ, locum habent. Eis omnibus in peccatoris è *potestate tenebrarum* in admirabilem Christi lucem translatione utitur Spiritus Sanctus. Tandem autem idem Spiritus Christum ipsum longè forsan ante prædicatum, sed ob cæcitatem mentis, duritiem cordis amorem peccati aut justitiæ propriæ, neglectum, saltem non qua decet animi submissione in pretio habitum, in promissionibus Evangelii ante oculos peccatoribus hisce obversari facit. Illum ipsum autem postquam miseri, perditi; defessi, maledicti, quasi *ex orbis terrarum extremitatibus*, Isa. cap. 43. v. 22: in altum sublatum conspiciunt, Johan. cap. 3 2; propitiationémq; positam esse in illius sanguine, ad declarandam Dei justitiam in remissione peccatorum, Rom. cap. 3. v. 24. 25; eaque maledictionem factum fuisse, ut benedictio Abrahami fidelis veniret in credentes, Gal. c. 3. v. 13: 14: atque Deum in illo placatum, mundúmque sibi reconciliantem vident, agnoscunt, eum solum expetunt, eoque ad eum prout olim mortis rei ad urbes Refugii propriè confugiunt. Illum Justitiæ Dei ob peccata sua maxima, omnia, abundè satisfecisse, atque in sanguine proprio æternam nactum esse Redemptionem credunt; Heb. cap. 9. v. 14; atque ita à Deo factum esse justitiam & Redemptionem omnibus in eum credentibus, 1 Cor. cap. 1. v. 30. Hinc pudor, amor, sui displicentia, humiliatio, propriæ justitiæ renuntiatio, resipiscentia oriuntur; Christo autem per fidem accepto unicè, etiam amandum & colendum eum recipiunt, Ei fidunt, Eique se docendos, regendos, sanctificandos, corrigendos, salvandos, totos deducunt.

Intereà autem temporis, dum hæc Deum inter & animam peccatricem per verbum transiguntur, ipse pro infinita sua misericordia in Jesu Christo, quando & quomodo vult, modo planè ineffabili, sed potenti & efficaci

ficaci per Spiritum suum Sanctissimum, animam prius in peccatis mortuam nova vita Spirituali donat, cordéque novo, cæcos ei oculos aperit, atque in eam totam mirificè splendescit ad præbendum lucem gloriæ suæ in facie Jesu Christi. Hinc totus homo nova creatura efficitur, habilísque & idoneus ad Deo ritè obediendum, secundum novi fœderis normam. Jerem. cap. 31: v: 39. Ezech. cap. 11. v. 17. cap. 36. v:26. Actor: cap: 26: v: 18: Rom: cap. 8. 2. 11. 2 Cor: cap: 4: v: 6: Ephes. cap: 2: v: 2,3, 4, 5. cap. 4: v: 23: 24. 2 Cor. 5. 17. Peccator autem, in hunc modum per Dei gratiam ad vitam reductus & renatus, viribus spiritualibus seu habitu gratiæ infuso instructus, secundum ejus volunatem qui omnia operatur in omnibus Christo jam per Spiritum inhabitantem unitus, se obedientiæ Evangelicæ & bonis operibus ad quæ sedulò præstanda in Christo creatus est, dat consecrátque. Joh. cap. 14. v. 16. 17. Rom. cap. 6. v. 2. 6. Ephes. cap. 2. v. 10. Tit. cap. 2. v. 11. 12. 1 Joh. 3. v. 3. *Atque ita qui natus est ex Spiritu, Spiritus est.* Johan. cap: 3. 3. Sed hæc non eodem modo se in omnibus regenerandis habent. Multa etiam sunt in admirando hoc opere quorum modum nescimus; plurima quæ sentimus, quæ eloqui non possumus. Ventas flat ubicunque libitum est; ita etiam est qui ex Spiritu natus est. Hunc ritus, illum serius è novi & Spiritualis partus angustiis liberat idem Spiritus. Unum acri dolore tundit, pungit, premit, alium mitius tractat pout ei visum est. Sed de hisce satis.

LIB. VI. CAP. VI.

Theologia Donorum Spiritualium συμπλοκή. Dona extrarodinaria, vel ordinaria. Ordinaria ministerio peculiaria, vel communia. Donorum omnium largitor Christus Psal. 68. 18. *Actor.* 2. 33. Ephes. 4. 8. לקח *& accipere & dare significat. Christus donorum Spiritualium Author per Spiritum. Johan.* 7. 19. *Actor.* 19. 2. *Joh.* 16. 14. 1 *Cor.* 12. 12. *Theologia donum Spirituale esse probatur. Math.* 13. 11. *Jacob.* 1. 5. 17. *Job.* 5. 20. 1 *Cor.* 12. 1 *Cor.* 1. 5. *Rom.* 6. 17. *Ephes.* 1. 17, 18, 19, 20. *χαρισμάτων Spiritualium natura & incrementum. Theologia Evangelicæ fundamentum, lumen salutare. Ejus per dona superaddita progressus. Theologiæ natura specialis. Ea docenda nobis quæ docet S. S. Theologiæ πολυωνυμία, ejus opposita. Definitio. Sapientia est. Deut.* 6. 6. 1 *C.* 2. 6. 2 *Tim.* 3. 15. *Dan.* 12. 3. *Psal.* 19. 8. *Deut.* 4. 6. *Psal.* 119. 98, 99. *Col.* 1. 9. *cap.* 3. 16. *Prov.* 8: 9. *Ejus modi communicandi*

nicandi. Objectam immediatum. Effectum primarium. Mentem Christo reddit conformem. aliud. Scientia Voluntatis Dei in S. S. revelata. Ea scientia qualis. Novus intellectus. Pietatis praxis. Job. 28. 11,12, 13,14, *vel Joh.* 7. 17. *cap.* 8. 31. 32. Colos. 1. 9. 10. 11. 2 Pet. 1. 8, 9. *dissertationis totius ἀνακεφαλαίωσις. Coronis.*

SUbjectum Theologicæ Evangeliæ mentis hominis per Spiritum Sanctum renati esse definimus. Ipsam jam adeamus Theologiam. Ea autem χάρισμα est πνευματικὸν, seu potius donorum Spiritualium συμπλοκὴ. Cum autem dona ista Spiritualia vel *extraordinaria* sint vel *ordinaria*, de hisce solum agendum. Atque illa quidem δυνάμεις seu potentiæ quædam spirituales mentis sunt, à Spiritu Sancto ei inditæ, quibus ad rerum spiritualium perceptionem & comprehensionem atque in usus & fines spirituales applicationem habilis & idonea redditur. Eorum vero Donorum quorum in Scripturis Sacris mentio facta est, ob varios respectus variósque usus, varia est distributio. Illam cum ad scopum nostrum non directè pertineat missam heic faciamus. Id tantum annotasse sufficiat, illorum quædam modo speciali officium ministerii Evangelici (cujus fundamentum sunt Ephes. cap. 4. v. 8. 11. 1 Cor. cap. 12 v. 7.) spectare, alia omnibus fidelibus cuique pro gradu & mensura sua communia esse. Potestas Dona hæc conferendi, exaltationis Domini nostri Jesu Christi ad dextram Patris fructus est & comes; hæreditatis ipsius regalis pars eminentissima. Ita Psaltes. Psal. 68. v. 18. *Ascendisti in altitudinem captivitatem captivam duxisti* לקחת מתנות באדם *accepisti dona in homine.* Quem Locum interpretatur Petrus Actor. cap: 2. v. 33. τῇ δεξιᾷ οὖν τοῦ θεοῦ ὑψωθεὶς τήν τε ἐπαγγελίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς, ἐξέχεε τοῦτο ὃ νῦν ὑμεῖς βλέπετε καὶ ἀκούετε; τοῦτο erat dona illa linguarum & Prophetiæ, quorum visu & auditu attoniti fuere Judæi. Non quidem donorum ipsorum à Christo acceptorum meminit expressè, sed Spiritus promissi qui ea in omnibus immediatè operatur. Paulus verba repetit; Eph. 4. 8. ἀναβὰς εἰς ὕψος ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκε τοῖς ἀνθρώποις δόματα. Recedit autem ab usitatissima vocis לקח significatione, ut rem ipsam planiùs exponat. Miror locum hunc in antiqua versione Græca quæ Lxx senioribus ascribitur, prætериisse eos qui id sibi negotii dari putabant, ut Testimonia ex veteri Testamento in Novo citata, eis Verbis quibus usi sunt Scriptores θεόπνευστοι in eam insererent; adhuc enim legitur δόματα ἔλαβε non ἔδωκε δόματα ut apud Apostolum. Cæterum לקח aliquoties *dare* significat, saltem *accipere* cum animo & proposito dandi. Hos. cap. 14.

 v.2.

v:2. לקח טוב accipe bonum, hoc est *da nobis gratiam*; vel ut nostrates sensum reddunt Receibe us Graciously; hoc est gratiam & favorem nobis largitor. Exod.c.25.v:2. *loquere ad filios Israel* ויקחו לי תרומה *ut accipiant mihi oblationem* hoc est *dent*. Inde *verbum accipiendi dare significat cum accipiunt aliunde ut dent*; inquiunt Hebræorum magistri. Sensum ideo verborum accuratè retulit Paulus; adeóque verba ipsa transtulit. Christus spiritualia omnia dona à Patre accepit, ut hominibus daret; Christus ideo Donorum omnium Spiritualium Autor. Collationis autem hujus Spiritus Authoritate post Ascensionem conspicuè est instructus. Inde illud Evangelistæ. οὔπω ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη. Johan. cap. 7. v. 39: *nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jesus non dum erat glorificatus*; hoc est nondum eo modo, de quo loquitur, datus & effusus. Atque hæc erat Discipulorum Johannis ignorantia, memorata Actor: cap. 19. v. 2. ἀλλ' inquiunt οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐστιν ἠκούσαμεν. Eductos in Ecclesiæ Judaicæ sinu, Baptismo Johannis initiatos ignorasse an Spiritus Sanctus revera esset necnè, noli suspicari; Spiritum cognoverunt, tamùm de Donis ejus extraordinariis nihil quicquam audiverant. Dona autem hæc ordinaria Christi nomine & loco Johan. cap. 16. v. 14; cui vicariam ut loquitur *Tertullianus* operam navat, quibúsvis liberrimè distribuit καθὼς βούλεται Spiritus Sanctus, 1 Cor. cap. 12. v: 12: ἑκάστῳ δὲ δίδοται ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος πρὸς τὸ συμφέρον, v. 7.

Donorum horum uti diximus Theologia quædam est συμπλοκή, in qua, ut in justitia virtutes, omnia insunt. Math. cap. 13. v. 11. ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Hoc est vobis datur Theologos esse Evangelicos. Jacob. cap. 1. v. 5: εἰ τις ὑμῶν λείπεται σοφίας, αἰτείτω παρὰ τοῦ διδόντος θεοῦ. Eam sapientiam Theologiam esse ostendimus, & adhuc probabimus. De qua iterum v: 17: πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων. 1 Johan. cap. 5. v. 20: οἴδαμεν ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἥκει, καὶ δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν, ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινόν. *Scire autem illum verum* Theologia est, aut fateor me penitus ignorare quid sit, 1 Cor. 12. ᾧ μὲν διὰ τοῦ πνεύματος δίδοται λόγος σοφίας; 1 Cor. cap. 1. v. 5. Rom. cap. 6. v. 17 Totam rem ante oculos ponit Apostolus, ad Ephes. cap. 1. v. 17, 18, 19, 20. Deum inquit precor ἵνα δώῃ ὑμῖν πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ. πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ὑμῶν εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ, καὶ τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τῆς κληρονομίας αὐτοῦ ἐν τοῖς ἁγίοις; καὶ τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας. Utinam quibus in tenebris versantur, ex verbis hisce Apostoli nonnulli discere vellent aut possent.

Theologia itaque hæc nostra χάρισμα est πνευματικόν. 1 Cor. cap. 2. v. 7, 8, 9. Cum autem omnia in omnibus operetur omnipotens ille Dei Spiritus, ut inter Donum hoc atque ea quæ plurima hominibus merè ψυχικοῖς in usus varios distribuit discrimen statuamus, à Christo Mediatore profectum & datum esse ostendimus. *Unctio* hæc ab *illo Sancto est* 1 Joh. 2. 20.

Horum autem donorum est ea ratio ut immediate in mentibus hominum ab ipso Spiritu Sancto creentur, atque proinde à nemine proprio Marte utcunque rationis usu polleat, obtineri possint. Ut scitè olim Vir Doctus de anima rationali; *infundendo creantur, & creando infunduntur*, At graduum & incrementorum sunt capacia. Horum respectu mediorum istorum quæ ad ea augenda Deus instituit usus assiduus, non tantum est adprimè utilis, sed & absolute necessarius. Exemplo sit Theologia hæc de qua agimus. Sit itaque principium fundamentum & radix illius, in qua omnis natura & vis ejus prolifica continetur; lumen illud salutare quo mens peccatoris apta & idonea redditur, ad intelligendum ea quæ sunt Spiritus Dei πνευματικῶς. Lumen hoc nemo mortalium propriis viribus vel communis cujuscunque adjutorii beneficio sibi acquirere potest. Deus qui in prima rerum omnium creatione lucem è tenebris exire jussit, non minore potentiæ suæ infinitæ exercitio & egressu efficaci mentes nostras lumine hoc sanctissimo irradiat. 2 ad Cor. cap. 4. v. 6. Postquam autem lumine salutari mens hominis instructa est secundum mensuram & naturam aliorum donorum, vel ei superadditorum, vel unâ cum eo communicatorum, & mediorum aliorum efficaciam, & ipsum lumen indies augetur, atque mens clarè magis magisque objecta spiritualia percipit & discernit. Atque hinc discamus quisnam sit verus diligentiæ, studiorum, & scientiarum in addiscendâ Theologia usus. Quantum lumini spirituali promovendo inserviunt, tantundem neque quidquam amplius heic usus habent.

Sed naturam specialem Theologiæ jam tandem proprius intueamur. Heic vero statutum est quantum licet Spiritus Sancti ductum sequi, atque iis verbis uti quæ docet ἡ ἄνωθεν σοφία. Cum enim pro maximè comperto habeam, Sacram Scripturam modo planè diverso ab omnibus ἀνθρωπίνης σοφίας seu Philosophiæ communitèr receptæ regulis hunc mentis renatæ habitum Spiritualem exponere, illiúsque expositionis sensum, fidelium intellectui longè magis esse expositum atque perspicuum, quam sint accuratæ spinosæ & artificiosæ Philosophantium fictiones, neque illum unquam probè, ritè & salutaritèr mentem Spiritus Sancti assequuturum qui dicta ejus ad *Lesbiam* notionum testimoniorúmq; Phi-

v:2. לקח טוב accipe bonum, hoc est *da nobis gratiam*; vel ut nostrates sensum reddant **Receive us Graciously**; hoc est gratiam & favorem nobis largitor. Exod.c.25.v:2. *loquere ad filios Israel* ויקחו לי תרומה *ut accipiant mihi oblationem* hoc est *dent*. Inde *verbum accipiendi dare significat cum accipiunt aliunde ut dent*; inquiunt Hebræorum magistri. Sensum ideo verborum accuratè retulit Paulus; adeóque verba ipsa transtulit. Christus spiritualia omnia dona à Patre accepit, ut hominibus daret; Christus ideo Donorum omnium Spiritualium Autor. Collationis autem hujus Spiritus Authoritate post Ascensionem conspicuè est instructus. Inde illud Evangelistæ. οὔπω ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη, Johan. cap. 7. v. 39: *nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jesus non dum erat glorificatus*; hoc est nondum eo modo, de quo loquitur, datus & effusus. Atque hæc erat Discipulorum Johannis ignorantia, memorata Actor: cap. 19. v. 2. ἀλλ' inquiunt οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιον ἠκούσαμεν. Eductos in Ecclesiæ Judaicæ sinu, Baptismo Johannis initiatos ignorasse an Spiritus Sanctus revera esset necnè, noli suspicari; Spiritum cognoverunt, tantùm de Donis ejus extraordinariis nihil quicquam audiverant. Dona autem hæc ordinaria Christi nomine & loco Johan. cap. 16. v. 14; cui vicariam ut loquitur *Tertullianus* operam navat, quibúsvis liberrimè distribuit καθὼς βούλεται Spiritus Sanctus, 1 Cor. cap. 12. v: 12: ἑκάστῳ δὲ δίδοται ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος πρὸς τὸ συμφέρον, v. 7.

Donorum horum uti diximus Theologia quædam est συμπλοκή, in qua, ut in justitia virtutes, omnia insunt. Math. cap. 13. v.11. ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Hoc est vobis datur Theologos esse Evangelicos. Jacob. cap. 1. v. 5: εἰ τις ὑμῶν λείπεται σοφίας, αἰτείτω παρὰ τοῦ διδόντος θεοῦ. Eam sapientiam Theologiam esse ostendimus, & adhuc probabimus. De qua iterum v: 17: πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων. 1 Johan. cap. 5. v. 20: οἴδαμεν ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἥκει, καὶ δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν, ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινόν. *Scire autem illum verum* Theologia est, aut fateor me penitus ignorare quid sit, 1 Cor. 12. ᾧ μὲν διὰ τοῦ πνεύματος δίδοται λόγος σοφίας; 1 Cor. cap. 1. v. 5. Rom. cap. 6. v. 17 Totam rem ante oculos ponit Apostolus, ad Ephes. cap. 1. v. 17, 18, 19, 20. Deum inquit precor ἵνα δώῃ ὑμῖν πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ. πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ὑμῶν εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ, καὶ τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τῆς κληρονομίας αὐτοῦ ἐν τοῖς ἁγίοις; καὶ τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας. Utinam quibus in tenebris versantur, ex verbis hisce Apostoli nonnulli discere vellent aut possent.

Theo-

Theologia itaque hæc nostra χάρισμα est πνευματικόν. 1 Cor. cap. 2. v. 7, 8, 9. Cum autem omnia in omnibus operetur omnipotens ille Dei Spiritus, ut inter Donum hoc atque ea quæ plurima hominibus merè ψυχικοῖς in usus varios distribuit discrimen statuamus, à Christo Mediatore profectum & datum esse ostendimus. *Unctio* hæc ab *illo Sancto est* 1 Joh. 2. 20.

Horum autem donorum est ea ratio ut immediate in mentibus hominum ab ipso Spiritu Sancto creentur, atque proinde à nemine proprio Marte utcunque rationis usu polleat, obtineri possint. Ut scitè olim Vir Doctus de anima rationali; *infundendo creantur, & creando infunduntur*, At graduum & incrementorum sunt capacia. Horum respectu mediorum istorum quæ ad ea augenda Deus instituit usus assiduus, non tantum est adprimè utilis, sed & absolute necessarius. Exemplo sit Theologia hæc de qua agimus. Sit itaque principium fundamentum & radix illius, in qua omnis natura & vis ejus prolifica continetur; lumen illud salutare quo mens peccatoris apta & idonea redditur, ad intelligendum ea quæ sunt Spiritus Dei πνευματικῶς. Lumen hoc nemo mortalium propriis viribus vel communis cujuscunque adjutorii beneficio sibi acquirere potest. Deus qui in prima rerum omnium creatione lucem è tenebris exire jussit, non minore potentiæ suæ infinitæ exercitio & egressu efficaci mentes nostras lumine hoc sanctissimo irradiat. 2 ad Cor. cap. 4. v. 6. Postquam autem lumine salutari mens hominis instructa est secundum mensuram & naturam aliorum donorum, vel ei superadditorum, vel unâ cum eo communicatorum, & mediorum aliorum efficaciam, & ipsum lumen indies augetur, atque mens clarè magis magisque objecta spiritualia percipit & discernit. Atque hinc discamus quisnam sit verus diligentiæ, studiorum, & scientiarum in addiscendâ Theologia usus. Quantum lumini spirituali promovendo inserviunt, tantundem neque quidquam amplius heic usus habent.

Sed naturam specialem Theologiæ jam tandem proprius intueamur. Heic vero statutum est quantum licet Spiritus Sancti ductum sequi, atque iis verbis uti quæ docet ἡ ἄνωθεν σοφία. Cum enim pro maximè comperto habeam, Sacram Scripturam modo planè diverso ab omnibus ἀνθρωπίνης σοφίας seu Philosophiæ communitèr receptæ regulis hunc mentis renatæ habitum Spiritualem exponere, illiúsque expositionis sensum, fidelium intellectui longè magis esse expositum atque perspicuum, quam sint accuratæ spinosæ & artificiosæ Philosophantium fictiones, neque illum unquam probè, ritè & salutaritèr mentem Spiritus Sancti assequuturum qui dicta ejus ad *Lesbiam* notionum testimoniorúmq; Phi-

 losophicorum

losophicorum regulam exascienda trahet, ejus vestigiis insistere, ejus verbis uti, de sensu eorum Philosophico securus constitui.

Primo ideo consideranda venit ejus πολυωνυμία. Pluribus enim nominibus per Spiritum Sanctum Theologia indigitatur. Etenim & *Sapientia* dicitur & Prudentia, & Scientia, & Habitus ad discretionē boni & mali, & Doctrina, & lumen, & Intellectus, & Sermo inhabitans, & Sensus, & Agnitio veritatis, & Dei timor. Horum plurima diversa apud Philosophos significare nemo dubitat; palam etiam est eorum nonnulla, de nulla scientiâ propriè dictâ dici posse. Hisce autem non tantum objecti scibilis ignorationem opponit Spiritus Sanctus, sed *cæcitatem* etiam, *stultitiam*, *vanitatem*, & *tenebras* mentis, imo & cordis *pravitatem*, peccati amorem, & mundi hujus amicitiam. Dices forsan quamvis omnia hæc in generali Theologiæ descriptione adhiberi possint, tamen si accuratè & propriè loqui velimus, sub uno aliquo habitu eam comprehendi comperiamus. Equidem denominationem aliquam singularem, quæ cæteris generalior, lucem rei ipsius majorem intellectui offert, in natura ejus enarrandâ usurpari posse non negarem; dummodò id neutiquam fiat cum cæterarum rejectione, aut ut ipsa ad sensus Philosophicos detorqueatur. Nam procul omni dubio si Scientia sit eáque vel speculativa vel practica propriè dicta, Sapientia non est secundum dogmata Philosophorum; Et si Sapientia sit, Prudentia non est, ἕξις ad discernendum bonum & malum non est, Intellectus non est; quæ tamen omnia eam esse novimus: frustra enim erimus, si in hisce nos accuratè magis Philosophari posse quam edocti sumus à Spiritu Sancto arbitremur.

Theologia ideo Evangelica, est *donum spirituale mentibus hominum fidelium, seu per gratiam Dei renatorum, à Spiritu Sancto nomine Christi inditum, quo sapientes, prudentes, & intelligentes fiunt, in agnitione mysterii pietatis, seu Dei atque voluntatis ipsius in Christo per Evangelium revelatæ, totam animam veritati agnitæ conformem reddens, & ad vitam æternam sapientem; eosque ad obedientiam & cultum Deo in Christo debitum secundum unicam Verbi normam per Spiritum Sanctum præstandum dirigens, ut tandem Deo æternum fruantur.*

Hominis Renati mentem Theologiæ hujus subjectum proprium esse superius probavimus. Ostendimus etiam eam donum esse Spiritus Sancti vice Christi apud homines fungentis. Dono isti peculiare est, quod Fideles Sapientes reddat in mysterio Evangelii, seu Christi in quo omnes scientiæ & sapientiæ Thesauri sunt absconditi. Theologiam ideo sapientiam spiritualem primo in loco esse dicimus; ita eam vocat Scri-

ptura-

ptura. Deut. cap. *6.* v. *6.* הוא חכמתכם ובינתכם *hæc ſapientia veſtra & intelligentia veſtra*, (ſeu prudentia,) *eſt.* 1 Cor. cap. 2. v. *6.* σοφίαν λαλοῦμεν ἐν μυστηρίῳ; *ſapientiam loquimur in Myſterio.* Et qui eâ inſtructus eſt *ſapiens* dicitur. 2 Timoth. cap. 3. v. 15; didiciſti ἱερὰ γράμματα, τὰ δυνάμενά σε σοφίσαι; *ſapientem te reddere*; & *intelligens*; unde משכילים Dan. cap. 12. v. 3. Et fidele dicitur Dei Verbum מחכימת פתי, *ſapientem efficiens ſimplicem.* Pſal. 16. v. & מאירת עינים *illuminans oculos.* Eam ob rationem populus Dei עם חכם ונבון *populus ſapiens & prudens* dicitur, Deut. cap. 4. v. 6. Pſal. 119. v. 98. תחכמני מצותיך inquit *Davides*; *ſapientem facies me præceptis tuis*, v. 99. מכל מלמדי השכלתי *præ omnibus docentibus me intelligens ſum.* Ob hanc inter alias cauſam Chriſtus ipſe *ſapientia* dicitur, quia nempe ſolus homines ſapientia hâc inſtituit: Prov: 8: & 9. Hócque eſt quod intelligit Apoſtolus in ſolenni illo quod pro Sanctis Colloſſenſibus voto nuncupat. Cap. 1. v. 9. οὐ παυόμεθα ὑπὲρ ὑμῶν προσευχόμενοι, καὶ αἰτούμενοι ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θελήματος αὐτοῦ ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ. Atque iterum cap. 3. v. 16. ὁ λόγος τοῦ χριστοῦ ἐνοικείτω ἐν ὑμῖν πλουσίως ἐν πάσῃ σοφίᾳ.

Modus autem Communicationis huic ſapientiæ peculiaris, eam ab omni ſapientiâ ſeculari, & ſcientia ſyſtematica ſeu diſciplinari plurimum diſtare probat. ἡμεῖς νοῦν χριστοῦ ἔχομεν inquit Apoſtolus, 1 Cor. cap. 2. v. 16: hoc eſt novimus, intelligimus. Quî id vero; nempe inquit οὐ τὸ πνεῦμα κόσμου ἐλάβομεν; nempe Spiritum mundanæ ſapientiæ Authorem, ἀλλὰ πνεῦμα τοῦ θεοῦ ἵνα εἰδῶμεν τὰ ὑπὸ τοῦ θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν. Non niſi per Spiritum Sanctum gratioſè nobis indultū ſapientiam hanc aſſequimur. Johan. cap. 16. v. 13. Is autem modo plane admirando effectum hoc in nobis producit. Ita nos docet idem Apoſtolus 2 Cor. caap. 4. v. 6: ὅτι ὁ θεὸς ὁ εἰπὼν ἐκ σκότους φῶς λάμψαι, ὃς ἔλαμψεν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ θεοῦ ἐν προσώπῳ ἰησοῦ χριστοῦ, &c. Non alia hu jus luminis ſalutaris productionis ratio eſt quam olim lucis erat è mediis tenebris in primo rerū omnium conditu. Scientia autem quæ efficitur, eſt *Gloria Dei, in facie Jeſu Chriſti.* Ea enim efficacis irradiationis divinæ mentes noſtras illuminantis fructus eſt. Atq; iterum idem Apoſtolus; det vobis Deus πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ (hoc eſt Chriſti) πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ὑμῶν. Nam à Patre hoc donum eſt per Chriſtum. Datur autem Spiritus Sapientiæ & Revevelationis; qui ſcilicet per Revelationem Myſterii Evangelii ſapientes nos reddit, non nuda γνώσει ſed ἐπιγνώσει etiam, ſeu agnitione Chriſti. Nihil heic humanum, nihil quod ἀνθρωπίνην σοφίαν ullo modo ſapit,

In hunc modum Sapientes, Prudentes, Intelligentes fiunt Renati, per communicationem Spiritus Sapientiæ & Revelationis quem mundus recipere non poteſt.

Hujus autem Sapientiæ objectum immediatum quamvis in ſuperioribus manifeſtè ſatis indicatum, paucis etiam ſeorſim expediamus. Illud generaliter Sacra Scriptura vocat πάντα· 1 Joh. cap. 2: v: 20: ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου καὶ οἴδατε πάντα. & v. 27. χρίσμα διδάσκει ὑμᾶς περὶ πάντων; hoc eſt quæ ad Dei cultum, noſtram obedientiam, conſolationem, & ſalutem ſunt neceſſaria. Etiam πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν; Johan. 16. 13. Omnem ſcilicet iſtam veritatem quæ pertinet ad regnum Chriſti ſpirituale.

Ita Sacris Chriſti initiantur fideles. *Datur* enim eis *noſſe myſteria* Regni cœlorum: Marc: cap. 4: v: 11. Myſteria ſæculis antiquis non revelata. cap. 16. v. 25; λαλοῦμεν inquit Apoſtolus σοφίαν ἐν μυστηρίῳ, 1 Cor. cap. 2. v. 7. Epheſ. 3. 9. Et Colloſſ: cap. 2. v. 2. Ut confirmamini in charitate, καὶ εἰς πάντα πλοῦτον τῆς πληροφορίας τῆς συνέσεως, εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ τοῦ χριστοῦ, ἐν ᾧ πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι. Fundamentum σύνεσις eſt; ſeu intelligentia ſpiritualis. Ea per gratiam Dei adjunctam ſibi habet πληροφορίαν; hæcque parit ἐπίγνωσιν ſeu veritatis agnitionem practicam; Quæ quidem veritas, myſterium eſt Dei & Patris, & Filii; hoc eſt Dei ſe nobis Patrem in Filio revelantis; Huc enim perducimur per Chriſti cognitionem, in quo omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt abſconditi; prout fusè oſtendimus, in libro noſto de *Sanctorum cum Deo, Patre, Filio, & Spiritu Sancto communione.* Hæc inquam Doctrina μυστηριώδης objectum eſt Theologiæ Evangelicæ ἰδιότατον; nempe illa τὰ βάθη τοῦ θεοῦ quæ, ut nobis revelet, ſcrutatur Spiritus, 1 Cor. 2. 10.

Per Sapientiam autem hanc qua mens renata cognitione Evangelici myſterii illuſtratur, totus homo veritati cœleſti conformis redditur. Hic primus & maximè proprius effectus eſt hujus Theologiæ. Per eam prius amiſſa per peccatum Dei imago renovatur denuò. Naturalem Theologiam ſeu ἔμφυτον materialitèr uti aiunt conſideratam, fuiſſe illam Dei imaginem ad quam primus homo conditus eſt, Libro primo oſtendimus. Eam abſolverunt Dei cognitio, cum promptè ei vivendi juxta iſtius cognitionis normam facultate. Iſtius imaginis Dei per peccatum obliterationem multis ſuperius proſecuti ſumus. Renovari in imaginem Chriſti nos non poſſe niſi per Chriſtum confitentur omnes. Ille Dei *Imago* eſt, 2 Cor. cap. 4. v. 4: εἰκὼν τοῦ θεοῦ; Col: cap. 1. v. 15. ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ; Heb: 1. 2. Evangelium vero eſt *imago* Chriſti, *ſeu facies* ejus in qua *reſplendit Gloria*

Patris

Patris, 2 Cor. cap. 4. v. v. 6; seu speculum in quo Christus ipse, (ac proinde Gloria Patris) menti renovatæ contemplandus exhibetur. 2 Cor. cap. 3. v. 18. Per intuitum autem in hanc imaginem, quem per sapientiam hanc habemus, eadem imago in mentes nostras introducitur. τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν. Et novus homo renovatur εἰς ἐπίγνωσιν κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν. Col. 3. 10. Nempe ea Dei imago quæ in Theologia naturali constitit, atque est deperdita, per hanc ἐπίγνωσιν renovatur, mentes nostras Christo qui imago Dei est conformes reddentem. Sanctitas etiam cujus in Renovatione hâc participes facti sumus ὁσιότης τῆς ἀληθείας dicitur, Ephes. 4. 24; quia à veritate ista procedit, quæ vim suam in mentibus nostris exerens, Christi in eas inducit imaginem. Cum enim Deo placuerit imaginem suam in Christo, verbo Evangelii exprimere, verbum illud in cordibus nostris quasi vivificatum, fit gratia viva & efficax; atque tota anima in ejus τύπον παρεδόθητε. Rom. cap. 6. v. 17. Hinc oritur ἐπίγνωσις; seu veritatis insitæ agnitio; & ἀσφάλεια ex reali & præsentissima veritatis efficacia; etiam αἴσθησις seu sensus & gustus spiritualis ipsarum rerum Evangelicarum. Hoc inquam Theologiæ hujus supernaturalis effectum est primarium, cui producendo si esset impar, loco naturalis istius quam perdidimus, haud ritè fuisset substituta.

Porro; hujus Sapientiæ ope, veritatem objectum, seu mentem Dei in Sacris Scripturis expositam, salutariter intelligimus. Hinc γνῶσις dicitur; Scientia, notitia, cognitio; מדע & דעת. Cùm enim intellectum habeant fideles lumine spirituali ad salutarem Mysterii Evangelici perceptionem elevatum & dispositum, necesse est ut ipsam doctrinam qua Mysterium illud continetur ritè intelligant. * Hæc est illa *Scientia* Dei, toties in Sacra Scriptura celebrata. Qui vero ex hujus vocabuli usu, Theologiam hanc nostram *scientiam* esse secundum Philosophicum ejus vocis usum contenderet, atque ita quasi in ordinem aliarum scientiarum eam cogeret, erraret utique crassè satis. Alia heic res agitur, prout abundè probavimus. Etiam quod à mentis actu, in objecto suo percipiendo *Scientia dicitur*, à principio agendi, & modo quo in objectum fertur, *lumen* vocatur. Vocavit nos Deus ex tenebris εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς. 1 Pet. c. v. 9. Prout enim *tenebræ* istæ ex quibus vocati sumus non tantum objectivæ fuere, seu mera veritatis divinæ nondum revelatæ ignoratio, sed maximè interiores, seu nativa mentis nostræ cæcitas; ita φῶς illud θαυμαστὸν in quod vocamur, non solum doctrinam Evangelicā, sed & lucē istam spiritualem qua ad Dei gloriam rite percipiendum idonei efficimur, significat. Illustrat nos φωτισμὸς τοῦ εὐαγγελίου τῆς δόξης τοῦ χριστοῦ; 2 Cor.

2 Cor. c. 4. v. 4. Est in se φωτισμὸς, & mentes nostras αὐγάζει. Misit Spiritus Sanctus Paulum ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς gentium τοῦ ἐπιστρέψαι ἀπὸ σκότους εἰς φῶς; Actor. cap. 26. v. 18. Ipsa veritas Evangelica φῶς est; atque φῶς etiam cum credituris communicatur, ad apperiendum scilicet eorum oculos, ut lucem istam videant; *seu lumen in lumine Dei*, Psal. 36. v. 9. Lumen autem hoc spirituale ita intellectum ipsum afficit, ut is alius, & novus dicatur. Psal. 119. 18. Et ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἥκει καὶ δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινὸν, 1 Joh. cap. 5. v. 20; quali scilicet anteà prædili non fuimus. Saltem illum mutat eatenùs ut ad officium suum ritè præstandum habilis vadat; διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν τοῦ συνιέναι τὰς γραφὰς, Luc. cap. 24. v. 45. Et δῴη σοὶ ὁ κύριος σύνεσιν ἐν πᾶσι, ad Timotheum Paulus, 2 Epist. cap. 2. v. 7; & Psaltes הבינני *fac me intelligentem, & custodiam legem tuam*, Psal. 119. v. 34. & 104. Ob lumen itaque hoc intellectum in actu suo perficiens, scientia illa, quâ πνευματικὰ fideles πνευματικῶς percipiunt, & non solum ratione veritatis objectæ, abs omni humana scientia immane quantum distat.

Porro! Sapientia hæc, inexu indissolubili affectus cordis spirituales veritati agnitæ conformes, secum trahit, quia efficit; atque totam animam in communione cum Deo per Christum colendâ atque obedientia secundum fœdus gratiæ sedulo præstanda *prudentes* Theologos facit, dirigítque. Is enim demùm Sapiens est in Mysterio Evangelii, qui Dei consilium, amorem, gratiam, ita in & per Christum intelligit, secundùm Revelationem eorundem in Verbo factam, ut eorum gustu spirituali & ineffabili affectus, se totum Deo in obedientia fidei dedat. In hâc vero Pietatis praxi, seu obedientia fœderali, sine qua nudum nomen est, seu potius umbra quædam & larva sapientiæ, quicquid sub eo nomine celebratur, consistit omne Theologiæ hujus vitale exercitium. Hinc non tantum ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν nuncupatur, ad Tit. cap. 1. v. 1; sed & pietas, cultus, & timor Dei; quibus actus ejus vitales omnes consistunt. Insignis est ille *Jobi* locus dignúsque qui in memoriâ perpetuâ habeatur; cap. 28. v. 12: *Sapientia unde inveniretur; & ubinam locus intelligentiæ*; v. 13: *non novit mortalis æstimationem ejus, neque invenitur in terra viventium*: v. 14. *Abyssus dicit non est in me, & mare dicit, non penes me*, v. 15: *non potest dari aurum asservatum pro ea, neque appendi argentum in pretium ejus*. v. 16: *non potest taxari insigni auro Ophirio, Sardio pretioso aut Saphico*. v. 17: *non potest ullus æstimare eam auro aut nitidissima gemma; nec permutationem ejus vasi auri purgatissimi*. v. 18. *Sandastri aut unionis nulla fiat mentio; nam acquisitio sapientiæ præit carbunculis*, v. 19: *non potest quisquam æstimare*

re

re eam Topazio Æthiopico; insigni auro puro taxari non potest, v. 20. *Illa igitur sapientia unde adveniret? & ubinam esset locus intelligentiæ?* v. 21. *Cum occulta sit ab oculis omnis viventis; etiam à volatili cœli abscondita*, v.22. *Perditio & mors dicunt, auribus nostris audivimus famam ejus*, v. 23: *Solus Deus intelligit viam ejus, & ipse scit locum ejus*, *DIXIT VERO HOMINI; EN TIMOR DOMINI EST SAPIENTIA; ET RECEDERE A MALO INTELLIGENTIA.* De loco, natura, ortu & operationibus Sapientiæ, disquisitionem instituit Vir Sanctus satis anxiam. Pretiosam eam esse, prorsúsque inæstimabilem uno ore confitentur omnia Dei opera; rogata autem in se sitam non esse, testantur palam. Quamvis enim eorum naturæ & operationum peritissimus & scientissimus quisquam evaderet, non eo tamen veram illam Sapientiam assequeretur. Ne autem inter salebras perpetuo fluctuaretur in hujus Sapientiæ disquisitione miser homo, atque postquam se *Pullum onagri* probaverit, cap. 11. v. 12, æternùm periret, ipse Deus ejus gratiosè misertus, locum & naturam veræ istius sapientiæ ei ostendit; *& dixit homini timor Domini sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Hoc est; in ipso Dei timore, & vera Sanctitate, Sapientia hæc consistit; Hoc opus ejus proprium, hæc vita ejus animáque est. Prudentia, inquam, est seu intelligentia hominem totum dirigens in Dei timore, & pietatis praxi. *Principium sapientiæ timor Domini.* Ps. 111.10. Etiam & in eo incrementa sua ponit. Psal. 25. v. 13. *Secretum Domini cum timentibus eum, & pactum suum eis notificabit.* Et Johan. cap. 7. v. 17: ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν, γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς, πότερον ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστιν. Eo ideo nexu indissolubili inter se hæc cohærent, ut Sapientia illa primo nos dirigat ad Voluntatem Dei faciendam, seu ei obediendum Spiritu & Veritate, ex ea autem pietatis praxi Evangelicâ, indies ipsa promoveatur & augeatur. Hinc si quis lumen illud spirituale de quo diximus non acceperit, vel acceptum non diligentissimè mediorum usu assiduo quæ Deus instituit excitaverit, aut excitatum, omnium officiorum Evangelicorum praxi quotidianâ, atque à malo recessione in omni sanctitate non excercuerit, is procul omni dubio frustra erit in expectatione progressus in hujus Theologiæ studio, aut sibi utilis, aut Deo grati. Ea vi est promissi Evangelici; Joh. cap. 8. v. 31. 32: ἐὰν ὑμεῖς μείνητε ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ, ἀληθῶς μαθηταί μου ἐστέ, καὶ γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς. Nexum autem hunc inter Sapientiam, & Pietatis omnimodæ praxin, atque vim Theologiæ in omnem obedientiam Evangelicam animas nostras dirigentem, quæ Prudentia nostra spiritualis est, mirè ostendit

stendit Apostolus Paulus Epist. ad Colloss. cap. 1. v. 9, 10, 11: ὀ παυόμεθα inquit ὑπὲρ ὑμῶν προσευχόμενοι, καὶ αἰτούμενοι ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ περιπατῆσαι ὑμᾶς ἀξίως τοῦ κυρίου εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν, ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ καρποφοροῦντες, καὶ αὐξανόμενοι εἰς τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θεοῦ. Ut impleantur Voluntatis Dei agnitione, seu Theologia Evangelica, Sancti *Collossensei*, orat Apostolus. Ea nostra est sapientia seu intelligentia spiritualis. Illa vero se in praxi obedientiali omnimodâ exerit. Proinde petit Apostolus ut eâ impleantur fideles, non ipsius scientiæ gratia, vel ut rerum spiritualium cognitione se oblectent, sed ut coram Deo dignè ambulent, ad omne beneplacitum, fructum ferentes in omni opere bono. Ea enim est natura, illud Sapientiæ hujus ingenium, ut illa omnia efficacitèr operetur, in iis qui ejus participes fiunt. Quid verò perindè fiet? ea ipsa ἐπίγνωσει τοῦ θεοῦ, cujus virtute & beneficio se ad pietatem exercendam comparârunt, aucti erunt & promoti. Ita se mutuò fovent, promovent, augent, roborant, Sapientia & Pietas. Beatus itáque *Petrus* postquam virtutes Evangelicas, quorum exercitio vires suas vita spiritualis exerit, longo ordine recensuisset, addit; ταῦτα ὑμῖν ὑπάρχοντα καὶ πλεονάζοντα, οὐκ ἀργοὺς οὐδὲ ἀκάρπους καθίστησιν εἰς τὴν τοῦ κυρίου ὑμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ ἐπίγνωσιν; nempe quia isti veri & genuini fructus sunt cognitionis Domini nostri Jesu Christi, usque adeò ut ubi desint, quicquid prætenditur, cognitio Christi revera nulla est. Ita enim Apostolus, ᾧ γὰρ μὴ πάρεστι ταῦτα τυφλός ἐστι, μυωπάζων. 2 Pet. 1. v. 8. 9.

Disputationem absolvat totius brevis indicatura. Veritatem in Sacrâ Scripturâ revelatam, ut renati ad suam Gloriam, propriámque salutem percipiant intelligántque, curat Deus & efficit. Eum in finem, lumen salutare mentibus illorum per Spiritum Sanctum infundit. Ejus luminis beneficio potentes & idonei fiunt ad intelligendum πνευματικὰ πνευματικῶς. Absque eo frustrà erit omnis labor, omnéque studium in acquirendâ Theologiâ Evangelicâ positum. Lumine hoc spirituali instructos dono Sapientiæ insuper cumulat, seu sapientes reddit per Spiritum Revelationis in Mysterio Dei Patris & Christi, omnísque veritatis salutaris cognitione. Veritatis autem amplexu, corda eorum spiritualitèr dilatantur, atque nova mentibus in actibus suis accedit amplitudo, quâ arbitrii libertatem consistere aiunt Scholasticorum non infimi. Per varia autem media, varióśque gradus, unicuique sapientiâ hâc instructo, patefit veritas objectiva seu doctrina Evangelica, quantum opus est ad obedientiam ejus & consolationem promovendam. Illa veritatis perceptio, Dei est & Voluntatis ipsius in Sacra Scriptura deprædicata scien-

tia

tia. Ea autem neutiquam totam Theologiam absolvit, prout quibusdam placet, sed est mentis Sapientiâ Evangelicâ instructæ, circa objectum proprium operatio. Hinc tota anima veritati cognitæ est conformis; ita ut idipsum quod Veritas est in Verbo, gratia sit in corde. A obedientiam autem Evangelicam perpetuò stimulat, & in ejusdem excercitio mentem dirigit, hæc Sapientia; qui finis ejus est proximus. Quatenus id facit prudentia nostra est, & intelligentia. De fine ultimo non opus est ut agamus. Quæ ad eum pertinent aliundè nota sunt. Graduum vero capax est hæc Sapientia. Isti partim ipsum lumen spirituale, quod pro arbitrio suo Spiritus Sanctus variè largitur, respiciunt; partim objectum revelatum, seu doctrinam Evangelicam. Cum enim veritas divina variè prout infinitæ Dei sapientiæ placuerit, in Sacris Scripturis tradatur, pro uniuscujúsque captu spirituali, atque mediorum usu diligenti quæ apta sunt ad variorum doctrinam Evangelicam revelandi modorum investigationem promovendam, respectu graduum non potest non esse varia ejus scientia; ita tamen ut omnis qualiscúnque in ea proventus, ei qui dat nobis augeri in gratia & in cognitione Domini nostri Jesu Christi, ascribi debeat.

LIB. VI. CAP. VII.

Ad normam Theologiæ Evangelicæ, novæ Ecclesiæ fundatio. Prima ejus fundationis regula. Membra ejus sancta. Ecclesiæ Judaicæ sanctitas typica; Christiana, vera. Johannis prædicatio, Regenerationem exigens. Etiam ipsius Christi. Atque Apostolorum. Ecclesiæ Evangelicæ sanctitas probata. Secunda; Catholica constituitur. Ejus Catholicismus quid. Tertia; Ecclesiarum particularium ad cultum institutum celebrandum institutio; earum natura. Quarta. Cultus novæ Ecclesiæ spiritualis. Quinta. Unicum Verbum scriptum, fidei, cultus, & obedientiæ regula. Sexta. Præsentia Christi per Spiritum.

THeologiam divinitus revelatam, Ecclesiæ quovis sæculo ad cultum Dei solennem celebrandum instituendæ, normam fuisse & radicem, varios gradus modósque Revelationis supernaturalis enarrantes, ostendimus. Vidimus etiam quemadmodum ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, per Filium suum unigenitum qui semper est in sinu Patris, omnia consilii sui Mysteria, de gloria suâ in peccatorum salute demonstrandâ, atque cultu celebrando, exposuerit. Indicavimus porrò generalem Revelationis

iſtius perfectiſſimæ naturam, quatenus illa cum hominibus per Spiritum Sanctum communicatur. Ad ejus normam, novam Eccleſiam in conſummationem uſque ſæculi duraturam inſtituit & erexit Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Illius ſtatum & conditionem quatenus ab iis quæ ante expoſita ſunt dependere videantur, ut paucis enarremus inſtituti noſtri ratio poſtulat. Dicam autem brevius quam res tanta dici debet; partim quia id non jam agimus ut directè & datâ operâ Eccleſiæ Evangelicæ naturam perpendamus, partim quia ex antedictis, eis quæ dicenda reſtant lumen perſpicuè ſatis fœnerabitur; partim quia ad alias curas, Deo ita gratioſe diſponente vocamur.

Primo itaque ut ex ſolis Renatis conſtet Eccleſia Evangelica poſtulat hæc Theologia. Ipſe fundamentum ejus Jeſus Chriſtus *Vivus lapis* non niſi *vivos lapides* ſibi imponendos, & in domum ſpiritualem ædificandos admittit. 1 Pet. cap. 2. v. 4. Nemo mortalium alia ratione diſcipulus ejus unquam evadet. Theologiam autem quam ipſe nos edocuit idem exigere pluribus probavimus.) Addamus adhùc alia rationum momenta. Populum] Judaicum in ſtatum Eccleſiaſticum vocatum, totum Sanctum purúmq; pronuntiavit ipſe Deus. עם קרוש אתה ליהוה אלהיך Deut. cap. 8. v. 6. & cap. 14. v. 2. & cap. 26. v. 19. *Populus Sanctus Jehovæ Deo tuo.* Prout autem inſtituta omnia Eccleſiæ iſti οἰκεῖα, typica fuere, & ſpiritualium μελλόντων ἀγαθῶν umbra, ita Sanctitas iſta quam toti populo Deus aſcribit, non niſi ὑπόδειγμα illius τῆς ἀληθείας, quam toti Eccleſiæ ſuæ Dominus Jeſus per Spiritum Sanctum largiturus eſſet, erat quædam præfiguratio. Illorum omnia δικαιώματα σαρκὸς inſtituta tantum fuiſſe μέχρι καιροῦ διορθώσεως, ante probavimus. In finem ideo abolendorum proſpiciens Spiritus *Sanctus*, ubivis pœnè locorum Veteris Teſtamenti, perennem futuræ Eccleſiæ ſtatum deſcribit. Nihil autem in omnibus de eo ſtatu prædictionibus aut frequentiùs occurrit, aut ſolennius enarratur, quam hæc membrorum Eccleſiæ illius ſanctitas vera & ſalutaris. vid Pſal, 2. v. 6: & 24 v. 3:4: & 45: v 13: & 68: v. 13. Iſa: cap. 11. v. 8. 9. 10. cap. 35. v. 18. cap. 54. v. 11, 12, 13, 14, cap. 60. v. 21. Ezek. cap. 47. v. 9. Zechar. cap. 14. v. 20. 21. Malach. cap. 4; v. 1. 2.

Cùm autem jam appropinquaverit Regnum Cœlorum, Johannes qui miſſus eſt ad parandam viam Domini, veram Reſipiſcentiam, hoc eſt *Renaſcentiam* ſeu veram vitæ Sanctimoniam, ad introitum in Regnum Dei, ſeu ſtatum Eccleſiæ Evangelicam obtinendum, neceſſariam prorſus eſſe, exſertè pronuntiavit, Math. cap. 3. v. 2. Porro! Cum plurimi externis privilegiis, quibus virtute carnalis propagationis è ſtirpe Abrahamica

hamicâ in Ecclesia Judaicâ gaudebant, se efferebant, planissimè denuntiat nequicquam eis illa profutura, ad partem aliquam in Regno Christi obtinendam, nisi serio resipiscerent. v. 9. 10. Hinc terribilem admodum Ecclesiæ Judaicæ tantopere exoptatum illum Messiæ adventum fore olim denuntiarunt Prophetæ; quia scillcet omnes veram Resipiscentiam, sanctitatem, & pietatem non assecutos, penitus ab Ecclesiæ finibus esset exterminaturus; Mal. c. 3. v. 1, 2, 3, 4, 5, c. 4. v. 1, 2, 3, 4. Idem docet Johannes. Math. cap. 3. v. 10. Christus quidem cum ministerio suo Ecclesiæ novæ fundamenta posuit, ad se invitavit peccatores omnes. At vero ut neminem ad se venire potuisse, nisi à *Patre* suo *tractus esset* docuerit, Joh. cap. 6. v. 44; ita nisi veram Resipiscentiam professum, neminem in ovile suum recepit. Imo non-tantum negat quemquam ad Ecclesiam suam pertinere, cujus justitia non excesserit justitiam Pharisæorum & Scribarum, Math. cap. 5. 20; hoc est rigidissimam Religionis veræ professionem, exactissimámque pietatis μόρφωσιν, vel suum discipulum esse posse qui non seipsum abnegaverit; Math. 10. v. 38. cap. 16: v: 24. Luc: 9: 23; atque alia fecerit id genus plurima; sed illud etiam tanquam totius Ecclesiæ suæ fundamentum & normam firmissimam initio prædicationis suæ palam enuntiat; neminem scilicet nisi Renatus fuerit, vel introire, vel videre posse regnum illud Dei quod ipse jam tum erigebat. Johan: cap: 3: v: 3, 4, 5, 6.

Exacto ministerio præparatorio, Ecclesiæ visibilitèr colligendæ, & à mundo separandæ opus, ab ipso Christo Apostolis, Evangelistis, & Discipulis aliis, cuique pro virili commissum est. Illi quos qualésve in ovile Christi coegerint, ipsi ubivis docent. Renati fuere, vocati vocatione sancta & & efficaci, Pii, Fideles, Sancti, Abluti, Justificati, à mundo malísque omnibus separati, Filii Dei, Spiritu Sancto instructi & Uncti, Christo conformes, Vivi lapides, bonis operibus dediti, atque ad imaginem Dei Renovati. Actor: cap: 2: v: 41, 42, 47: cap: 4. v: 32: cap: 8. v: 37. cap: 10: 47, cap: 13: 48: cap: 16: v: 14: 15. cap: 19: v: 18: 19; ad Rom: cap: 1: v: 7: cap: 12: v: 1: 2. 1 Cor: cap: 1: v: 2: 9: 30: cap: 16: v: 1. 2 Cor: cap: 1: v: 1: cap: 8: 5: ad Ephes: cap: 1: v: 2: 13: cap: 2: 5: 9: 10: Ad Phil: c. 1. v: 1: 6: 7: Ad Colos: cap: 1: v: 1, 2, 3, 4, 5. 1 ad Thess: cap: 1: v: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. 2 ad Tim: cap: 3: v: 5: ad Heb: cap: 3: v: 6: 1 Pet: cap: 1: v: 2, 3, 4. cap: 2: v. 4: 5: 2 Pet: cap. 1: v: 1: 2, 3, 4. 1 Johan. 2: 20: 27. Jud: v: 1: Profanos autem, incredulos, inobedientes, mysterii Evangelici ignaros, hypocritas, mundo conformes, Eorum osores, atque id genus alios omnes, procul ab Ecclesiæ finibus ubivis arcent. Fateor, quidem hæc non in cælis, & ad judicium Dei

καρδι-

καρδιογνωσίᾳ, sed inter homines acta fuisse. Quamvis ideo summa cura adhibita fuerit, ut oves solum Christi quíque ei dicto essent audientes in sanctum ejus ovile admitterentur, irrepserunt tamen multi Hypocritæ, qui posteà vel fœda Apostatia Ecclesiæ statum turbarunt, vel vitiosa permansione polluerunt.

*S*ecundo! Ut *E*cclesia quoad externam conditionem Catholica sit, requirit hæc Theologia. Non amplius Ecclesia Uni Regioni, Terræ, Genti, Familiæ, Nationi arctanda est; sed per omnes mundi Plagas, Linguas omnes, Tribus, Familias, Gentes, Populos, per omnes hominum conditiones, hujus Theologiæ virtute fines ejus dilatandi erant; Non jam amplius Urbs aliqua, non Mons, non Locus ullus, aut Sedes, non Templum ullum, privilegio præ cæteris, aliis, ullis, cultus, præsentiæ, aut Benedictionis divinæ gaudeat. *S*cisso Templi Velo, rupto pariete integerino, dimotis terræ sanctæ limitibus, & in Solis occasum ab ortu ejus extensis, Loca omnia, Gentésque omnes, nullo discrimine Deo habentur. Non magis ei placent Hierosolyma, non Roma, non Constantinopolis, non Londinum, non Oxonium, quam abjectissima quæque in ultima barbarie villa, ubi cultus Evangelicus ritè celebratur, & per *S*piritum Christi receditur ab iniquitate. Nulla est in toto Veteri Testamento prædictionis umbra, nulla vel in novo levicula indicatio prælationis Sedis, Loci, Urbis cujuscúnque præ aliis. Quæ in contrarium dicuntur ubivis extant Testimonia. Cum olim quidem Deo placuerit locum unum aliis omnibus præferre, atque cultus sui sedem peculiarem constituere, non tantum ubivis ejus mentionem honorificam inculcavit, sed & sui cultoribus omnibus sub exterminationis è populi sui censu pœna, in eo cultum suum solennem celebrare præcepit. Post Evangelium revelatum, de istiusmodi locis uno pluribúsve altum silentium. De Roma nihil, nisi quod in quibusdam libris fœdissima ejus à Christo defectio mirè prædicetur. Ubicúnque jam Duo, Trésve, in *nomine Christi congregantur*, in illorum medio ipsus est. Nemo amplius fideles ejicere potest ex Christi hæreditate, cum omnes terræ fines ei in possessionem cesserint. Vi, Fraude, Tyrannide, Mundi, *S*athanæ, in loca deserta, solitudines vastissimas, fines terræ pellantur, exulant ultra Anni Solísque vias, ubi ubi sint æque sanctus est cui indormiunt pulvis, æque sancti conventus, ac Romæ, Londini, Oxonii futuri essent. Pecorum caulæ, Rusticorum horrea, Ferarum antra, Rupium vertices, speluncæ & cavernæ terræ, in quibus Duo vel Tres, pluresve fideles Christi servi necesse habent ad cultum sibi à Domino suo præscriptum celebrandum convenire, non minus Deo grata sunt, quam ædificia illa, quibus ineptissime renitente toto

Theologia

Theologiæ Evangelicæ Genio, cultum Dei solennem alligare vellent nonnulli.

Tertio; Ut cultus Evangelicus, visibiliter, solenniter, ad Dei gloriam, fidelium ædificationem in fide & charitate mutuâ, ac consolationem ubivis terrarum peragerettur, Discipulis suis omnibus, ac Regni subditis in mandatis dedit, in Theologia hac Dominus Jesus, ut à mundo seperati, amoris autem fraterni vinculo inter se uniti, in cœtus particulares, (quibus suo nomine qui præessent, designarent & eligerent) se congregarent. Etenim populum suum in Die potentiæ suæ omnimodè *voluntarium* esse voluit. Prout ideo Ecclesiæ suæ Catholicæ fines & terminos constituerit, voluntates electi populi per gratiæ efficaciam imperio suo subditas, ut eousque scilicet se illa extenderet, quo populus Voluntarius se ei submittere paratus esset; ita particularibus hisce cœtibus, quibus solis cultus Evangelicus ab ipso institutus ritè peragi potest, non alios fines constituit, præter fidelium voluntates, in eos ipsos se congregantium.

Ut una Familia, una Urbs, Oppidum unum, aut Pagus unus, una Gens, unus Populus, unum Regnũ, una esset Ecclesia, nunquam nusquam Christus docuit. Sed constitutionis Ecclesiæ particularis Evangelicæ, fons est fidelium Christi Discipulorum voluntaria obedientia; Ejus sola Authoritate freti in societatam ab ipso constitutum coeunt. Ipse enim uti diximus instituit, ut fideles omnes ubivis terrarum, se in istiusmodi cœtus congregarent; in quibus cultui Evangelico vacarent secundum ipsius præscriptum, disciplinam ab eo institutam exercerent, cœtus totius conservationem & proventum, fideliúmque multiplicationem sedulò procurarent, illis, qui ex ejus præscripto cœtibus præessent, secundum canones Eccesiasticos in Evangelio latos subessent, Consiliis, Precibus, Elemosynis, communione spirituali sibi mutuo opitularentur, veritatem palam annuntiarent, odorem suavem Evangelii spargerent, mundum denique vitæ sanctimonia, bonorum operum studio, Pacis & Charitatis inter se summa observantia, convincerent & judicarent. Ei dicto obedientes fideles olim istiusmodi cœtus ubivis terrarum constituerunt, atque ad consummationem usque sæculi sunt constituturi.

Quarto! Cultum istum religiosum quem in Cœtibus illis celebrari voluerit Dominus Jesus, planè Spiritualem esse, docet hæc Theologia. Splendorem omnem externum, seu carnalem ornatum omnem, utcunque gloriâ aspectabili præfulgentem, ceremoniis paucissimis, iisque simplicibus in sui cultum novè ascitis, missum fecit, Christus. Vid. Johan. 4: v. 23. 2 Cor. cap. 3. v. 6, 7, 8, 9, 10. 11. Heb. cap. 9. v. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. Quousque autem Deo placuerit, eis rebus in

cultu ſuo uti, quæ ornatu viſibili & carnali glorioſa fuerunt, ipſe omnia expreſsè ad mimimum uſque apicem prolixè & accuratè præſcripſit. Non potuit ideo Dominus Jeſus expreſsè magis ornatum mundanum omnem, & ceremonias omnes, eas præter quas ipſe expreſsè inſtituit, ab ullo loco in cultu ſuo occupando ejicere, quam ſilentio ſuo in totâ hâc Theologiâ fecit. Cultui addidit etiam Diſciplinam obedientiæ Evangelicæ conſervatricem, ſpiritualem & ſpiritualitèr adminiſtrandam; de qua nos alibi.

Quinto! Ut omnia in Eccleſiis ſuis ad voluntatem Dei ritè peragerentur, Theologiam hanc Evangelicam, in ſcripta ſuo juſſu relatam, hoc eſt Verbum ſuum, unicam fidei, obedientiæ & cultus omnis normam & regulam eſſe voluit; atque ita non magis ipſum ſe, quam Verbum ſuum in Eccleſiis unicum. Quicquid in iis ultra ejus ſit præſcriptum, ſit abſque ejus imperio. Math. cap. 28. v. 18.19. 20.

Sexto! Cœtibus hiſce in nomine ſuo congregatis, præſentiam ſuam per Spiritum Sanctum ad conſummationem uſque ſæculi gratioſè promiſit. Math. cap. 28. 20. Johan. cap. 14. v. 15. 16. cap. 16. v. 7. Illum itáque unum quem votis omibus fideles à Patre petere juſſit, Luc. cap. 11. v. 13: in toto cultu Evangelico omnia eſſe voluit. Vid: 2 Actor. 12. v. 10. Johan. cap. 3. v. 5. 6. 8. cap. 4. v. 24. Rom. cap: 7. v. 6. cap. 8. v. 1. 2. 9. 13 26. cap. 15. v. 30. 1 Cor. cap. 2. v. 4. cap. 12. v. 13. 2 Cor. cap. 3. v. 8. Gal. cap. 5. v. 16. & 25. Epheſ. 2. v. 18. cap. 4. v. 3. cap. 5. v. 18. cap. 6. v. 17. 18. Philip. cap. 1. 19. cap 2. 1. 1 Theſſ. cap. 5. v. 29. Atque ita Diſcipulos ſuos Dominus Jeſus, Theologiâ hâc inſtitutos, ſe atque Patrem ſuum per Spiritum glorificaturos in mundum emiſit.

LIB. VI. CAP. VIII.

Eccleſiæ Chriſtianæ Apoſtaſia. Perennitatis Eccleſiæ Evangelicæ cauſæ. Eccleſiarum particularium defectio. Ejus prædictiones. Errores Romanæ Eccleſiæ. A primo Eccleſiæ fundandæ principio Theologico, defectio.

DOminum noſtrum Jeſum Chriſtum ſapientiſſimè Eccleſiam ſuam inſtituiſſe, ſicut eum decuit qui *Via*, *Vita*, & *Veritas* eſt, & apud omnes in confeſſo eſt, & nos paucis probavimus. Eccleſiam illam ad finem uſque ſæculi duraturam, & ipſe promiſit, & poſtulat Regni ratio quo eſt à Patre donatus. Cum enim *fidei ſemel* per Dei Filium *Sanctis traditæ*

traditæ nihil unquam addendum foret, atque omnis Ecclesiæ status à Theologiâ revelatâ dependeat, impossibile planè est ut in ea novatio fieret illarum quas superius recensuimus similis; aut, cum sit ipsa Regnum Christi visibile ut prorsus evanesceret. Verum cum Catholica sit Ecclesia Evangelica, neque loco, sedi, familiæ, aut genti ulli alligata, non necesse est ut hic vel ille cœtus, in hoc aut illo loco collectus & vocatus, perennaretur. Abundè enim sufficit ad Ecclesiæ Catholicæ in terris conservationem, quod alicubi Veri Dei in Jesu Christo per Spiritum Sanctum cultores semper extiterint. Omnem vero cœtum, qui abs aliquo loco particulari ubi congregatur, Ecclesia particularis dicitur temporis progressu deficere posse docet Scriptura, defecisse Eventus. Testatur enim Spiritus Sanctus nonnullas Ecclesias paucis post vocationem primam annis eatenùs à fide, charitate, & puritate descivisse, ut nisi citissimè resipiscerent, Christus declaraverit se eas penitus deserturum. Apoc. c.3.v.1,2,3, 4.& v. 16,17,18,19, 20. Etiam generalem quandam nomen Christi profitentium à jugo ipsius & Theologiæ Evangelicæ normâ defectionem, quæ vivis adhuc Apostolorum nonnullis radices aliquos egerat, futuram idem prædixit Spiritus. 2 Thessal. cap. 2. v. 3, 7. 8. Defectionis istius ortum, progressum, effectus teterrimos, atque exitum, pluribus exponit in Apocalypsi Johannes. Quamvis autem pleræque aliæ, si non omnes ubivis Ecclesiæ per totum terrarum orbem criminis hujus communione implicatæ fuerint, maxima tamen illa hypocritarum, & Idololatrarum turba, quæ per gentes varias diffusa, Romana Ecclesia dici amat, usque adeo aliis omnibus palmam nequitiæ præripuit, & prædictiones omnes in se unam transtulit, ut ea demùm sola digna sit quæ in totalis defectionis à Theologiæ Evangelicæ regulâ, exemplum adducatur. Cum autem plurimi Viri Docti in id operis incubuerint, ut ortum, progressum, variósque gradus istius defectionis, cujus culpam & reatum in se admisit Ecclesia Romana investigarent, cúmque illorum fidei & diligentiæ vix restat quod addi possit, mihi sufficiet principia & fontes totius execrabilis Apostasiæ, unde particularia omnia errorum & superstitionum monstra ex quibus constat sensim emanarunt, paucis detegere. Id verò eo libentiùs agam, quia Ecclesias plurimas per Dei gratiam è reatu & labe defectionis istius quibus per aliquot secula implicitæ fuerunt liberatas, vix dum cautas satis & vigilantes ne denuò in ejusdem fœdissimæ Apostasiæ causas, occasiones, & fontes incidant, videre mihi videor. Eadem ideo via quam anteà emensi sumus, heic iteranda est. Omnem omnium sæculorum Ecclesiarum Apostasiam sitam fuisse ostendimus in illorum Principiorum Theologicorum neglectu

& desertione, quæ ei Theologiæ ampliationi cui innitebatur earum institutio, peculiaria fuerunt seu propria. Exposuimus etiam capite superiori quænam illa fuerunt Theologiæ Evangelicæ capita, quæ Ecclesiæ ædificandæ præstituit Dominus noster JesusChristus. Horum oblivio, neglectus, contemptus, ortum & progressum Ecclesiarum defectioni dederunt olim, utinam adhùc non darent. Id ordine docebimus.

Constitutio Ecclesiæ, quòd scilicet ex renatis, & *δικαιοσύνην, καὶ ὁσιότητα τῆς ἀληθείας* inculpatè profitentibus constare debeat, primi fundamenti in hàc nostrâ Theologiâ locum occupat. Ex principii hujus neglectu, *primi mali labes*, saltem quæ defectionis momentum secum traxit, Ecclesiis adhæsit. Cum enim ex unâ parte illorum qui Ecclesiis Christi nomine præfuerunt interfuisse visum fuerit, ut plurimi in eas admitterentur, neque ex altera defuerint seculares illecebræ, quæ multos nullo pænè sensu rerum spiritualium & cœlestium tactos, ad professionem nominis Christiani suscipiendam allicerent, spretâ solenni hâc Christi institutione, homines profani, superstitiosi, carnales, superbi, avari, luxuriosi, catervatim in illas irruerunt. Testis sit Augustinus; lib. de Catechi: Rud: cap: 2. *Sunt* inquit *qui volunt esse Christiani, ut aut promereantur homines à quibus temporalia commoda expectant; aut quia offendere nolunt quos timent; ad tempus eos portat Ecclesia.*

Hinc autem doctrina Ecclesiæ de fide præsertim & renascentiâ paulatim corrupta, Sanctimoniæ splendor & gloria amissa, separatio à mundo neglecta, superstitiosissimæ observationes in usum plebis Christianæ introductæ, ac Disciplina in jurisdictionis cujusdam secularis imaginem sensim depravata erat. Postquam enim Hypocritarum turba, atque aliorum qui Renati non erant, multitudine sua Ecclesiam quasi obruisset; doctrinam Evangelii spiritualem, quo esset ad illorum statum & conditionem accommoda è quibus constitit, in Philosophicam quandam sapientiam mutare, vel placuit, vel libuit Ecclesiæ Doctoribus. Inde *fides*, recta de Deo opinio seu persuasio evasit: Renascentia externus Baptismi ritus; Sanctimoniæ autem Gloria, in eis cœtibus quorum pars maxima vel ei infestè adversata est, vel saltem satis fuit animo abs eâ alieno, nullis artibus, nullo prætextuum fuco, præservari potuit. Cum autem totus pœnè mundus variis rationibus adductus Religionis Christianæ professionem suscepisset, atque instituta Christi pœnè omnia contaminasset fœdè, quî potuit abs eo separatio institui sine Schismatis ab ipsa Ecclesiâ suspicione. Porro! Disciplinam à Christo institutam planè spiritualem fuisse ostendimus. Ut illa vim & efficaciam suam in homines obtineret, requiritur, ut illi ipsi erga quos excercenda est, sint itidem spirituales.

rituales. Cum ergo Hypocritæ & homines carnales Spiritu destituti Ecclesias occupassent, quos inter mitissima illa & spiritualis Jesu Christi Disciplina finem sibi propositam assequi neutiquam potuerit; spretâ eâ & neglectâ, umbrâ solùm ejus retentâ, irrepsit istiusmodi regimen seculare in Ecclesias, quo Hypocritæ isti, seu pravi & facinorosi homines aliquatenus coercerentur. Etiam ex impura illa, quæ ex Principii istus contemptu, Ecclesias turba oppressit, plurimi fuerunt superstitionibus Judaicis & Ethnicis penitissimè imbuti, per quos tandem totus penè Hellenismus observationibus Judaicis, quibusdam interpolatus, in Ecclesiam introductus est. Inde enim, Angelorum, Hominum defunctorum, & imaginum cultus, Purgatorium, Virgines moniales, Sacerdotes, ipsum Missæ sacrificium, Templorum consecratio, festorum observatio, (ut oscilla Divis oblata quæ olim Diti, luminum in aris accensionem Saturninam, faces in februis, prius Sacris Deorum Matrum deinde Virginis festo gestatas, Hilaria Matri Deum veris initio celebrata, atque alia innumera omittam) antiquæ superstitionis germana in Religione Christiana pullularunt. Horum nonnullis recensitis, addit Baronius, not: in Martyrol: Rom: Feb: 2. *Itidem in multis aliis Gentilium institutis contigit, ut superstitionis eorum usus sacris ritibus expiatus, ac Sacro Sanctus redditus, in Dei Ecclesiam laudabiliter introductus sit.* Aperte itaque fatetur Vir doctissimus, superstitionem Ethnicam in Ecclesiam admissam esse; quamvis Censores Belgici in Jndice suo Expurgatorio deleri jubeant Verba illa Polydorii: Virgili ex l. 5. de Invent: Rer: c. 1: *hac in re quempiam verecundè scrupulosum fortassis dicturum se plane nescire utrum priscorum Religionem, an potius superstitionem æmulentur;* quibus idem cum Baronio statuit. Processu autem temporis, non sine fœdâ sacrorum Christi institutorum conspurcatione, Ecclesiarum præfecti omnem Gentium colluviem in eas admiserunt. Exemplo sit per Augustinum Monachum Anglorum ad Baptismalem aquam admissio, quam ex antiquo ejus ætatis fragmento in Britannia sua refert Cambdenus. *Augustinus in una Dominicæ nativitatis die, qua universa Anglorum gloria perpetuo celebratur, plusquam decem millia Virorum, præter innumerabilem multitudinem fœminarum & parvulorum Vitali Baptismate regeneravit. Quæ vero Sacrorum, aliorúmve Sacerdotum ordinum copia ad tantum populum abluendum suffecerit? Benedicto itaque fluvio anglice swala nuncupato* (fluvius est in Comitatu Eboracensi) *jubet summus Pontifex per præcones & magistros binos confidenter ingredi, & in trino Deitatis nomine alium ab alio vicissim baptizari. Sicque omnes renati, non minori miraculo quam quondam Populus Jzrael divisum mare itémque Jordanem retro*

 conversum

conversum transierat in alteram ripam. Beda hæc ad Paulinum refert.

Quisquis fuerit quin egregium defectionis à Theologiæ Evangelicæ principiis specimen ediderit, nulli dubium esse potest. Ex impia autē hâc mistura, quæ primæ post ingressum peccati defectionis Ecclesiasticæ fons erat & origo, Gen. cap. 6. v. 1, 2, 4; quæque etiam postquam Deus pluribus in locis ut ab ea sibi caveret populum Israeliticum gravissimè admonuisset, Exod. cap. 23. v. 32. cap. 34. v. 12, 13, 14. Deut. cap. 7. v. 2, 3, 4, 5; Ei etiam Apostasiæ initium extitit, Judic: cap. v. 1, 2, 3; primam pœnè labem & vitium contraxit Ecclesia Christiana.

Secundo; Secundum principium Theologiæ Evangelicæ peculiare quod Ecclesiæ novæ institutionem respicit, Catholicismum ejus astruit. In defectione ab istius principii norma secundum sui gradum posuit Apostasia fatalis. Cum enim veterum Christianorum plurimi, principium hoc vel perperam intelligerent, vel fœdè negligerent, nescio quæ opinionum monstra inde enata sunt. Sedum Apostolicarum fictio ei primum vulnus inflixit. Postquam enim nonnullorum interfuerit, ut Ecclesia hæc vel illa Urbe aliqua celebri congregata, aliis Ecclesiis anteferretur, illicò ratiunculæ excogitatæ fuerunt, quarum in Sacris Scripturis altissimum est silentium, nescio quæ privilegia secularia, huic aut illi loco assignantes. Militarunt autem ratiocinationes illæ omnes directè adversus Ecclesiæ Evangelicæ Catholicismum. Cum itaque Apostoli omnes in mandatis à Christo accepissent, ut quantum in ipsis esset omnibus gentibus Evangelium annuntiarent, quod etiam pro virili præstiterunt sedulò nullubi diu consistentes, ita ut unus *Paulus* cursu nondum peracto ab *Hierosolymis & circumjacentibus regionibus, usque ad Illyrium Evangelium prædicaverat*, Rom. cap. 15. v. 19; statim tamen pœnè abs illorum obitu, increbuit rumor eos, hìc, illìc fixisse suas sedes. Hìc itaque *Petrus* sedem suam, illìc *Johannes*, aut *Jacobus* Thronum suum habuisse dicebatur. Ex rumore illo falsissimo, loca illa in pretio haberi, ac super alia omnia, privilegiis nescio quibus instructa esse censeri inceperunt. Post lites autem varias, pudendis hisce mendaciis innixas, & contentiones inter Ecclesiarum præfectos ἀρχῆν & primatum inter fratres nefariè adversus expressum Domini Jesu mandatum ambientes, typhum sæcularem, & ambitionem Sathanicam in Ecclesiam admissa, extulit se tandem qui Ecclesiæ Catholicismum plane pessundedit, Papatus Romanus. Ex eo enim tempore, una Urbs, imo unus homo, & nomen, & dignitatem omnem Ecclesiæ sibi arrogavit; & quod insaniæ caput est, particularem istam Ecclesiam cui Papa modo planè seculari præest, loco Catholicæ illius venditarunt unius istius hominis assentatores.

tores. Quæ assertio naturam Ecclesiæ Catholicæ negat, & evertit. Atque hæc immanis Apostasiæ cujus reatu totus pœnè orbis Christianus se astrinxit, causa erat secunda.

Tertio; cultus sui solennis visibilitèr excercendi, cœtus particulares fidelium sponte ipse in eos congregantium, sedes, Christus constituit. Verum cum Catholicæ, particularium etiam Ecclesiarum naturam everterunt Apostatæ. Ecclesiâ enim Catholicâ intra limites & cancellos ei neutiquam divinitus præscriptos coarctatâ; Ecclesias particulares eousque dilatârunt, ut nequaquam idoneæ essent officiis illis præstandis, quibus peragendis à Christo sunt destinatæ. Cum enim Christiani nominis professio, Urbes, Regiones, Gentes totas, sæpissimè festinantèr nimis occupasset, in politicis istius unionis & constitutionis formam quam illarum quæque habuit, successit ejus loci aut gentis Eccesia. Imperium unum, Regnum unum, Respublica una ubivis in Ecclesiam unam migravit. Hinc etiam necessariò secuta est istiusmodi Ecclesiæ dispositio, quæ anteà in statu politico locum obtinuit. Exemplo sit Ecclesia Romana, quæ cum particularis fuerit, voluerit autem esse Catholica, modum particularis & naturam excedens, Catholicæ autem non assequuta, totam amisit Ecclesiæ naturam, ut nec particularis sit neque Catholica. Ea inquam Ecclesia, postquam limites sibi à Christo præstitutos transiliisset, atque statuisset omnes ubivis Romani Imperii subditos qui Evangelium amplexi essent ad se, suámque curam, & regimen pertinere, cum ipsa scilicet esset Ecclesia Romana, sensim in ipsius imperii imaginem transformata, cum institutione Christi nihil amplius habuit commune. Particularibus in gentibus, idem accidisse notum est.

Quarto: Cultus Religiosi in Ecclesiis celebrandi gloriam internam esse, & spiritualem, proximo in loco docet Theologia Evangelica. Cultui Divino θεῖον τιν esse, & gloriã, communis omniũ hominum est præsumptio. Nemini itaq; ea cultus religiosi observantia placere potest, in qua gloriam aut nitorem perspicere nequit. Spiritualem autẽ gloriam cultus spiritualis, nemo percipit nisi ipse sit itidem spiritualis. Postquam ideo nonrenatorum turba in Ecclesiã quæ sedes est cultus Evangelici, ubi vis irrepsisset, quæ spiritualẽ ejus gloriam percipere non poterat neq; dulcedine ejus perfundi, id sibi negotii dari statuit, ut istiusmodi ceremonias splendidas excogitaret quæ cultũ cui incubuit nitidũ & gloriosum redderent.

Quamvis enim pulchritudinem inenarrabilem gloriam præcellentem & splendorem, omni splendori externo longe antecellentem, habeant instituta Evangelica, apud illos qui in eorum observantia communionem cum Deo Patre & Filio per Spiritum Sanctum suavissimam obtinent; eis

tamen

tamen omnibus qui cum carnales sint externa tantum sapiunt, nihil omnino gloriæ aut splendoris habere videntur. Hinc in omnem superstitionem profusi Hypocritæ, quo scilicet defectum in cultu supplerent, qui in eorum mentibus solum locum habet, sub specioso pulchritudinis, ornatus, ordinis, & gloriæ prætextu, novos ritus, novas ceremonias, sine fine modóve excogitare sategerunt; donec non tantùm totus Ecclesiæ cultus in vanam, superstitiosam, theatricalem rituum carnalium farraginē conversus est, sed in Idololatriâ nefaria desierit. Eidem vitio sui ruinam debuit Disciplina Evangelica. Cum enim spiritualem ejus virtutem hypocritæ neque senserint, neque curarent, neque quomodo in sui similes efficaciam ullam exereret percipere potuerint, potestatem plane secularem, mediis carnalibus excercitam illius loco introducendam statuerunt. Hinc exhortationes, admonitiones, correptiones fraternæ, privatæ, atque à totâ Ecclesia summa cum lenitate, charitate, pace in Spiritu Sancto adhibitæ, in nescio quas jurisdictiones, curias, citationes, mulctas, lites, tumultus, strepitus, tyrannide & ambitione omnia refertissima, donec nihil sincerum, sanctum, spirituale, fraternum, Evangelicum, in tota Disciplina Ecclesiastica relictum sit, evaserunt.

Quinto; Defectionem à plenitudine Scripturarum, cujus culpæ se alligarunt antiquæ Ecclesiæ, cum res ex multorum scriptis satis nota sit, memorare haud opus est. Paucis agam. Cum multum ponderis & momenti in eis rebus nonnulli posuerint, quarum in Sacris Scripturis nulla mentio facta est, quásque ob eam rationem locum nullum in Dei cultu, aut Ecclesiis Christi occupare debere persuasum habere potuerint, illicò ad Traditiones, seu ad ea quæ per rumores incertissimos antecessores suos observasse audiverant, se coutulerunt. Prout autē indies crevit illarū rerum quæ à Christo in Sacris Scripturis institutæ non sunt, Reverentia, cum ambitioni quorundā, & commodis sæcularibus, nec non externo cultus Religiosi splendori apprimè inservirent, quotidie vilescere Scriptura, traditiones autem, & nescio quæ Ecclesiæ Authoritas, in pretio magis magísque haberi cæpit. Præsentius venenum Ecclesiæ antiquus Serpens nunquam propinavit. Abjecta enim stabili, fixa, infallibili Verbi Dei Authoritate & regula, non habuerunt quo se tuto reciperent Christiani nominis Professores, donec præcipites se dederunt in omnium errorum, hæresium, & Idololatriæ barathrum.

Sexto! Accessit ad hæc omnia Spiritus Sanctissimi quem Ecclesiis suis Christus promisit immanis contemptus. Perennandi ad consummationem usque sæculi Ecclesiam suam curam Christus suscepit. In eum finem Verbo scripto utitur atque Spiritus Sancti præsentia & gratia. Quæ ad

ad fidem, obedientiam & cultum Ecclesiæ omnem pertinent luculenter revelat & proponit Verbum. Ut Verbo illo rite utantur fideles ad Ecclesiæ vocationem, ædificationem, consolationem totúmque denique opus ministerii, χαρίσματα sua continuè largitur & distribuit Spiritus. In eum finem uti ostendimus a Christo est promissus. Cum autem Verbi pertæsi, atque institutionum Christi, vel propria εὑρήματα vel ἐθελοθρησκείαν in cultu Dei amplecti & sequi in animum induxerant Christiani nominis professores, etiam ipsum Spiritum & promissum Christi de missione ejus paulatim pro nihilo reputarunt. Aliis enim perennandi Ecclesiam, cultu ἀγράφῳ utentem, mediis excogitatis, per successiuum scilicet potestatis ministerialis fluxum, scientias, & doctrinam secularem, illico viluit omnis Spiritus Sancti Authoritas, & expectatio. Spreto autem Dei Verbo, Spiritu Christi neglecto, cultu ἀγράφῳ introducto, cui præstando, donis gratiave Spiritus nihil opus esset, non habuit quo procederet Apostasia.

Hisce omnibus addi potest Doctrinæ Evangelicæ cum Philosophia seculari mistura, quam quoniam vereor ne sentibus ejus & vepreto adhuc hæreamus, singulari digressione excutiendam duxi.

DE PHILOSOPHIÆ CUM THEOLOGIA MISTURA, DIGRESSIO.

Apostolus *Paulus* Epistolæ ad *Colossenses Capite secundo*, gravissime fideles admonet, ut caveant *ne quis eos per Philosophiam spoliaret*. Interpretes plerique omnes sentiunt non usum *Philosophiæ*, sed abusum eo loci perstringere Apostolum. At verò utrùm *Philosophiæ* cum *Theologia* mistura ad *usum* ejus pertineat, an ad *abusum* potiùs, non eadem omnium est sententia. Etenim certissimum est non defuisse quovis seculo homines pios & eruditos, qui *Apostolicæ* hujus institutionis reverentiâ ducti, omnem illius *usum* in rebus divinis absolutè rejecerint. Communium notionum naturalium bonum inter & malum, honestum & turpe discriminantium, excitationem & promotionem, cum operum Dei, Creationis & Providentiæ, contemplatione, & indagatione solerti, prudenti, assiduâ, ut eo incendantur hominum mentes ad obedientiam Deo debitam sanctè præstandam, neque *Paulus*, neque quisquam alius illius vestigia premens, condemnavit unquam. Cùm verò imper-

fectæ

perfectæ ſint notiones iſtæ, atque plurimum corruptæ, & mens humana in operum Dei conſideratione miſerè cæſpitet, ut ad *Lydium* Sacræ Scripturæ *lapidem* quidquid ſcentiæ ex iis oriri videatur, exploretur neceſſe eſt.

Finem hîc omnis ſcientiæ primarium, nempe Deo vivendi, ſolum conſideramus; de nudis ſpeculationibus quibus exercet ſe innata mentis humanæ curioſitas, quæque intellectum rationalem in ordine ad Deum non dirigunt, neque perficiunt, parùm ſoliciti. Præterea oſtendimus quod niſi alium locum in Dei cognitione occupent κοιναὶ iſtæ de bono & mallo ἔννοιαι, & operum naturæ & providentiæ contemplatio, quam qui in primo hominum ſtatu iis aſſignatus erat, fruſtrà omnino fore ſtudium omne in iis promovendis poſitum. Sed hæc illa non ſunt de quibus hic loci agimus. *Philoſophia* quæ nunc ubivis obtinet, prout à multis ſeculis ab hominibus veri Dei illiúſque voluntatis penitiſſimè ignaris exculta fuerit, planè alia res eſt. Ejus uſus in *Theologia*, hoc eſt principiorum, notionum, hypotheſium, quæ docet, cum doctrinâ *Evangelii* miſtura; qua medii, & methodi, termini quos intellectui humano circa objecto naturalia verſato ancillans excogitavit, ſeu quibus potius in eâ expoliendâ pro arbitrio ſuo uſi ſunt homines quidam propriâ opinione acuti & θεωρητικοὶ, in doctrinæ iſtius enarratione, declaratione, expoſitione & prædicatione adhibendis, in Quæſtionem vocatur. Qualem in eâ quæſtione viri docti olim ſenſum habuerint, quídque etiamnum aliqui ſentiant, pavorum teſtimoniis oſtendi poteſt. *Sunt*, inquit *Clemens Alexand*: lib. 1. Strom: *Qui Philoſophiam cum maximo malo & ad hominum perniciem veniſſe in vitem exiſtumant, ut quæ profecta ſit a maligno aliquo inventore. Tertullianus*, de præſcript. ad: Hæret. *Hæreſes* inquit *à Philoſophiâ ſubornantur; inde Æones formæ & neſcio quæ Trinitas hominum apud Valentinum*, *Platonicus fuerat; inde Marcionis Deus melior, de tranquilitate; à Stoicis venerat; & ubi anima interire dicatur, ab* Epicureis *obſervatur; & ut carnis reſtitutio negetur de unâ omnium Philoſophorum Scholâ ſumitur. Quid ergo Athenis & Hieroſolymis, quid Academiæ &* Eccleſiæ? *quid Hæreticis & Chriſtianis? noſtra inſtitutio de porticu Solomonis eſt; nobis curioſitate non opus eſt poſt Jeſum Chriſtum; nec inquiſitione poſt* Evangelium: *cum credimus nihil deſideramus ultra credere: hoc enim prius credimus, non eſſe quod ultrà credere debemus.* Et Juſtinius Martyr ad Græc: --Ἐπειδὴ ἤπορ ἱκανῶς ὀκ τῶν πρεσβευμένων τὰ τῶν φιλοσόφων ὑμῶν ἐλλειψάτας πράγματα πάσης ἀγνοίας καὶ ἀπάτης φανέντα πλήρη; Philoſophos vocat idem Tertullianus *hæreticorum patriarchas*, atque eadem pæne Jerem: lib. 2. c. 37.

Sed

Sed Testimonia coacervare instituti nostri non est. Non defuisse Viros magnos Sanctósque, qui adversus hujus atque præteritorum aliquot seculorum opinionem & praxin, suffragium tulerunt, sat erit indicasse. Quid ipse in causâ hâc sentiam, brevi dicam; brevius forsan quam res tanta dici debeat, cum ob multas rationes anhelans in finem operis præceps ruat oratio.

In Doctrinâ Scripturarum duo consideranda veniunt; primò ipsa veritas divina; deinde enarrationis seu expositionis istius veritatis modus. Quænam sit Veritatis ipsius natura, útque nihil commune cum vulgatâ Philosophiâ habeat, anteà ostendimus. Modus quo è Sacrario mentis divinæ in iis veritas ista traditur & exponitur, perpendendus restat. Eum vero varium esse, & πολυποίκιλον, norunt omnes, qui Dei voluntatem in Verbo suo revelatam nôsse curant. Necesse est confiteri nullubi pœnè regulas & methodos istas, quas in Doctrinâ seu scientiâ ullâ *systematicè* docendâ usurpandas jubent rationes omnes *Logicæ*, in iis observatas esse. Prout igitur doctrina ipsa quæ fidem & obedientiam peccatorum respicit, ex pura puta Revelatione emanavit, è *sinu* scilicet *Patris* per unicum Jesum Christum egressa, ita modus illam enarrandi seu exponendi per Spiritum Sanctum, ὕψει quodam divino singulari gaudens, alius plane abs eo generis est, eique satis dissonus, qui rebus, & scientiis merè humanis docendis aptus forsan est & idoneus; qui saltem ita plurimis videtur. Hoc nos docet Apostolus, 1 Cor: 2: 4, 5. 6, 7; Καὶ ὁ λόγος μου, καὶ τὸ κήρυγμα μου οὐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ᾽ ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, ἵνα ἡ πίστις ὑμῶν μὴ ᾖ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων. ἀλλ᾽ ἐν δυνάμει θεοῦ· σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις· σοφίαν δὲ οὐ τοῦ αἰῶνος τούτου, οὐδὲ τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου, τῶν καταργουμένων· ἀλλ᾽ λαλοῦμεν σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην. Quem locum superius enarratum inveniat *Lector*. Consulat etiam; Ephes. 1. 8. 9. 17. 18. 19. & Colos: 1. 27. 28. & cap. 2. 2. 8. 9.

Cum itaque hæc fuerit veritatis *Evangelicæ*, atque ejus in Sacris Scripturis expositionis ratio, duo esse inter alia videntur, veritati ipsi satis incommoda, quæ in eam è vulgata Philosophia irrepserunt. Hinc enim primò prodiit veritatis spiritualis variè & ποικίλως, ἐν ἀποδείξει πνεύματος revelatæ, in ordinem *systematicum*, & seriem τεχνικῶς methodicam dispositio ista seu compactio, quæ in *Scholis* & *Ecclesiis* ubivis obtinet. Consortio inquam Philosophiæ vulgatæ cum Theologia inauspicatò inito, ortum suum debent *systemata* pœnè omnia *Theologica*, *loci communes*, atque id genus propositionum credibilium farragines aliæ. Deindè sub accuratioris Doctrinæ prætextu, veritatis divinæ *Ar-*

ticuli, seu propositiones credibiles è scripturis collectæ, & excerptæ, atque in formulas istas digestæ, terminis & notionibus Philosophicis mistæ, enarrantur. Ex hisce duobus *Theologia* quædam *Philosophica* oritur,(quæ in aliquorum scriptis ad *Theologiam* propius, in aliorum ad *Philosophiam* accedit) qua doctrina Evangelica à sublimitate sua spirituali dejicitur, & amplitudinem suam cœlestem amittit. Istiusmodi est *Theologia* quam doctorum hominum plurimi in qualibet *Christianorum* secta docent & profitentur. Hinc fit ut nullus sit veritatis *Evangelicæ* Articulus, quamvis in se planus, obvius & intellectui fidelium expositus, cujus etiam vim & efficaciam spiritualem experiuntur Sancti omnes qui Communionem cum Deo in Christo colunt, quin, si à Viro aliquo philosophicè docto accuratè & *ἀκριβῶς* enarrandus suscipiatur, illicò iis terminis, notionibus, rationúmque momentis seu minutiis potius ita præpeditur, ut frustrà illum intelligere vel capere, nisi esset *Peripateticè* eruditus, ipse *Paulus Apostolus* contenderet.

Hanc disputandi subtilitatem inter antiquos Philosophos, unde factum fuerit ut veritatem nemo percipere potuerit, meritò olim risit *Lucianus* in *Menippo*; postquam incertissimas eorum sententias falsè exagitasset; addit; *τὸ δὲ πάντων δεινῶν ἀτοπώτατον, ὅτι περὶ τῶν ἐναντιωτάτων ἕκαστος αὐτῶν λέγων, σφόδρα νικῶντας καὶ πιθανοὺς λόγους ἐπορίζετο, ὥστε μήτε τῷ θερμὸν τὸ αὐτὸ πρᾶγμα λέγοντι μήτε τῷ ψυχρὸν ἀντιλέγειν ἔχειν, καὶ ταῦτα εἰδότα σαφῶς ὡς οὐκ ἄν ποτε θερμὸν τι εἴη καὶ ψυχρὸν ἐν ταὐτῷ χρόνῳ.*---& *quod absurdorum omnium maxime fuit absurdum, de contrariis unusquisque quum diceret, invincibiles admodum rationes ac persuasibiles afferebat; ut nec ei qui calidum & frigidum idem prorsus esse contenderet contra quicquam hiscere potuerim; atque id quum tamen manifestè cognoscerem fieri nunquam posse ut eadem res calida simul frigidaque sit.* Mali ideo hujus ortum & progressum paulò altius repetere placet.

Cùm primum Evangelium in mundo prædicatum fuit, ejus professores id sibi negotii dari arbitrati sunt, ut fide, & charitate illius virtutes annuntiarent, qui illos ex tenebris vocasset & in mirificam suam lucem transtulisset. Divitiarum gratiæ divinæ qua Justificati fuerunt per Sanguinem Christi, & ab ira ventura liberati celelebratio, Amoris ineffabilis Jesu Mediatoris in opere Redemptionis admiratio & contemplatio, Exempli illius in omni sancta obedientia & vitæ sanctimonia imitatio assidua, quáque ope Spiritus Sancti *πλουσίως* effusi ei indies conformes magis redderentur, mutua inter se dilectio, bonorum operum inter homines utilium, studium, cultus Dei in spiritu & veritate secundum

dum normam Evangelii, & institutionum *Jesu Christi* simplicitatem observantia, illorum Religionem, & in Religione colenda studium operam & rationem absolverunt. Spiritu Dei ductis,& Verbo fretis *magna agere & pati* ad voluntatem Christi Sapientia erat, vita, & Religio. Neque unquam destituebantur gaudiis aut consolationibus spiritualibus & ineffabilibus, statui & conditioni in qua erant necessariis. Haud multum verò temporis ab initio prædicationis Evangelicæ effluxerat, cum impii homines, & διεφθαρμένοι τὸν νοῦν, illius impulsu qui in mentes hominum tenebris spiritualibus obsessas, dominatur, veritatem cœlestem variè torquere & pervertere incæperint. Cùm enim ipsi carnales fuerint, atque idcircò fieri non potuit quin spiritualia iis essent stultitia, in secularem quandam sapientiam doctrinam Evangelii pervertere sunt conati. Hinc Christum ipsum nonnulli *umbram*, *Phantasma*, *Ideam*, *merum hominem*, *hominem spiritualem deificatum*, etiam *Solem* esse somniarunt; fidem vero nudam rerum spiritualium, notitiam, aut scientiam, vel etiam perfectionis *fanaticæ* opinationem vanam. Atque hæc illi quidem fingebant, neque *Patrem neque Filium cognoscentes*. Etenim istiusmodi hominibus cum spiritualia πνευματικῶς intelligere non possint, animis suis morem gerere sensus Philosophicos sacris literis affigendo, solenne est. Virus hoc, vivis adhuc *Apostolis*, saltem eorum nonnullis, paulatim serpere cæpisse testatur ipsa sacra Pagina, cui suffragatur illorum temporum historiarum quod superest. Illorum autem anthoritati impar, in primo illo adversus veritatem insultu illicò succubuit Sathanas. Sublato autem sacro *Apostolorum* & *Evangelistarum Choro*, corrumpendi veritatem *Evangelicam*, iterum opus aggressus est, non fine successu. Quod scilicet in oppugnatione nunquam potuit, in defensione veritatis sensim obtinuit. Etenim postquam hominum ὑπὸ πνεύματος ἁγίου infallibilitèr φερομένων generatio in terris esse desiisset, in manus virorum omni seculari sapientiâ instructissimorum pervenit veritatis patrocinium. Horum erant *Clemens*, *Origines*, *Tertullianus*, aliique innumeri. Istis cùm iis armis quæ carnalia non sunt, Verbo scilicet, & Spiritu Christi adversus veritatis hostes uti non sufficeret, placuit etiam rationibus aggredi è doctrinâ seculari petitis. Cúmque viderint *Hæreticos* quos vocarunt (cùm planè *Philosophi* fuerint Christianum nomen mentiti,) aliorsùm quam oportuit expressa Sacræ Scripturæ verba trahentes, novis vocabulis in expositione veritatis excogitatis, è dolorum & fallaciarum latebris eos extrahere tentârunt.

Accidit autem temporis progressu, ut Argumenta ista *Philosophica* quæ in veritatis defensione viri docti usurpaverant, atque termini & vo-

cabula quibus hunc vel illum veritatis divinæ articulum enuntiaverant, pro necessariis Religionis Jesu Christi partibus essent habita. Adhuc autem nulla fidei confessio *methodica* in Ecclesiam irrepserat, illius credendorum compendii præter aliquam partem quod vulgo *Symbolum Apostolorum* nuncupatur. *Systema* aut corpus *Theologicum*, seu *Catechismum Methodicè* dispositum, & *Philosophicè* ornatum, nullum adhuc fideles admiserant. Sacra Scriptura sola norma erat controversiarum dirimendi, & docendi populum; Tantùm vanâ traditionum opinatione, abs ejus instructionis Spiritus qui credentibus in illum finem per Jesum Christum promissus est, expectatione nimis fuerunt abducti. Indies autem inter viros doctos crevit *Philosophicà* seu sapientiam secularem cum *Theologicis* miscendi prurigo. Præsertim ruere in pernitiem istam, postquam donis spiritualibus destituti, aut illis haud satis fisi, præter doctrinam secularem, nihil habuerint, quo inter amicos eminerent, aut opprimerent adversarios. Nullum non seculum malo huic, revera fundi Ecclesiastici calamitati, notabile aliquod incrementum dedit. Dum itaque nova vocabula, & loquendi Phrases aliqui excogitaverint, alii argutias, & *Philosophicè* arguendi modos adhibuerint, fuerintque qui nodos nexúsque *dialecticos* quibus Veritatis Adversarios stringerent, invenerint, plurimíque verba quibus Spiritus Sanctus in exponendâ veritate supernaturali utitur in sensum ἐξωτικὸν & Philosophicum detorserint, sanctissima & spiritualis doctrina *JesuChristi* sapientia seculari varie corrupta est & pœnè amissa.

Non aliter Vir Doctissimus *Apollinarus* in schisma prolapsus est, & notam severiorem Ecclesiæ, quàm cum esset disputator acerrimus, nimium in veritatis defensione subtilitatibus Philosophicis indulserit; prout refert *Acacius Berœe* Episcopus, Epistolâ ad *Cyrillum Alexandrinum*, quæ actis concilii *Ephesini* inseritur. Τί γὰρ inquit ὤνησεν Ἀπολινάριος ὁ Λαοδικεὺς εἷς ὢν ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ὁ μέγας ἀγωνιστὴς ὁ ὑπὲρ τῆς ὀρθῆς πίστεως κραταιῶς πρὸς τοὺς ἐχθροὺς μαχεσάμενος (hinc prima mali labes) θαρσήσας ἑαυτοῦ τῇ σοφίᾳ; ἐθελήσας παρεισαγαγεῖν ἐξ ἀπόρων πόρους τινὰς τῇ καθαρᾷ καὶ ἀδόλῳ τοῦ Χριστοῦ πίστει; οὐ παρεσκεύασεν ἐν τοῖς σχισματικοῖς ἑαυτὸν παρὰ τῇ καθόλου ἐκκλησίᾳ λογισθῆναι. *Quam enim utilitatem insignis ille disputator Apollinarius Laodiceus in Ecclesiam attulit, dum veluti unus è principibus de rectâ fide adversus fidei hostes depugnat? An non dum suæ sapientiæ nimium fidit, dúmque ex in viis planéque impermeabilibus, quosdam meatus & quasi vias, incontaminatam simplicémque Christi fidem introducere nititur, id tantum conatu suo consequutus est, ut ipse ab universâ catholica Ecclesiâ inter schismaticos haberetur.* Si eadem religiosa

veritatis

veritatis cœlestis ὑπόδειγμα, quæ Ecclesiam diebus Apollinaris acerrimi, pro vera fide disputatoris tenuit, in sequentibus seculis viguisset, non adeo deformem, hiulcam, mistam, impuram doctrinam loco Theologiæ Evangelicæ unquam admisisset, qualem postea amplexa est; Sed Ausim dicere defectionem istam in *Religionis Christianæ* professione, quam gementes lugent Fideles omnes, ortum suum & progressum, *Philosophiæ Gentilium* cum Theologiâ misturæ debere. Postquam enim ea in scholis Christianis locum occupaverit, magna ex parte cessavit inter plurimos bona Dei in Christo scientia, prout à Spiritu Sancto docetur in Mysterio Evangelii. Præsertim autem malum hoc fatale omnia veneno suo sacra infecisse comperietur, postquam *Philosophia Peripatetica* quæ per aliquot secula neglecta jacuerat, bonarum literarum studiosis placere cæperit. Ea vero per *Arabes Muhemidanos* excitata, & exculta, dicto citius invasit Christianum orbem. Etenim Philosophia ista præsertim prout ab *Arabibus* exculta est, ad subtiles disputationes ingenerandas, & perennandas de qualibet re lites rixas & controversias, maximè apta est & idonea. Illa freti, *Scholastici*, Theologiæ Evangelicæ omnem fidem pœnè palàm abrogantes, *Philosophicam* & barbaram artem seu scientiam ejus loco introduxerunt.

Enimvero quis sano judicio dubitare possit plerásque notitias genuinè scholasticas, non nisi puras abstractiones esse, depuratásque Aristotelicæ Metaphysicæ eliquationes, quandoquidem de rebus supernaturalibus agatur; inquit *Cornel. Jansenius Iperusis, in Augustino suo*, Tom: 2: Col. 19. *Isti* ideo, ut rectè *Verulamius* in novo organo, *præterquam quod Theologiā* (satis pro potestate) *in ordinem redegerint, & in artis formam effinxerint, hac insuper effecerunt, ut pugnax & spinosa Aristotelis Philosophia corpori Religionis plusquam est par, immisceretur*. Et in omnibus prætenditur nomen Aristotelis, cum tamen potius pravos sequantur Interpretes, & Commentatores. Nam ut taceam opera ejus quæ primo ad Nelium quendam Scepticum, hominem literarum ignarum hæreditate pervenerunt, deinde devoluta ad Appelliconem Trium, qui exesos codices vendidit Sullæ Dictatori, ad nos corruptissimè devenisse; Arabes à quibus isti subtilitates suas hauserunt, omnis Græcitatis & Latinitatis ignarissimi, Translationibus usi sunt ex Latina in Linguam Arabicam, indoctis, & rudibus, quæ ex presso & arcto ejus dicendi genere, nullum sanum sensum, pluribus in locis retulerunt. De iis omnibus Erasmus. *Optarim*, inquit, *frigidas istas argutias amputari prorsus, Christúmque illum simplicem ac purum restitui, penitúsque humanis mentibus inseri.*

Verum quidem est illos Sacrarum Scripturarum libris usos fuisse; atque

que quæ in iis continentur vera esse omnia confessos.

Veruntamen *Philosophiâ* istâ *Peripateticâ* penitus imbuti, & disputandi seu prurigine abrepti, seu schotomate percussi, istiusmodi *Theologiæ* corpus quod aiunt confecerunt, quod sanctissimam Jesu Christi Religionem neutiquam exhibeat. Totum inter istos homines ac *Philosophos* antiquos discrimen in eo positum est, quod inter libros quibus in scientiâ sua expoliendâ usi sunt, etiam Sacras Scripturas admiserunt, quas ignorârunt veteres *Peripatetici.*

Unde *Scholasticos* multi potius *Philosophos* appellandos censent quam Theologos, inquit *Beatus Rhenanus* Præfat: ad Tertull: *cum* ut recte idem *Jansenius* in Tom: 2: Col: 184: *præter nonnullas Aristotelicæ Philosophiæ tricas, aut ineptias, è classibus dialecticis in Theologiam immissis, nihil omnino novi protulerunt.* Graviter de hisce queritur Erasmus præfat: in Hilar: *Fidei*, inquit, *Symbolum in Scriptis potius quam animis esse cæpit, & tot pæne erant fides quot homines; creverunt articuli sed decrevit sinceritas; efferbuit contentio, refrixit caritas. Doctrina Christi quæ prius nesciebat λογομαχίαν, cæpit à Philosophiæ præsidiis pendere. Hic erat primus gradus Ecclesiæ ad deteriora prolabentis. Tandem res deducta est ad sophisticas contentiones, articulorum myriades proruperunt.* Et fatetur Trithemius, ab eo tempore quo scholasticorum disputationes vel potius dubitationes regnare cæperunt, sacram Theologiam à Philosophia seculari fædari & contaminari cæpisse.

Cùm verò Deo placuerit *initio* Reformationis Ecclesiarum aliquot *Europearum* seculo superiori tentatæ, lumen & veritatem suam in simplicitatis Evangelicæ prædicatione emittere, nihil pœnè erat in totâ Ecclesiâ Apostaticâ quod æquè piis & bonis viris odio erat & abominationi, ac *Theologica* ista Scientia quæ tum temporis in *Scholis* & *Academiis* dominabatur. An in ipsis Ecclesiarum reformatarum Scholis, atque inter omne genus viros doctos, illa ipsa *Theologia Philosophica*, denuò locum suum recuperaverit, nécne, penes alios judicium esto. Addam quæ habet Vir Doctissimus Johannes Drusius, ad 2 Pet: cap. 2. v. 22: ad Verba ista, *canis reversus ad suum vomitum. Canis ad vomitum redit*, inquit, *qui redit ad id quod primi Reformatores evomuerunt. Ea est Theologia Scholastica, quam qui sectantur veram negligunt;* h. e. *Verbum Dei; unde omnis veritas Christiana, & ea ipsa quam Scholasticam appellant, mixta fermento humano, sic ut tam pura & sincera non sit, quam esse debeat. Quando tandem hæc reformabuntur? nam ante non erit pax in Ecclesia.*

Ecclesia. Utinam qui ad divina aluntur, aliter studia sua instituerent; & spretis his tricis seriò se darent ad studium Linguarum præcipuarum, & ad Lectionem Textus Sacri. Quod si fieret, haberemus Theologos quales optare magis quam sperare debemus; usque adeo Verbum Dei sordet in oculis Vulgi. Multi quod enarrant populo è suggestu non intelligunt: tantum ex commentario sapiunt, quo nihil miserius aut magis fugiendum ei qui verum pabulum animæ quærit. Et; Sus lota: *dici potest de eo qui lotus (nam Reformatio est quasi lotio quædam) se in luto sophistico rursum volutat, magno juventutis & Ecclesiæ malo: nam unde quæso, hæc dissidia nisi ex illo luto? ad vomitum redit qui nunc iterum in Academias revocat introducitque Theologiam Scholasticam; panem illum qui procedit ex ore solius Dei miscens cum fermento Philosophorum. Hi simplicitatem credendi convertunt in curiositatem & subtilitatem disputandi; quæstiones novas quotidiè excogitantes, quarum pleraque inutiles sunt, Prophetis & Apostolis olim ignorata, quæ tamen augent numerum disputantium qui Christianum orbem hodie replent. hæc ille.* Audiatur etiam Autor libri cui Titul: *Onus* Ecclesiæ; *Pagani,* inquit, *Evangelicam normam destruere quærunt; ideo Diabolus instigat doctrinam Christianorum paganicis autoritatibus fulciri, ac principiis fidei dogmata Gentilium commisceri, ut tandem veritas Evangelica, per sophisticos dolos è medio sufflet ur.* Quibus concinit illud Erasmi; *omnia pollicentur felicissimè rem successuram. Unus tamen scrupulus habet animam meam, ne sub obtentu priscæ literaturæ caput erigere tentet Paganismus.*

Verum ἀπ' ἀρχῆς οὐ γέγονεν οὕτω. Modus iste res spirituales docendi *Philosophicus*, ab *Evangelio* alienus est. Primi etiam post Apostolorum tempora *Christiani* eum penitus ignorarunt. Consulantur antiquissimorum *Christianorum* scripta, non eo modo illos θεολογούμενα tractasse quo recentiores invenientur. Illud autem in omni genere optimum quod antiquissimum.

Deinde, est in veritate spirituali nativâ & cœlesti suâ luce fulgente θεῖόν τι, quod hominum mentes in sui admirationem rapit, cogitque; Ineffabili quadam gloria & splendore se in corda hominum insinuat, & conscientias penetrat. Plenitudinem, amplitudinem seu libertatem inenarrabili efficaciâ comitatam habet. Hisce consistit veræ *Theogiæ* vita animáque. At vero horum omnium sensum, vim, & energiam miris modis obscurari, labefactari, minui, cum notionum, terminorúmque *Philosophicorum* catenis onerata, laqueis irretita incedere cogitur *Theologia*, queruntur poenè omnes, qui eâ uti vellent

tanquam

tanquam unica norma ſanctam communionem in Chriſto, cum Deo colendi. Amitti inquam hoc modo ſpiritualem iſtam in conſcientias hominum efficaciam & Authoritatem ſummam, atque amplitudinem cœleſtem & ſpiritualem, quæ veritatis Evangelicæ purè & illibatè traditæ, individu e comites eſſe ſolent, facilè ſentirent, confiterentur etiam omnes, niſi plurimorum mentes inſuperabilibus præjudiciis occuparentur. Hinc *ſpiritualis ſapientiæ* loco, neſcio quæ ſterilis & arida ſcientia ſubſtituitur; cujus notitiâ & peritiâ ſummâ imbuuntur ſæpenumero homines impii, infideles, carnales, mundani, & abs omni ſalutari Dei in Chriſto cognitione alieni. Id etiam quotidie evenire videmus; peſſimè ſcilicet obſcurari rerum Evangelicarum naturam ſpiritualem, dum docti & acuti homunciones multum operis in eo ponant, ut illas accuratè, methodicè, & *Philoſophicè* doceant.

Porro! plurimos olim errores tanquam ex equo *Trojano* ex Philoſophiâ hâc in Eccleſiam irruiſſe ex *Tertulliano* aliiſque oſtendimus. Etiam quicquid etiamnum de multis fidei articulis garriunt ſophiſtæ è *Philoſophiâ Peripateticâ* prodiit.

Rixarum etiam infinitarum, atque inutilium diſputationum materiam *vulgatam Philoſophiam* affatim ſuppeditare, res ipſa clamat.

Hâc freti, homines acuti & dicaces,

Statum laceſſunt omnipotentis Dei
calumnioſis litibus.
Fidem minutis diſſecant ambagibus
ut quiſque eſt linguâ nequior.
Solvunt ligantque quæſtionum vincula
per ſyllogiſmos plectiles.

Quæ de Philoſophis antiquis olim cecinit *Prudentius Apotheos:* Hym: in infidel: multa autem miſcent ubivis, quæ vix ipſi intelligunt, qui iis utuntur. *Puderet me dicere non intelligere, ſi ipſi intelligerent qui tractarunt*, inquit *Melchior Canus*, Loc: com: lib:2. cap. 7. Notatu etiam digniſſima eſt Doctiſſimi Vivis [illegible], & querela ei fundata in l.18: Aug: de civitat: Dei: cap: 18: *Theologi*, inquit, *magno conſenſu docent, ſoli Deo competere ex nihilo aliquid creare. De quo multa Thomas, cujus argumenta infirmat Scotus, ut ſua confirmet, quæ labefactare conatur Occamus, ut ſua figat, at iſta quoque Petrus Aliacenſis luxat, uſque adeo vel ludunt in re ſeria, vel affectibus & factionibus ſuis cogunt rem cœleſtem ſubſervire. Qui mores poſſint emendari, qui ſedari & tolli pravi affectus, quid fieri deniq; ex doctrina diſſidiis agitata & tracta, verſáque ſurſū & deorſum pro libitu, affectuum humanorum, concuſſa machinis tam pertinaciter litigantium?*

Hinc

Hinc ortum ducunt, atque æternæ efficiuntur lites *Theologicæ*; quæ facilè omnes sine dubio dirimi possent, si uni Verbo Divino, & Spiritui Sancto in eo potentèr loquenti, homines (pudet dicere) Christiani, saltem professione tenus, se in fidem & directionem dederent. Dum vero omnis pœnè omnium hominum Sapientia, qui res Religionis curant agitántque, *Philosophiâ* hac penitus inficitur, si non ipsissima hæc *Philosophia* sit, perennantur controversiæ, & dissentientium quamvis in rebus minimi momenti reconciliatio impossibilis redditur. Hinc Librorum maximorum, & disputationum, de rebus, assertionibus, terminis, quorum omnium nihil unquam audiverat Christianus orbis, nisi fortè fortuna in mentem venissent *Aristoteli*, Bibliothecæ Theologicæ plenæ sunt. Quænam vero inde malorum & turbarum *Ilias* prodiit, non hujus loci est exponere.

Verissimè & gravissimè in hanc sententiam plurima non ita pridem de Doctrina Trinitatis agens scripsisset D: Hoornebeckius; Socin: confutat: lib. 2. cap. 4. *Quibus inquit, quæso terminis aut notionibus ἐμβατεύοντες rem nobis suâ profunditate ἀπέραντον plenè ac planè explicare tentemus phrasibus & distinctionibus nuper in scholâ natis? Potissimum cùm omnes termini Logici & Metaphysici quibus in hâc re uti solemus ex rebus inferioribus, earúmque consideratione & collatione per nostri intellectus operam formentur; istius autem mysterii exemplar nullum in hisce sit. Nec usitati Termini ad hoc explicandum videntur satis proportionati & apti; à quibus etiam eo religiosius abstinemus, quod ut quotidiè alii & alii de novo reperiuntur, pro inventis semper novis factis distinctionum generibus, ita annon hic commodior aliqua distinguendi notio inveniri possit haud immerito dubitamus, saltem gradum suspendere extra periculum videtur. Neque facilè credimus veteres eo minus hic sapuisse licet ii recentes nostras distinctionum formulas ignorarunt. Præterea & videmus data aliquo distinctionis genere, mox acritèr de hoc disputari; missâ sæpe rei summâ, atque præjudicium veritatis, audacius & inanius sæpè quam cautius, orti.*

Ita est; lis litem generat, distinctio distinctionem; quíque omnes sibi tenere visus est, nequidquam ultra eos sapit, qui nullam. Hinc factum esse gravissimè admonet *Jansenius Iprensis*, *ut revera plerisque Christianis, scientia recentioris Theologiæ ad nihil pœnè serviat, nisi ut sensu diversa diversorum suis apta cupiditatibus noscendo & sequendo, deposità Christianâ simplicitate versutiores & probitate nequiores fiant.* Augustin: Tom: 2. Col: 22.

Sed nolo Ego diutius hisce immorari. Dabitur forsan in tolerantia Dei

 opportunitas

opportunitas, qua de vero usu, & instauratione *Philosophiæ* pluribus agam; paucis ideo hic finiam.

Qui contentionum & rixarum quæ inter Christianæ Religionis professores, tanto strepitu, tantis animorum motibus, odiis, exacerbationibus, tantóque sanctissimi nominis *Jesu* opprobrio, & Evangelii scandalo ubivis agitantur origines, occasiones, & causas, odio procul, amore etiam & studio partium investigarunt, oppidò pauci fuere;

numero vix sunt totidem quot
Thebarum portæ vel divitis ostia Nili

Præjudicia inveterata quæ seculi rationes pepererunt, aliò mentes hominum divertunt. Qui vero dissidia & lites inter partes componere, per mutuam rigoris opinionum remissionem, & cessionem tentarunt, diu est quod operam & oleum se lusisse intelligere possent. Justissimo Dei Judicio, contentionum harum vanitati homines sui plenos, quoniam nollent se simplicitati & puritati Evangelii submittere, tradenti, funestissimum hoc malum nonnulli ascribunt, ita tamen ut ipsorum hominum tenebras, præjudicia, affectiones & concupiscentias pravas, earum omnium causam immediatam & vitiosam esse asserant. Supposito autem justo Dei judicio, hominum peccatis id commerentibus, affirmant medium præcipuum teterrimos istos errores qui ubivis scatent in Ecclesiam Christi inferendi, atque illos circa aliáque perennandi lites, misturam istam fuisse de qua agimus *Philosophiæ* cum *Platonicæ* tum *Peripateticæ*, cum doctrina Evangelii. Ex horum hominum sententia donec excusso hoc confusionis *Babylonicæ* pulvere, ad simplicitatem Evangelicam redeuntes, Christiani sapientes fieri per *Spiritum Revelationis in mysterio Evangelii* unicè contenderint, frustrà erit abs eâ pugnandi & rixandi vanitate qua ubivis exercemur, liberationis spes aut expectatio. Hoc inquiunt, illud est quod tam nefariè inter se commisit *Jesu* cultores; quódq; omnium separationum & schismatum fons est. Hinc Theologiam in artem quandam spinosam & perplexam, seu scientiam quam sine ulla Spiritus Sancti ope, aut lucis spiritualis communicatione non secùs ac alias artes secuti, homines pravi discunt, mutatam esse dicunt. Ejus autem *Theologiæ* studio, mentes studiosorum à veræ Sapientiæ, per fidem, preces, meditationem in verbo Dei assiduam, & obedientiæ Evangelicæ sanctam praxim, disquisitione divinitus instituta, averti quiritantur. *Theologiam* ideo Evangelicam ab omni *Philosophiæ* mistura absolutè separari debere autumant. Hominum vero mentes ab inveteratis præjudiciis quorum nexibus tenentur, liberare, & sapientiam istam ψευδώνυμον quæ magnam partem eruditionis istius cujus opinatione vana tantopere

se

ſe effert doctorum turba, conſtituit, radicitùs evellere, Spiritus Sancti ſolius opus eſſe, quod potentiæ ſuæ exertione efficaci eum demum effecturum, affirmant.

LIB. VI. CAP. IX.

De Studio Theologiæ ſeu Scripturarum.

NAturam, Ortum, Progreſſum & Ampliationem variam *Theologiæ*, ſeu doctrinæ de Deo, Voluntate illius, ac Obedientiâ noſtrâ ei debita, pro inſtituti noſtri ratione expoſuimus. Habitum etiam mentis ſeu intellectus, quo doctrinam iſtam ritè percipimus, totum hominem in uſu ejus ſalutari dirigentem, apertè, & uti ſpes eſt, ad mentem Spiritus Sancti explicavimus. De Studio *Theologiæ*, & quo modo quis *Theologus Evangelicus* evadat, ultimo hoc in loco paucis diſquirere ſtatuimus. Eum autem ſolum *Theologum* propriè dici, qui cum in *Myſterio Evangelii* ſalutaritèr ſapiat, donis Spiritualibus inſupèr eatenùs eſt inſtructus, ut poſſit alios ejuſdem Myſterii cognitione inſtituere, ad gloriam Dei, & laudem gratiæ Chriſti, pluribus anteà oſtendimus.

Hoc autem fine propoſito plurimos excidere videmus, cum ratio malè inſtituta, nullum exitum invenire poſſit. Pervulgatam viam Studiorum & methodum nolo ego hic loci exagitare, aut inſectari. Qui in iis perſiſtunt idoneos habent Authores facti ſui. Profeſſoratus in *Scholis* & *Academiis Theologicis*, qui Philoſophicam iſtam Veritatis Spiritualis exponendæ rationem quam ſuperius enarravimus doceat, utilitatem magnam eſſe, majorem quam vulgo eſt, eſſe poſſe, cenſemus. Directiones, Vias, Methodos *Theologica* ſtudendi, & tractandi, quas ediderunt multi eruditione celebres, quamvis invicem ſibi ſæpiſſimè repugnantes obſtantéſque, excutere ad noſtrum propoſitum haud pertinet. Non omnes omnia æquè ſapimus. In quo ſtudio aliqui damnum facerent, uberem profectum ſe recipere alii profitentur. Quæ vero in earum ullis tenebris, rixis, diſputationibus, opinationibus vanis, præjudiciis, quibus ad unum pænè omnes qui Theologiæ ſtudio nomina dedimus, intricamur, aut anſam præbent aut fomitem, rejicienda eſſe ſpero omnes judicabunt.

Ad *Lesbias* & arbitrarias aliarum artium & ſcientiarum regulas, Spiritualem veritatem ſeu Theologiam exaſciandi & dedolandi ſtudium alibi rejecimus. ἴδιον τι continet doctrina hæc, quod repagulis iſtis coerceri

erceri non vult. Libertatem & lucem aliam intellectus, alia mentis principia & proposita, fines alios, aliásque cordis affectiones in sui cultoribus exigit *Theologia*, quam quæ artes & scientiæ seculares aut *Philosophicæ* norunt, aut curant. Communionem cum Deo in *Mysterio Evangelii* per Jesum Christum sanctissimam colere, animas ad veritatum salutarium, quæ neque menti à naturâ insitæ sunt, neque ei per illa objiciuntur quæ considerationi & examini ejus rationali subsunt, vim & efficaciam spiritualem experiendam, excercere necesse habent, qui Sapientiâ hâc spirituali imbui vellent. Illuminatio cordis, Spiritus Sapientiæ communicatio, Mysteriorum regni Christi, per Spiritum illum revelatio, & φανέρωσις, Translatio è tenebris in mirificam Christi lucem, Thesaurorum sapientiæ & scientiæ qui in Christo absconduntur participatio, quæ omnia horret *Philosophia*, quæque cultoribus ejus stultitia semper fuere, nudæ voces & præterea nihil, Theologiam nostram pariunt, & constituunt.

Noli ideo Lector expectare, ut hîc Librorum catalogum recenserem, aut Libros legendi methodum præscriberem; id alii utrúmque dudum, multo cum judicio, nec minori πολυαναγνωσίας famâ præstiterunt; Gisbertus Voetius præsertim in Bibliotheca sua Theologica, Vir πολυμαθέστατος, ob raram eruditionem, pietatem singularem, ac veritatis amorem nunquam satis laudandus.

Sed non eo tendunt quæ molior. Professoris *Theologici* munus Ego neutiquam sustineo; neque aliorum in studiorum ratione aut methodo instituendi cura mihi incumbit. Odi scholarum strepitus & sophisticam. Domi, Deo ita gratiosè disponente, & apud meipsum vivo. Id ago, si quo modo domus fidelium inservire commodis possim. Pauca ideo sunt, quæ piorum studiosorum mentes in veritatis cœlestis cujus naturam exposuimus, indagatione, promovere possint, quæ de studio Theologiæ addenda habeo. Jis vero, ut quo tendimus perveniamus quædam sunt præmittenda.

Primo ideo advertat Lector, me non alitèr vocabula ista seu nomina *Theologiæ* & *Theologorum* hîc intelligere, quam secundum principia superius posita & confirmata ea accipi debere ostendi. Scientiam quandam, atque certum genus hominum eâ instructorum, disputatione hâc nostrâ haud denotant. Omnes fideles Christiani *Theologi* sunt; cum scilicet iis omnibus lumen salutare Evangelii sit indultum. Discrimen quod inter eos reperitur, graduum est. Etenim *Donorum Spiritualium* inter fideles per Spiritum Sanctum distributio planè est arbitraria. *Operatur in omnibus* καθὼς βούλεται. 2 Cor. 12. Hinc omnis inter se *Theologorum* differentia

differentia pendet. Idem lumen salutare omnibus inest. In illud Indies *transformantur, à gloria in gloriam per Dominum Spiritum.* χαρίσματα autem variè iiscum per eundem Spiritum communicata, ingens dant inter hosce *Theologos* discrimen. Theologia itaque, quantum habitum intellectualem salutarem, seu lumen spirituale mentem renovans & in imaginem Christi, qui lux est, transformans denotat, omnibus & solis fidelibus propria est. Quæ ad luminis istius augmentum, habitus confirmationem, adeoque intellectus elevationem spiritualem, & perspicuam objecti salutaris modo debito perceptionem, atque veritatis cognitæ enarrationem seu declarationem spiritualiter efficacem pertinent, quibus inter Theologos discrimen omne consistit, illa sunt quæ in studio Theologiæ præcipuè promovere curamus.

2. Dona illa Spiritus gratuita, quæ lumini salutari superaddita *Theologos Evangelicos* inter se variè distinguunt, duplicem in mentibus hominum iis instructorum effectum producunt. Etenim primò cùm fideles omnes adulti vi luminis salutaris quod eis in conversione ad Deum infunditur, (unusquisque enim illorum lux in Domino efficitur) radicalem & fundamentalem notitiam totius consilii Dei, de gloriâ suâ in illorum obedientiâ & salute demonstranda habeant, quoniam spiritualium omnium sint capaces, atque ea salutaritèr percipere possint, notitiam illam, in veritatis quatenus à Deo revelatæ & in Sacris Scripturis propositæ apprehensione, certiorem, clariorem, pleniorem, & distinctam magis reddunt.

Distincta inquam, expressa, fixa, solida scientia rerum spiritualium in scripturis propositarum, ab iis dependet. Eorundam etiam effectus est judicium sanum & solidum, quod vera à falsis discernere, atque veritatis articulos eo ordine disponere potest, quem ratio ea naturalis quam ad invicem habent, requirit.

Secundo; dona hæc sola homines reddunt διδακτικὸς; illorum enim virtute ἱκανοὶ efficimur, ad alios, quâ ipsi imbuti sumus, bona Christi cognitione instruendos. Cui autem hæc adsunt, hoc est lumen salutare mentem elevans & disponens ad salutarem veritatis Evangelicæ perceptionem, atque dona ista Spiritus Sancti quæ lumen illud excitent, augeant, incendant, & veritatem in Sacris Scripturis propositam distinctè menti inserant, atque insuper idoneum reddant ad aliis impertiendum illam Dei in Christo cognitionem quam ipse gratiosè adeptus est, is de quo agimus Theologus est. Studium itaque Theologiæ nihil aliud est, quam promovendi lumen salutare, & dona spiritualia quibus Sapientia hæc cœlestis consistit in mente Theologi conatus, ad normam Verbi Divini institutus. Hoc ubivis

nos

nos docet ipsa Scriptura. 1 Cor. 14.12. 2 Cor. 3. 5. 6. 18. cap. 4. 6. Ephes. 1. 17.18,19. cap. 3.7,16, 17, 18, 19. cap. 4. 15. 16. Col. 1.26. 27. cap. 2.2.3.7. 1 Tim. 4. 12. 13. 14.15.16. 2 Tim. 3. 14. 15. 16. 17. 1 Pet. 4. 10. 11. 2 Pet. 3. 18.

Tertio; *Theologiæ* usum in *Ministerio Evangelii* præcipuè considerandum proponimus. Ejus quidem notitia neminem per se sola constituit *Evangelii Ministrum*, *xvelut* ita dictum. Requiritur porrò, in *Theologo* quocunque ad munus illud ritè suscipiendum per electionem & separationem Ecclesiasticam solennis *Vocatio*. Quod vero quis aptus & idoneus sit ad munus illud obeundum è *Theologiâ* est. Quamvis ideo ea sit illius natura, ut unusquisque cui curæ est vel Dei Gloria vel Salus propria, ei operam dare debeat, iis tamen modo peculiari illam promovendi & excolendi officium incumbit qui alios in cognitione Voluntatis divinæ instruendi studio tenentur. Si enim ii qui in Sacrum *Ministerii munus* animos intendunt, seriò apud se perpenderent, quale lumen ultimis hisce diebus, quæve dona spiritualia, Domino Jesu plebi Christianæ, seu plurimis è vulgò fidelibus gratiosè largiri placuerit, è re suâ esse sine dubio statuerent, totis viribus, summoque animæ nisu *Donorum Spiritualium* quæ ipsi in peculio habent, proventum curare sedulò. Quod Artes & Scientias didicerint, quod *Philosophiæ* & Linguarum cognitione sint instructi, quod rixando, disputandòque totos dies terere possint, vix sufficiet quo exeat è contemptu, saltem ut in pretio ullo habeatur eorum Ministerium. Non enim ista sunt de quibus immediatè cum *Ecclesiis*, iis res est. Si qui ad sementem & messem faciendam operam alteri locaret, se navigandi aut bellandi scientiâ peritum esse gloriaretur, haud effugeret quin conductori suo ridiculo esset & despicatui. Neque meliùs ei cedet unquam, qui scientiæ secularis, & tricarum scholasticarum confidentiâ inflatus, χαρισμάτων spiritualium vacuus, hospes in *Mysterio Evangelii*, se in populum Christianum docendi munus ingereret. Egrediuntur quotidiè (quod dolendum) in vineam Domini, *Oratores novi, stulti, adolescentuli*, qui cum bonas literas vix è limine salutaverint, vanâ tamen ob rationes frigidas & nihili scientiæ opinatione freti, se ruricolas *idiotas* sesquipedalium verborum strepitu percellere, & in officio facilè continere, posse credunt. Cùm vero ad opus ministerii fungendum deventum est, omni vera Theologiâ, hoc est lumine salutari & donis Spiritualibus destituti, adeò miserè frigent, atque ineptè se gerunt, ut iis omnibus quorum in cordibus sunt viæ domini, quique quid sit ea vita æterna quæ in cognitione Dei & Christi consistit, norunt, illicò nauci sunt & despicatui. Hinc iræ, rixæ, dissidia, atque schismata prove-

proveniunt, quibus ut veræ Theologiæ studio, & pietatis praxi à ministris Evangelii, non vi & armis obviam eatur, & officium nostrum, & tempus postulant.

Hisce pro instituti nostri ratione præmissis, restat ut ea quæ ad progressum utilem in Studio Theologiæ faciendum necessaria esse videntur, breviter recenseamus.

Utrum necesse sit, ut Artium & Scientiarū communiū quibus ad Theologiæ studium instructos accedere debere studiosos consentiunt Docti omnes, mentionem facerem necne, animi dubius aliquandiu hæsi. Quid enim ea huc referam, de quibus nemo ambigit, quæ nemini non sunt nota. Cur autem id facerem, toties quamvis factum, rationes non desunt faciam igitur. Eæ autem sunt *Grammatica* ad quam *Linguarum Originalium* peritiam refero, *Logica*, & *Rhetorica*. Quamvis enim absq; harum notitiâ, hoc est prout τεχνικῶς docentur, quis sapiens in *Mysterio Evangelii* fieri possit, cùm tamen communia cum cæteris scientiis quibus istæ inserviunt is modus doctrinam cœlestem tradendi & exponendi qui in Scripturis observetur multa habeat, utiles saltem eas esse judicamus ad Sapientiam istam promovendam, & progressus in eâ peculiari illo modo quem proposuimus, faciendos. Alias autem eruditionis secularis partes & ornamenta non ideo silentio transimus, quasi è Studio *Theologico* in alia penitus ablegantes. Quisque eis pro genio suo, ingenióq; operam det, omnimodæ præsertim Historiæ. Communicationum autem omnium conceptuum rationaliū, Scriptura, & Sermo vocalis, modi sunt & media. Quicquid vero dicitur, quicquid scribitur, quo conceptus ulli mentis rationalis enuntiantur fundimentalibus nititur artium istarū communium regulis & principiis. Omne enuntiatum ab iis deficiens, vel ab ipsâ ratione deficit, aut rationi tenebras offundit & caliginem. Imo illæ ipsæ artes nihil aliud sunt, quam generalium quarundam regularum quas in conceptuum rationalium per verba communicatione usurpandas rerum natura docet, quædam delineationes. Res ipsæ itáque, mentis scilicet rationalis conceptus verbis enuntiat, quibus homines sensa sua enarrant, de rebus dubiis disceptant, atque sibi invicem quæ vera videntur persuadent, artibus hisce sunt priores. Cùm autem nemo mortalium magis potest omnes vias modósque quibus homines in mentis suæ sensus enuntiatione utuntur comprehendere, quam omnes omnium conceptus rationales, quorum diversitas parit enuntiandi discrimina, concipere, non possunt non esse valdè utiles istæ plurimorum virorum sapientum per tot secula observationes quæ in artibus hisce continentur. Porrò! communium scientiarum istarum peritia, aut in illis excercitium mentis

mentis; eam in conceptibus suis formandis adjuvat, facultates omnes roborat, judicium intellectus confirmat, res ipas circa quas mens & ratio versantur ambiguitate & deceptionibus liberat, atque nudas, claras, distinctas earum naturas contemplationi sistit proponítque.

Optandum sanè esset, ut ii quibus studiosæ juventutis instruendæ provincia obtingit, majorem curam, diligentiam & prudentiam quam vulgò in *Scholis* & *Academiis* fit adhiberent, quâ solidam in Artibus hisce doctrinam, & peritiam utilem studiosi consequerentur. Certissimum enim est superficiariam & indigestam earum notitiam, quæ tamen umbratili Scholarum Palestræ sufficiat, bonis ingeniis præjudicio sæpissimè maximo esse, commodo & utilitati nulli. Revera qui inter studiosos utilem ullam in artibus hisce communibus peritiam consequuntur,

---*apparent rari nantes in gurgite vasto.*

Omnes laudabiles in nonnullis conatus antevertit ignavia. Studiorum difficultates & ægritudinem pati nolunt. Omnem enim animi & ingenii laborem pertinacitèr nonnulli aversantur, qui tamen nescio quâ stultitiâ ducti inter eruditionis candidatos nomina sua referre non erubescunt. Tandem verò ipsi, atque ii quorum interest ut meliora prosequerentur, serâ nimis experientia edocti, quantum nocuit loca studiis destinata, tali animo occupasse, intelligunt. Deindè plurimi dum sedulò artibus hisce addiscendis operam dare debeant, nullum certum laborum finem sibi præstitutum habentes, hùc illùc in studiis lectione varia vagantur, atque ita nullo tandem in eruditionis genere utilem progressum consequuntur. Alii peritorum instructorum beneficio destituti, invalidis conatibus tempus terentes, semper aliquid agere incipiunt, perficiunt nihil unquam.

Cum enim quæ verè utilia sunt nimia difficultate & tenebris circumsepta apparent, opus incæptum pertæsi, ad trivialia ista & nullius frugi, quæ maxima librorum futilium copia suppeditat, victi dejiciunt animos. Illud autem quod serios & laudabiles plurimorum conatus irritos reddit præpedimentum & frustraneos, naturæ est & veri finis artium & scientiarum omnium ignoratio. Adversus maledictionem quæ ob peccatum primum humano generi incumbit, contendere, séque à pœna illa ignorantiæ veritatis& tenebrarum qua naturalitèr premimur ad unum omnes liberare, propositum sibi habuerunt primi earum inventores. Cum enim anima humana cæcitate & rerum omnium ignorantia se prægravari persentiscat, omni modo nititur se ex earum laqueis extricare. Huic verò fini assequendo scientiarum *Encyclopædiam* minimè sufficere novimus omnes, Finem autem alium generalem in artium & scientiarum

rum studio sibi propositum habere non possunt, qui salutaris luminis *Evangelici* sunt ignari; Earum ope è tenebris naturalibus emergere vellent. Hic ideo innatæ vanitatis potestati & imperio obnoxiæ miserè, hùc illùc in indagatione veri fluctuantur plurimorum mentes. Nam cum finem quem intendunt, neminem nisi per gratiam Christi salutarem assequi posse confitentur omnes Chistiani. Donec ideo scientiæ & artes omnes, quod superius optavimus, ad normam & in usum veritatis infallibilis instaurentur, fieri non potest quin plurimis earũ studium infœliciter admodum succedat.

2. Studiorum ratione excogitatâ, quid illud sit, seu quis scopus in quem animis oculísque collimant, attente perpendant studiosi. Cum enim finis totius operis regula sit, in disquisitione & usu mediorum; nisi perpetuo à viâ aberrare vellemus, is accuratè semper attendi debet. Is verò quis, qualísve sit, aut esse debeat, ex ante dictis satis constat. Sunt qui *systemata Theologica* quibus ad certa rerum capita doctrina *Evangelica* redigitur, nocturnâ & diurna manu versasse, donec εἰς τύπον illorum traditi, ipsi indicaturam quandam *Theologiæ* mente concipere sibi videantur, satis habent. Quid antiqui *Patres*, quid *Scholastici*, quid Recentiores Theologi senserint, aut scripserint, in rebus fidei & negotio Religionis, legere, scire, & memoriâ tenere, illud est quod absolvit aliorum propositum. Peritiam *Philosophicam*, in scientiâ nescio quæ *Theologica* assequi, pro virili intendunt plurimi. At fines hos omnes nos anteà procul à finibus Theologiæ amandavimus.

Ut *sapientes* & *intelligentes* fiamus in Mysterio Evangelii, in cognitione Dei in Christo, in secretis consilii & fœderis divini, in arcanis cultus spiritualis, & obedientiâ fidei, *id aliquid* est quo in studio hoc tendimus. Maneat hoc fixum ratúmque cui in mediorum Electione & usu collineat mentis acies. Si *Sapientia* sit *supernè veniens à Patre luminum*, si intelligentia in Mysterio quâ per Spiritum Sanctum sumus donandi *Theogia* ista quâ initiari vellemus, maxima sine dubio stultitia esset, mediis ullis ad notitiam ejus obtinendam uti, ea sola præter quæ à Deo ipso præscripta, Spiritus Sancti communicatione insuper cumulantur. Qui hunc sibi scopum cum debitâ Dei Reverentiâ, sui, viriumque suarum naturalium abnegatione, ope & beneficio Spiritus Christi per fidem nixus, destinat, mediísque nullis nisi in ordine ad illum finem, adeóque eo modo quo istiusmodi mediis ad talem finem obtinendum, hoc est piè & religiosè, uti decet, utitur, illius, Deo favente; studia ad eum exitum pervenient, qui erat propositus. Dum verò hùc illùc in mediorum incertissimorum usu vacillant studiosi, fines nescio quos sibi propositos, passim

insequentes, quamvis *aurum in ignem conjiciant*, plerúmque tamen prodit *vitulus*. Hoc ideo, qui nollent in studio *Theologiæ* operam & oleum perdere, propositum fixúmque sibi habeant, *id aliquid* quo tendunt, quódque omni ope quæsitum eunt, Sapientiam esse spiritualem & salutarem in Mysterio Evangelii.

Tertio; omnem veritatem supernaturalem à Deo revelatam, propositionibus *didacticis* in Sacrâ Scripturâ contineri superius probavimus. Ejus veritatis spirituali & salutari notitiâ, consistit nostra Sapientia. Sedulam ideo scripturarum lectionem, atque in iis meditationem assiduam omnibus Theologiæ candidatis absolutè necessariam esse facilè concedent omnes; at vero quantum ex eventu patet verbis quamvis concedant, qui in rem istam cogitatione curâque debitâ incumbunt oppidò reperientur pauci. Hujus vero neglectus in hoc studio plurimis non damnum sed pernitiem infert. Neque aliter fieri potest, ubi finem quémcunque se intendere homines profitentur, neglectis apertè mediis. In lectione scripturarum variâ, & segni, pernitiosæ mentis remissioni junctâ parum operis absumunt, in verbi auditu & prædicationum solennium minus, in meditatione nihil, nulli tamen dubitant quin *Theologi* consummatissimi sint futuri; stultissimum genus hominum, & quod meritò contemni debet. Nobilem & cœlestem *Sapientiam*, cui nihil in vitâ humanâ par est aut æquale, investigantes, medium illud pœnè unicum quod ei fini destinatur flocci pendent, saltem habent in postremis. Sapiunt; si quidem id sapere est, velle id quod non potest contingere. At toti sunt forsan in lectione scriptorum veterum, recentiorumque Theologorum, qui data opera scripturarum sensus ennarrant? esto; atque nos diligentiam istam laudamus. At hoc scripturarum studium non est. Aliud plane est ardentibus votis per fidem in Christum effusis, imploratâ Spiritus Sancti ope, ipsas Scripturas legere, atque in iis meditari, quo Spiritum qui in iis viget imbibamus; aliud aliorum hominum, scripta utcúnque docta & veritatem cœlestem redolentia, evolvere.

Audiant Acostam Jesuitam. *Ille*, inquit, *qui cum puritate animæ legit Scripturas, plus proficiet, quam si enodare tentaret Mysteria multis commentariis*. Addit autem pænè quid *fanaticum* ut quibusdam videbitur; nempe, *plures se vidisse ignaros, qui vix latine intelligerent qui tantum lumen hauserint ex S. Scripturis, ut ipse obstupuerit, cum Professores omni studiorum assiduitate, simile quid docere haud potuerint*. Bene est quod Jesuita erat; & Vir Doctus. Etiam & Erasmum Præfat: in Nov: Testam: *Hæc inquam & hujusmodi* (hoc est fidem, Charitatem, Sanctitatem, mundi contemptum secundum Dei Verbum) *si quis afflatus Spiritu Christi prædicet*,

prædicet, inculcet, ad hæc hortetur, invitet, animet, is demum vere Theologus est, etiamsi fossor fuerit aut textor; hæc si quis & ipsis præstet moribus is denique magnus est Doctor.

Cum autem nonnulla sint quæ plurimorum mentes à Scripturarum ipsarum studio absterreant, atque adeo pernitiem eis ferant præsentissimam, non abs re erit, ea hic loci paucis recensere.

Primo igitur *Scripturas Sacras*, eo quod obscuræ sint & difficultatibus perplexæ, vel quod Mysteria ἄῤῥητα contineant, quibuscum ingenium humanum nihil communitatis libenter habere velit, vix rectè & perspicuè intelligi posse, plurimis persuadet arcana mentis humanæ infidelitas. In id autem diligentius inquirere, cui inteligendo impares se esse sentiunt, illorum esse officium non arbitrantur. Historiis ideo quibusdam exceptis, atque iis quæ cum aliis scientiis communia habet Dei mentis illa revelatio, ultra verborum sonum & literarum corticem, in illius studio vix procedunt. Terrent segnes & terrenas animas mysteria profunda, & Sapientiæ cœlestis radii qui in ea micant. Consulunt etiam forsàn Textus quosdam è quibus loci communes concionari posse putant, quæque inserviunt hujus vel illius sectæ opinionibus adstruendis. At vero (quo Spiritualem sapientiam assequantur,) ab omni pura, nuda, immediata mentis & sensus Spiritus Sancti in Scripturis indagatione satis sunt alieni.

Imo nescio quas ob causas, magna studiosorum pars Scripturarum lectionem si non contemnunt, saltem negligunt. Quidam stylum, quidam res ipsas aversantur. Nota sunt quæ sibi accidisse refert *Hieronymus* Epistola: ad Eustochium de custod: Virg: *post noctium* inquit *crebras vigilias; post lacrimas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus; si quando in memetipsum reversus Prophetas legere capissem, sermo horrebat incultus; & quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse sed solis.* Quemadmodum etiam à Scripturis se abhorrere professus est ob styli ut loquitur barbariem impius *Politianus*, in omnium ore positum est. Magis autem adhuc impia sunt quæ de eo refert *Gaspar Peucerus* Epistol. ad *Christophorum Carlowitz*. Cum interrogaretur, inquit, *Politianus* quid de Davidis Psalmis judicaret; respondit; *Ego illa antiqua poemata plena sapientiæ esse video. Sunt ibi omnium virtutum præcepta, sunt commonefactiones de Providentia, comminationes de sceleratorum pœnis, & promissiones de justorum præmiis & protectione. Insertæ sunt & veteres historiæ illius gentis, & ut traderetur memoria vetustatis posteris, & simul pœnarum & defensionis exempla in conspectu essent.*

Hanc sapientiam magnifacio, utilem vitæ & moribus, & figuras in suâ linguâ concinnas esse existimo; & olim harmonia addita sunt ad ciendos animorum motus accomodatæ. Sed in Pindaro res eadem dulcius ennarrantur, & exemplis splendidius illustrantur. Hæc Politianus. Ita impius homuncio quasi arbiter esset inter Spiritum Sanctum & gentilem ἄθεον constitutus, *Davidem* corollis ornat, quo laudi *Pindaricæ* illustrior caderet victima. Utinam sanè nulli essent, qui si non ex *Pindaro*, saltem ex Platone, Plutarcho, Seneca, Epicteto, Ariano, Plotino, etc: virtutis doctrinam se melius petere posse sperarent quam è libris veteris & novi Testamenti; quem Atheismum Deum horribili cæcitate ulcisci quotidiè videmus.

2. Vix credunt eas veritatis notitias, quibus imbui nimis vellent, quâque doctorum hominum scripta doctissima affatìm suppeditant, in Scripturis contineri. Notiones scilicet profundissimas, argumenta subtilia, distinctiones acutas, per quæ & docti efficiantur & delectentur, ex aliis libris discere possunt, hujus contemplatio humilis, arida & sterilis est. Ea scilicet est ineptientium homuncionum fatuitas. Etenim Sacra Scriptura non tantum omnis veritatis spiritualis, de quâ agimus, regula est & norma, usque adeo ut nihil verum in eo genere sit, aut veri loco admitti debeat, nisi in ea contineatur; Sed & illius fons est unicus & origo, ita ut nulla notio, aut mentis conceptus circa res Religiones, sublimitatem habeat, aut argumenta subtilitatem, nisi ex eâ eliciantur; uti alibi ostendimus.

Tertio: Cum Christus *Spiritum* suum promiserit ad fideles omnes per Dei Verbum in veritatem ducendos, qui secundum promissionem istam in illum solum non intuentur, neque ad opem ejus confugiunt, revera adjumento & subsidio illo destituuntur, sine quibus nemo rite, alacritèr, & cum fructu in Scripturarum studio unquam versatus est. Alia quidem studia proprio marte & institui & effici possunt. At in Sacris Literis arcanum quid est, cui humanum ingenium quibuscunque externis auxiliis in subsidium adhibitis salutaritèr percipiendo impar est. Ideo Spiritus Sanctus in opere adjutor promittitur. Is non nisi per fidem recipitur. Nemini igitur mirum esse debeat, si istis qui Spiritum non norint, neque recipere possint, cum fidem non habeant, scripturas istas liberè & ingenuè scrutari tædio fit & pœnè odio. Qui Spiritui promisso fidere, qui auxilium & opem ejus assiduis precibus implorare, qui seipsos unctionis illius ductui quæ omnia docet addicere non nôrunt, frustrà mentis aciem & ingenii acumen in hoc studium intendent.

4. Quarto; multorum animis intimè adhæret ab omni immediata com-

communione cum Deo colenda, averſatio. Hic Peccati inhabitantis fru-ctus eſt. Ubi illud dominatur, quæ non-renatorum eſt conditio, univer-ſalis adverſus Deum obtinet inimicitia. Virium aliquantulum in renatis retinet. Jam vero in omnium hominum ſcriptis habet quo ſe oblectet nativa mentis humana vanitas; Quamvis res Theologicæ tractantur, mens tamen in iis verſatur quæ aliis etiam ſcientiis ſunt communia. In Sacra Scriptura animæ cum Deo ipſo res eſt. Hoc vero cum ferre non poſſit mens vanitati nativæ ſubjecta, ipſius verbi ſtudium arcana quadam aver-ſatione fugit.

Donec autem hæc atque hujuſmodi alia quæ ſtudium Theologiæ ag-gredientibus non tantum plurimum obſtant, ſed etiam in miras fruſtra-tiones eos impellunt, removeantur, non mirum videri debet, ſi poſt multum temporis in ſtudio Theologiæ impenſum, plures *Philoſophi*, aut qui alienæ laudi invidere tantum norunt, quam *Theologi* ſeu Sapientes in Myſterio Chriſti prodeant.

Ad opus inſtitutum revertamus, ut quæ in ſtudio illo ſcripturarum quod commendamus, porro requirimus, adjiciantur.

Primo ideo qui in literis ſacris operam navare intendit, infixum a-nimo firmiter retinere debet, Deum ſanctiſſimum legenti & meditanti modo peculiari propè eſſe, qua debita Majeſtatis & Authoritatis divinæ Reverentia affectus, prout peccatorem abjectiſſimum decet, ſe ſumma eo in ſtudio gerat cum animi ſubmiſſione. Etenim in Sacris Scripturis Deus ipſe non minus immediatè legentem alloquitur, quam ſi voce è cœlis ſonante uteretur. Ipſe diſpicitur ubi timor & εὐλάβεια legentium corda non occupant. Iiſcum ſolis ei habitare placet, qui ad verbum ejus tremunt. Levis & deſultoria ſcripturarum lectio peſtis eſt anima-rum, & feneſtram aperit *Atheiſmo*. Quaſi trabali quod aiunt clavo memoriæ infixam, graviſſimam illam cautionem Apoſtolicam quæ ha-betur, Heb. 12. 29: conſervare debet, qui accedit ad ſcripturas legendas; ἔχωμεν χάριν, δι᾽ ἧς λατρεύωμεν εὐαρέστως τῷ Θεῷ μετ᾽ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας. Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλίσκον. Timor Domini ſapientiæ hu-jus initium eſt; hic vero niſi in verbi ſtudio adſit, nullubi aderit.

Secundo, ſerio perpendat ſtudioſus quid in omni veritate, in qua è my-ſterio Verbi divini eruenda verſatur ſua intereſt, quáque in cognitione & cultu Dei promoveatur. Hic ſtudiorum & meditationum omniũ in Sacris Scripturis, primarius ſemper & præcipuus finis eſto. Ut ex iis officium noſtrum diſcamus, in iis communionem ſanctiſſimam cum Deo colamus, ut vim & efficaciam Spiritus potentèr gratiam ſuam & lucem

lucem in iis exerendis, intimis animarum sensibus experiamur, ut sciamus quomodo ad *Authoritatem* Dei ipsius ac Christi Domini nostri in iis eminentem se habeant conscientiæ nostræ, ad illarum studium semper accedendum est. Frustra progressum expectabit, ipsi salutarem, aut Ecclesiæ utilem, qui spreto hoc sacræ meditationis fine, nihil aliud in animo habet, quam ut mentem instruat nudâ veri notitiâ. Verbum animæ pabulum est. Duo autem sunt quæ eo nutriuntur & foventur; lumen scilicet salutare, & dona spiritualia ei superaddita.

Primum nobis gratiosè indulgetur, ut sit nobis ipsis salutare; altera, ut ipsi aliis simus salutiferi. Qui autem in sacrarum literarum studio, prioris, primo in loco augmentum non intendit, aut posteriorum proventum non faciet, aut ex illorum proventu fructum nullum ipse percipiet.

3. Authoritatis planè Divinæ Sacræ Scripturæ agnitio *practica*, atque *religiosa* ei in omnibus conscientiæ subjectio, ejus *Lectori* semper adesse debent. Etenim verbum Dei, idque solum immediatè, Dei ipsius nomine apud nos officio fungitur. Supremum ideo obtinet in nos dominium, cui mentes & intellectus in captivitatem subigere tenemur. Ita enim coram eo conscientias sistere debemus, tanquam ex ejus sententia judicium de nobis ipsis, omnibúsque iis quæ æternitatem spectant, accepturi.

4. Scripturarum studium in iis linguis quibus ab ipso Spiritu Sancto sunt exaratæ in veritatis disquisitione magno erit adjumento. Præterquam enim quod ex iis fontibus solùm, vim & significationem genuinam vocabulorum & phrasium dictionis haurire possumus, peculiaris etiam est earum linguarum, *Hebraicæ* præsertim emphasis, ἰδιότης etiam quâ vim & verborum sensum efficacitèr menti insinuat, quæ que cum nullâ aliâ linguâ communicari potest.

5. Hæc omnia atque ejus generis quæcunq; alia sint, ducant, claudant, comitentur preces assiduæ ardentésque. Hoc maximum est illum qui omnis veræ Sapientiæ Author est, atque illam ipsam sapientiam quam investigamus, obtinendi, medium à Deo institutum. Authorem hujus Sapientiæ Spiritum Sanctum esse superius docuimus. Is est qui solus scrutatur & patefacit profunda illa Dei, quæ ea discit, docétque. Is est per quem Filius Dei dat nobis intellectum ut cognoscamus illum qui verus est, quique indicat nobis ea quæ Christi sunt; adeóque in omnem ducit veritatem. Eum fide recipi, precibus vero obtineri, docet nos Dominus Jesus. Illum Deus nobis largitur Spiritum supplicationum; ut ejus gratiâ instructi, virtute adjuti, ipsum petamus Spiritum directionis

nis & consolationis. Etiam sapientia hæc nostra Dei Donum est.

Ἐι τίς ὑμῶν inquit Jacobus, λείπεται σοφίας, αἰτείτω παρὰ τοῦ διδόντος Θεοῦ, cap. 1. v. 5. Hinc ergo sub Deo pendet omnis in studio Theologico proficiendi spes.

Rectè Justinus ad Tryphonem: εὔχου δὲ σοι πρὸ πάντων φωτὸς ἀνοιχθῆναι πύλας· οὐ γὰρ συνοπτὰ οὐδὲ συννοητὰ πᾶσιν ἐστὶν εἰ μή τῳ θεὸς δῷ συνιέναι καὶ ὁ χριστὸς αὐτοῦ. *Tu* inquit *tibi antea omnia votis & precibus, lucis portas aperiri opta. Neque enim ab aliquibus perspiciuntur atque intelliguntur, præterquam si cui Deus & Christus ejus concesserint intelligentiam.* Et Divinitus poenè illud à Platone dictum, Epinom: ad Lib. de Le: Dei naturam & Theologiæ exposituro; Jussus enim à Clinia Hospes Atheniensis, Dei benignitati confisus, illumque apprecatus quæ ejus naturæ essent consentanea exponere; subjungit, Ἔσται ταῦτα, ἂν αὐτὸς ὁ θεὸς ἡμῖν ὑφηγῆται, σὺ εὔχου μόνον. *Ita hæc fient, si ipse Deus dux & auspex viam nobis commonstravit. Tu tantum tuas meis preces precibus conjungito.*

Quid obstupescimus tot ingenia elegantia in studio & indagatione veritatis cœlestis satiscere; orare nesciunt. Spiritum supplicationis nunquam receperunt; imo, proh dolor sæpius aspernatur; imo salse & jocosè, sed nefariè sed blasphemè eum exagitant; neq; ullibi magis sibi aliisque sunt in deliciis, quam cùm ei dicacitèr insultent, atque eum petulantibus facetiis perstringant. Terreni sunt, & nihil nisi terrena sapiunt; dúmque omnes alios despiciant, & magnificentissimè se gerant quasi soli saperent, reverâ infra infimam plebem Christianam in cognitione Evangelii subsidunt.

Deinde! anima fidelis iis orationibus assiduè fundendis quas suggerit iste Spiritus quem nobis ad sublevandas infirmitates nostras Deus gratiose largitur, communionem cum Deo ipso in maximis Evangelii Mysteriis obtinet, eoque in eorum cognitione ex exercitio isto indies augetur. Dum enim anima per fidem vim & efficaciam doctrinæ salutaris quo usque profecit, in se experitur, sensim in omnia arcana fœderis Dei in Christo initi admissa, *crescit in eum qui caput est, plenitudo ejus qui omnia in omnibus implet.*

Studiis hisce accedat iiscum qui pietatis praxin secundum *Theologiæ Evangelicæ* normam sanctè colunt, constans & religiosa necessitudo. Summos Philosophos totum pœnè orbem peragrasse, ut illorum consilio & consortio fruerentur qui ejus sapientiæ mysteriis quam investigarunt initiati fuere, ubivis refert *Gentilium* Antiquitas. Nos quæ domi habere possunt hujusmodi generis veræ sapientiæ adminicula, plerúmque contemnimus,

temnimus. Nullâ planè illorum rationem habendam nonnullis ducunt in quibus vis ἐνέργεια & vita ejus quam quærunt Sapientiæ se efficacitèr exerunt. Imo quæ est dementia, à nullis hostili odio aut invidia dissentiunt magis, quam ab iis, qui verâ pietate, fide non fictâ, obedientia sincerè *Evangelicâ*, cultu Dei assiduo & spirituali, Sapientiam istam, & vitæ sanctimoniâ exprimere conantur. Si quis Articulum illum qui in *Symbolo* quod vocant *Apostolorum* de *Communione sanctorum* continetur, è credendorum abolendum summa contenderet, illico ei in oculos involaret studiosorum turba; cum interea quid ista sit Communio Sanctorum, ipsi vel penitus ignorent, vel eam nefariè contemnant.

Pariet autem ista cum sanctis & fidelibus inita necessitas, donorum istorum spiritualium quibus sapientia hæc consistit excertitium assiduum; eo ex ipsius rei natura, & instituti Christi virtute, ipsa augentur.



FINIS



Index locorum S. S. Quæ in hoc opere citantur & partim explicantur.

VII.

INDEX.

Index Authorum Qui in hoc opere citantur & partim explicantur.

R.

S.

Ann.

FINIS

LECTORI. S.

Si communi Librorum excusorum fato, quamvis haud optimo, uterentur Schedæ hæ nostræ, atque hîc illic solùm essent σφάλμασι *Typographicis interspersæ, nimia esset, Lector Erudite, & pœnè odiosa diligentia Te illorum heic admonere. Qui enim in istiusmodi scriptis ad minutias istas scrupulosè animos attendunt, quasi in mustacio laureolam quærentes, ut sunt paucissimi, ita ob* μικροψυχίαν *negligendi. Verùm ex crassissimâ Operarum inscitia, & Correctorum quos quàm potuerunt minimo (quamvis nimium magno) conduxerunt Typographi, immani negligentia &* ἀμαθίᾳ, *nobis à Prælo à capite ad calcem operis absentibus, factum sit, ut pœnè in omnem paginam menda aliquot irrepserint, plurima hîc annotare necesse habuimus; quæ quoniam tandem, ad limam, quamvis serò nimis, sint revocata, quasi nunquam admissa essent ut reputares Lector, jure aliquo petere videmur. Innumera autem alia sunt in Accentibus & distinctionum notis, præsertim in Græcis, in literarum inversionibus & transpositionibus in Hebraicis, alia quæ Candori tuo condonanda relinquimus. Vale.*

ERRATA.

PAg 9 l: 35. l. possit. p.13. l. 30. l. ἐξουσίαις ib. l.34 l. ἄνθρωποι p. 14. l. 10. l. πρόσωπον p. 16. l. 30. l. καθήμενα, & l. 16. l. ἀδικία p. 24. l. 28. l. ἀνθρωπίνου γένους, l. 36. l. atque parentum p. 25. l. 8. l. Idololatriis. l. 17. l. ψυχαὶ l. 37. l. percepêre p. 29 l. 32. l. sufficientiâ p. 30. l. 38. l. aliquam l. imparem asserimus l. 39. l. destituta l. 32. l. σωτηρία p. 38. l. 1. l. ducunt p. 39. l. 11. l. Dei p. 44. l. 8. l. aliis id genus pluribus p. 45. l. 5. l. præsidium p. 46. l. 13. l. negligentiæ l. 34. l. ἐννοίας p. 47. l. 3. l. suffecisset. l. 4. l. atque l. 8. l. iræ. l. 15. l. conficerentur l. 17. abjecta l. objecta p. 48. l. 15. l. tangebantur l. 19. l. emaciârunt l. 32. l. assignandos p. 50. l. 11. l. affinxerint. p. 52. l. 9 l. colluissent l. 18. l. converterent p. 55. l. penult. l. idololatras p. 58. l. 7. l. restringenda p. 60. l. 36. l. istæ p. 61. l. 37. l. incunabulis p. 63. l. 16. l. erexerit p. 65. l. 7. l. ratiocinando l. 13. l. turpi l. 32. l. pravique p. 68. l. 28. l. occurratur p. 69. l. 2. post *conscientiæ* adde *ejus* l. 35. l. Scotus p. 70. l. 17. l. seciùs p. 72. l. 28. l. eam. p. 73. l. 11. l. ennarrare l. 13. l. paucis l. 33. l. aura. p. 75. l. 2. l. puerperia l. 3. l. fœta l 19. l. exercendum l. 24 l. κίνητον p. 76. l. 6. l. mortuis p. 77. l. 3. l. Druidum l 12. l admiserit l. 21. l. παράνδα φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ l. 22 l. θητευέμεν, l. 24. l. καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν, p. 78. l. 3. l. enectus, l. 4. l. nitendo, l. 25. l. persuasionem, p. 79, l. ult. l. innuerunt, p. 80. l. 11. l. rerum, l. 24. l. usi sint, nihil, p. 81, l. 18, l. atqui, p. 82, l. 18, l. πατροπαράδοτα, congesserunt, p. 83, l. 3 l. ἀποπτύσαντες, p. 91, l. ult. l. oriundos, p. 95, l. ult. dele Ad eundem modum, p. 97, l. 4, l. discordias, p. 99, l. 35, l. quod, p. 100, l. 8. l. superstitiosus, p. 102 l. 27, l. veris, p. 103 l. 6. l. vestis, p. 107, l. 3. l. quam, p. 111, l. 2. post *retinendos* sdde *habere*, p. 113 l. 30, l. innotescere, p. 115, l. 13, l. nemine, l. 25. πατροπαραδότως, p. 118, l. 27. l. concionaretur, p. 119, l. 3. l. illaqueandum, l. 18, l. decantatissimam, p: 12[illegible]. l. 33. l. adversa, p. 123, l. 8, l. acerrimè, l. 10, l. neglectum, p: 130, l. 1. l. [illegible], p. 134, l. 1. l. permitteret, l. 26, l. afferre, p. 135, l. 7. l. Ægyptios hunc, l. 9. l. hunc religiosum, p. 146, l. 8. l. misceri, l. 25, l. coiissent

fenr, l. 35, l. profe, p. 148, l. 17, l. ἀποκαλύψεως, l. 35. cap. 4. l. cap. 7. p. 149 l. 26, ἀπώλετο. p. 158. l. 24. l. Areus, p. 26.. l. 9. l, credulitas, p. 164. l. 6. l. celata l. 11, l. ἄνθρωποι, κεχαρισμένον l. 13, l. ὀλιγωρίας, p. 165. l. 3, l. Jove, l. 5 l. verisimile, l. 6. l. accommodat, l. 21. l. celata, p. 166. l. 4. perstiterunt, p 167 lin. 35, lege. ἐνθεάζειν, pag. 168. lin. 15. l. furens, p. 170. l. 2. afferre, p. 172 17. lin. Ea, pag. 179. 18. lin. εἰκάζ, p. 180, l. 19. Homini, pag. 181. lin. 16 l. extranei, p. 185, l. 36. l. novas, p. 187, l. 9. l. pessundederunt, p. 191, l. 37. expeditione. p. 192. l. 38. l. pertinet. p. 193. l. 20. l. καταιβαταὶ, p 194. l. 35 l. καλοῦντες p. 198. l. 35. l. cap. 1. 20. p 199. l. 10. l. occupare l. 21. l. totam p. 203.. l. 6. l. mutis l. 29. l. Saturnum l. 32. l. Idololatrarum p. 205. l. 23. l. Hellenismi p. 213 l. 16. l. tale p. 214. l. 2. l. minoris p. 219. l. 15. l. coluisse l. 28. l. Antoninus l. 29. l. ὀξύτητα p. 220. l. 13. post κατηγύλασι adde Herod. p. 221. l. 22. l. reliquias. ib. l. eas. p. 228. l. 35. l. ἐργαζόμενος p. 229. l. 18. l. atavo p. 232. l. 26. l. suarum p. 236. l. 5. l. Sancuniathon. p. 241. l. 13. l. Filio. p. 242. l. 37. l. Megalopolitani p. 246. l. 7. l. peregisse p. 252. l. 21. l. 196. p. 254. l. 19. l. ovationem p. 255. l. 32. l. excitata p. 258. l. 13. l. Romanos l. 15. l. liberè p. 259. l. 9. l. hæc l. 22. l. calluisse. l. 38. l. neminem p. 260. l. 24. l. solenne p. 264. l. 3. l. θήλεια l. 10. l. βέρεθρον l. 15. l. οὐρανόθεν p 268. l. 35. l. Rutuli p. 271. l. 16. l. fiverit, l. 25. l. Antoninus p. 272. l. 5. l. Deas. p. 274. l. 20. l. Dei Veri cultu defecisse, impium esset suspicari. Vivente l. 25. dele *latius &* l. 26. l. ærumnosam p. 276. l. 19. dele arripuisse. p. 276. l. 19. d. arripuisse. p. 277. l. 29. l. omnem p. 278. l. 18. l. Hic quæ ad p. 280. l. 22. l. οἰκονομία p. 283. l. 28. l. acervum, l. 31. l. dedidicisse p. 248. l. 6. d. ei, l. 10. ἐμοσχοποίησαν p. 285. l. 34. quàm quæ res l. quàm res, p. 286. l. 7. l. immediatas comitatum, firmissimam l. 31. l. potuerunt, p. 287. l. 11. l. סרך l. 13. l. vixisse ostendunt, cum l. 35. l. *Zeraim*, p. 289. l. 38. l. Sabbati p. 290. l. 12. l. erexisse, p. 291. l. 25. l. commiserunt, p. 292. l. 10. l. pronuntiet Hornius, p. 293. l. 26. l. φαντασία p. 294. l. 12. d. aburde, l. 25. l. recenset, p. 296. l. 33. l. eædem, p. 297. l. 19. l. ἐχηβόλω, l. 20. l. τῖν, p. 302. l. 24. l. literæ, p. 304. l. φύχακες, p. 305. l. 26. l. receperant, p. 309. l. 26 l. sensus, p. 351. l. 22. inivit, l. irruit, p. 352. l. 9. est l. esse, p. 353. l. ult. Tyrim, l. Tygrim, p. 356. l. 28. l. Idols. p. 358. l. 12. בעצי l. בעצו l. 18. c. 33. v. 2. l. c. 32. v. 31. p. 359. l. 11. אלהו l. אלהי l. 24. l. qui à p. 361. l. 5 l. aperire, l. 10. l. Saned, p. 363. l. 35. l. variæ, p. 364, l. 5 l. Ekronitici, l 31, l. Israelitas, p. 366, l. 13, l. dirutæ, p. 368, l. 16, l. poni, p. 370, l. 25, l. Ebræi, p. 371, l. 2. l. semine l. 35. l. adegerunt, p. 372, l. 9. l. antequam, l. 11. Joh. l. Jos. p. 373, l. 1. l. Queritur, l. 22, l. ab p. 474. l. 2 l. oppidum, l. 3. אשרית l. אשרות l. 7. l. Hieronymi, l. 23, עשתרת l. עשתרת p. 376. l. 3. l. τραπεζαν, l. 24. l. mensam, l. 28, l. Mosis p. 382, l. 5. l. tui, p. 385, l. 20. l. molitum p. 388, l. 1. l. Abrahamo, p. 391, l. 29. l. extitisse &, l. nullum, p. 393. l. 10. l. Emendanti, l. 18. l. solus, p. 395. l. 8. אוי l. אוי l. 14, l. appellant, p. 397, l. 25, l. præservari, l. 32, l. imputandas, p. 400. l. 5. l audias, l. 15. l. avidissimè, p. 401, l. 38, l. novas, p. 404, l. 32, l. horribili, l. 36 l. omnium, p. 405, l. 1. pariter, l. ut pariter, p. 406, l. 16. post *adorant* adde *sed* p. 410, l. 10. l. verborum, l. 31, accuratum, p. 415, l. 17, sacerdotibus, p. 416, l. 14, l. mysticæ, p. 418, l. 26, l. literâ, pag. 420, l. 15. lege. execrasse, lin. 23, lege. multis, pag. 421, lin. 32. post undè, adde undè, lege. 39, multa, p. 422, l. 22, l. προσκυνησάτωσαν, l. 33. Psal. 65, l. Psal. 91. l. 36 l. summi.

l. summitati, p. 423, dele tres primas lineas, p. 424, l. 1. l. catena, l. 29, l. imbecillitas p. 425, l. 22, l. dignum, p. 426, l. 23, l. affirmat, p. 429, l. 3. l. prætextu, l. 17 l. totam, l. 26. l. discrepantia. p. 430, l. 22, l. mortis, p. 432, l. 14, l. venditata, p. 434. l. 37, l. dignis, p. 435, l. 29, l. rituum, p. 336, l. 12, l. extitisse. p. 439 l. 34, l. avitam, l. 35, l. patrium, p. 450, l. 25, l. eam, p. 451, l. 8, l. novas, cultûs, l. 25, l. *ἱερωσύνης*, l. 26, l. *μετέσχηκεν*. l. 27, *ἀναπέπταλκεν*, p. 454. l. 1. l. perducere, l. 18, l. ultimam, p. 456, l. 2. l. Oratores, p. 459, l. 20, l. missum, p. 460, l. 32, l. suum, Gen: 40, 1, l. Gen. 49, 1, p. 461, l. 32, l. *προσδέχομαι*, p. 462, l. 2, l. omnis veritatis, l. 22, l. partis alicujus, l. 3. l famulantis, p. 465, l. 3, l. spiritu, l. 30, vere, l. veræ, p. 467, l. 17. l. divinæ l. 25, l. cognitionem istam, l. 35 l. vera, p. 475, l. 20, l. in Finem p. 477, l. 11, l. alligatum, l. 13, l. *cui, illorum rum assignatio qua*, p. 478, l. 31, l. esset, p. 480, l. 2, l. sint, l. 19, l. *λυτρῶ*, p. 485, l. 14, l. promissiones, p. 486, l. 20, citiùs, p. 487, l. 6, Theologiæ Evangelicæ mentē p. 490, l: 1. l. exascianda p. 491, l. 10, פלפרן l. מלרי l. 15, l. *προσευχόμενοι καὶ αἰτούμενοι*, p. 494, l. 9, l. prædiri, l. 10, l. *διώνοιξεν*, l. 11, l. *κύριοι*, l. 12, הכינני l. הבינני l. 28, l. *ἐνέβαιν*, p. 496, l. 2, l. *προσευχόμενοι καὶ αἰτούμενοι*, p. 497, l. 4; A. l. Ad. p. 501, l. 7 l. separati, l. 20, l. societatem constitutam, p. 503, l. 17. l. aliquot, p. 505, l. 3, l. propositū l. 16, germina, p. 507, l. 12, politicæ, p. 510, l. 23. l. paucorum, p. 525. l. 31. l. enunciati, p. 531, l. 30: l. *λατρεύωμεν*, p. 534, l. 1. l. nullam nonnulli, In Præf. p. l. 7. l. 31.. l. miriores p. ii, l. 23. l. judicii. In præfat. p. 13. l. 23. l. Judicii. p. 15. l, 30. l. abjndicare. prætereà. p. 19. l. 13. l. Mysterio.



